OBSERVATIONUM SELECTARUM

AD

REM LITTERARIAM SPECTANTIUM.

TOMUS II.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI



HALÆ MAGDEBURGICÆ An. 1700.
Proſtat in officina Libraria Rengeriana.

OBSERVATIO I.

De INTEMPESTIVO LIBROS SCRIBENDI ET DISPVTANDI PRVRITV.

CONSPECTVS.

§.I. *Librorum abuſus. Conſilium quæritur.* §.II. *An libri ſcribendi ſint, dubitatur.* §. III. *Pythagoras ſine libris docuit.* §. IV. *Præſtantiſsimi Philoſophorum ita philoſophati ſunt.* §. V. *Exemplum Socratis* §. VI. *An vera Sapientia ſcriptis inclareſcere cupiat.* §. VII. *Quare Chriſtus libros nullos ediderit. Epiſtola ad Abgarum Edeſſenum.* §. VIII. *Satius, non ſcribere, quam ſcribere communi more.* §. IX. *Librorum inutilium copia.* §. X. *An ſelectus haberi posſit.* §. XI. *An libri mali etiam vtiles.* §. XII. *Monitum Martialis.* §. XIII. *Quo ſine de his primum egerit Autor.* §. XIV. *An in ſtatu integritatis libri fuiſſent. Cur poſt lapſum iis opus ſit.* §. XV. *Qui ſcribere debeant.* §. XVI. *Pythagorici notantur; item Stoici.* §. XVII. XVIII. *Cur ſcribendum?* §. XIX. *An hominum æqualis ſcientia.* §. XX. *Peccant qui cum posſint, nemini inſeruiunt.* §. XXI. *Item qui modum excedunt.* §.

A *ſcribe-*

XXII. *An peculiari ad ſcribendum vocatione opus ſit.* §. XXIII. *Neceſſarium virium ſuarum examen. Conſilium Autoris.* §. XXIV. *Eius vtilitas.* §. XXV. *Illius contemptus vnde?* §. XXVI. *Germani polygraphi.* § XXVII. *De Scriptorum Polemicorum moralitate.* §. XXVIII. *Lis veritati contraria. Communis Doctorum Error.* §. XXIX. *qui ex Philautia.* §. XXX. *An dictum Stoicorum: Sapientes ſoli inter ſe amici, de noſtris ſapientibus capiendum ſit* §. XXXI. *quod negatur.* §. XXXII. *Vera Eruditio deſcribitur.* §. XXXIII. *quam corrupit bellicus diſputationum ſtatus.* §. XXXIV. *Pythagoras & Socrates commendantur.* §. XXXV. *Ariſtotelis inuidia.* §. XXXVI. *Veterum Chriſtianorum Amor fraternꝰ.* §. XXXVII. *qui extinctus per Concilia, per Hæretifices.* §. XXXVIII. *Patrum naui.* § XXXIX. *Quos imitati noſtri Seculi Theologi.* §. XL. *Hinc eriſtica illorum ſcripta.* §. XLI. *Obiectio de ſeductione Orthodoxorum ſoluitur.* §. XLII. *diſſenſiones ICtorum.* §. XLIII. *Medicorum.* §. XLIV. XLV. *Philoſophorum rixæ.* §. XLVI. XLVII. XLVIII. *Earum cauſæ latius indicantur.* §. XLIX. *An contradicentibus iraſcendum.* §. L. *quando Apologiam ſcribere liceat.* §. LI. *Effectus Moderationis.* §. LII. *quare pertinaciter inſtantibus aduerſariis, tacendum.* §. LIII. *Solatium veritatis amantium.* §. LIV.

Nec

Nec doceri cupientibus de nouo reſpondendum eſt. §. LV. *Nec conuiciantibus. Contemnendi ſunt.* §. LVI. *Moniti huius neglectus.* §. LVII. *Veritatis atque probitatis ſtudium laudatur.*

§. I.

SI mortales eam omnes mentem haberent, vt nihil in vita niſi laudandum aut ſentirent, aut facerent, aut dicerent, non modo innumeris altercationibus atque diſputationibus ſuperſedere commode poſſent; verum etiam nihil plane in publicum protruderent, niſi ſanum, rectum, politum, quod vel æterni Numinis gloriam intenderet, vel publica bonorum omnium commoda promoueret. Sed quoniam *nemo*, vt ille ait, *ſine vitio eſt*; nec *tantum neceſſitas errandi, ſed & errorum amor plerorumque animos conſtrinxit*; ſupervacuum forte laborem ſuciperemus, ſi inanibus votis, ſuſpiriis, aut lacrymis chartas illinere, & communi vlceri ineptum adeo remedium applicare vellemus. Itaque alia plane via hanc Erebi peſtem aggredi decet, ne optime ſentientes adunco naſo ſuſpenſi cachinnis eorum pateant, quibus peruerſæ conſuetudinis vſus omnem pene veritatis ſenſum ademit.

§. II. Vnde dubitari forte non incongrue poſſet, an non ſatius foret, vt omnes omnino libri e medio tollerentur; aut, quod clementius eſt, vt, nulli amplius in lucem prodirent, ne ſolidæ eruditionis vis in Bibliothecis collocetur, aut omnis ſapientia intra voluminum noſtrorum carceres concludatur.

§. III. Pythagoras certe, quem Saluianus lib. 1. de Gubernat: Dei, Magiſtram ſibi Philoſophiam delegiſſe tradit, non ex libris diſcipulos, ſed ex memoria erudiebat; ne eſſent, qui vel ſcriptis ſuis nimium confiderent; vel verba mortuorum in deterius raperent, præſertim ſi imperitiores, ab omnibus præſidiis deſtituti, extra ſocietatem ſuam agentes, in eiusmodi arcana inciderent. (vid. Io. Schefferus de nat: & conſtit. Sectæ Ital. p. m. 131.) Ex quo profecto facile intelligi poteſt, quod Iamblichus olim de Pythagoricis in vniuerſum loquens lib. 1. cap. 32. ſcripſit: *διατηροῦντες ἀγράφως ἐν μνήμῃ τοῖς διαδόχοις ἅπερ μυστήρια Θεῶν μεταπαραδιδόντες ſine vllo ſcripto poſteris ſucceſſoribusque ſuis conſeruabant (doctrinas) in memoria; easque perinde vt DEORUM myſteria ipſis tradebant.*

§. IV. Et licet quidem notiſſimam illam litem iam meam facere nolim: an Pythagoras aut illius diſcipuli poſteritati quædam ſcripta reliquerint, aut ipſi quibusdam libris in

in explicatione myſteriorum ſuorum vſi fuerint; (de quibus iterum Schefferus p. 131.) ſat tamen ſcio, præſtantiſſimos quosque Philoſophorum ingenium pro libris vſurpaſſe, veritatemque exemplo magis, quam inani verborum ſtrepitu declaraſſe.

§. V. De Socrate res in propatulo eſt, qui etſi primus Philoſophiam e cœlo deuocauit, & in vrbibus collocauit, & in domos introduxit, & de vita & moribus, rebusque bonis & malis quærere cepit; nunquam tamen, quod mirandum, eo compelli potuit, vt quod doceret ſtylo conſecraret, publicisque tabulis nomen ſuum æternitati conſecraret. Vnde etiam eſt, quod Cicero lib. 4. Tuſculan. Qu. palam teſtetur, *hanc amplisſimam omnium artium benè viuendi diſciplinam, maiores ſuos vita magis, quam literis perſecutos, veræque illius ac elegantis Philoſophiæ, quæ ducta a Socrate in Peripateticis adhuc permanſit, nulla fere aut pauca admodum monumenta ſupereſſe.*

§. VI. Habet quippe vera ſapientia neſcio quid peculiare: Raro exſpatiatur; etſi aliorum commodis ſtrenue ſemper inuigilet; nec impetu quodam, ſed ſenſim in animos hominum irrepens intra bene præparatum pectus latere, quam in detritis membranarum reliquiis tota hærere mauult.

§. VII. Qua ex cauſa an Sanctiſſimus etiam

iam Seruator beatiſſimas manus a ſcribendo retraxerit, ii imprimis iudicent, quibus amplum otium eſt, & maior de diuinis rebus iudicandi prudentia, quam mihi ſuppetit, quippe qui in limine adhuc conſtitutus, ad ſacratiſſimæ diſciplinæ illius adyta penetrare nondum potui. Quod ſi tamen ſtrepere parumper anſeri inter olores liceat, fatebor ego pro ſimplicitate mea ingenue, illam ad Abgarum Edeſſenum epiſtolam, nec tantæ mihi dignitatis nec vtilitatis videri, vt æterno DEI Filio adſcribi debeat; quicquid etiam Caueus Hiſt. lit. part. I. p. 2. in contrarium afferat, qui Euſebii potiſſimum auctoritate commotus, multa conquiſiuit, quæ colligere non fuiſſet opus, ſi errare potuiſſe Euſebium Vir alias doctiſſimus credidiſſet.

§. IIX. At enim per me quisque ſenſu ſuo abundet: Fac Ieſum noſtrum aliquas exaraſſe literas, de Socrate dubita, de Pythagora quære; ad Moſen prouoca, ad Prophetas, ad Apoſtolos, ad ipſius S. Scripturæ fontes; non repugnabo, largiar; ignominioſum primo apud Græcos fuiſſe libros conſcribere non dicam (vid. Ægidius Menagius ad Diogen. Laert. lib. 2. ſegm. 2.) laudabo Anaximandrum qui primus Themiſtio ac Diogene Laertio teſtibus librum de natura a ſe ſcriptum in lucem emiſit; in omnibus perquam facilem

me

me oſtendam; dummodo & tu mihi conceſſeris, eo pene deprauatis hominum moribus rem redactam fuiſſe, vt ſatius ſit non ſcribere, quam ſcribere communi more.

§. IX. Tolle enim ſi lubuerit oculos, & plauſtra inutilium chartarum deprehendes; papiliones, quisquilias, per tabernas quasuis circũſtrepentes;nullas,niſi te noua Rhetoricæ compendia capiant, hodomoriæ hodoſophiæ, aut ſanctioris Metaphyſicæ exercitia morentur, in Tigellii cuiusdam cerebro enata, Pharmacopolarum Collegiis digna, aut ſi mavis Theologica ſyſtemata, notæ, obſeruationes, quibus malos genios arcere, vel quascunque Hæreticorum ſtrophas ſubtili quadam ex Scoti,Suarezii, Henriquezii, Rodriquezii ſcholis depromta diſtinctione diſpellere ac diſſoluere queas.

§. X. Vbi quidem mirum videri non debet, ſi horrendis illis, ac infinitis pene nominibus innoxiæ mentes turbentur; etiamſi tu ſpecioſiſſimis verbis delectum ſuadeas, nec peſſimos, ſed optimæ notæ ſcriptores euoluendos cenſeas. Quis enim imperitioribus, quæſo, adſiſtet ſemper, vt cauere ſibi a noxiis & nullius pretii voluminibus diſcant? Quis prurientium adoleſcentium ingenia cohibebit, ad quasuis nouitates, ac ineptias pro-

niſſima? Fallet certe viarum multiplicitas Viatores, & qui vno calle certus iuit, hærebit in bivio, multoque maior erit triuii error, aut quadriuii. Non omnibus ea mentis ſagacitas ſupereſt, vt olfacere errores, & inanes ſcriptitantium meditationes honeſta quadam declinatione effugere queant. Plerique concham pro margarita arripiunt, nubem pro Iunone amplectuntur, & vt appoſite ingenioſiſſimus de la Mothe le Vayer tom. 13. problem. ſceptiques p. 225. *Le peuple*, inquit, *court plus ardamment a voir de monſtres, ou des bagatelles, que de belles choſes.*

§. XI. Quod ſi vero ſint, qui *nullum librum tam malum eſſe exiſtimant, qui non aliqua parte prodeſſet*; iis ego venenatiſſima quæuis animalia, araneos puto, ſerpentes, colubros, angues ex eadem ratione enixiſſime commendarem, quæ vtut plerumq; pernicioſa, nonnunquam tamen ſalubrioris medicinæ loco pertinaciſſimis corporum morbis depellendis feliciter adhibentur; quo quidem modo nihil tam inſanum erit, tam inconcinnum, tam ab omni ratione alienum, quod non defendi, excuſari, imo etiam laudari quam optime poſſit.

§. XII. Hoc vero illud ipſum eſt, quod ſanioris Philoſophiæ Cultoribus perſuaderi facile nequit, quippe qui a vaniſſimarum rerum

rum ſpecie alieni, ac inutilia faſtidientes ſeria cupiunt, ſana, recta, ne Martialis Satyra depexi inuiti demum audiant: (lib. 10 Epigr. 4.)

Quid te vana iuuant miſeræ ludibria chartæ?
Hoc age quod poſſis dicere iure meum eſt.

At an nihil meum ſit, nihil tuum, nihil noſtrum, quod ex aliena mente defluxit, ac peregrinis tabulis inſcriptum eſt, amplum aliquod problema eſto.

§. XIII. Quo ipſo tamen ſiniſtra aliorum iudicia experiri nolim, quaſi ab vno extremo ad alterum delapſus omnia eruditionis inſtrumenta exterminare, aut doctiſſimorum Virorum induſtriam conuiciis proſcindere; aut quicquid bonorum librorum eſt flammis dare cupiam; cum longe mihi alia mens, alia ratio, ſcopus alius, alius animus ſit. Omnia enim quæ dixi, eo tantum fine prolata ſunt, ne obuia quæuis folia, Bauius & Meuius, Crethi & Plethi, cœco impetu ſuſcipiantur, vel cruda ſtudia in vulgus proiiciantur, vel omnis ſcientia in chartarum latibulis quæratur; vel denique quod aliorum ingenio debetur propriis meditationibus ſine ratione præferatur. Ad quod euincendum ea primum in dubium vocare lubuit, quæ clariſſima, omnique exceptione firmiora videbantur, vt præiudicatis opinionibus liberati animi ampliorem rei deductionem faci-

lius capiant; quam nunc ſubiicere Lectoris oculis firmiter nobiscum conſtituimus.

§. XIV. Quare omnium primum attendendum eſſe credo, immutata primi hominis origine, poſterorũ etiam conditionem ac ſtatum non leuiter immutatum fuiſſe. Nemo enim eſt qui non videat, exquiſitiſſimæ eruditionis copiam non minus adfuturam fuisſe Adamo, etiamſi nec literæ, nec libri, nec ſcripta innotuiſſent, quæ nunc omne punctum ferre omnesque numeros adimplere videntur. Ipſa mens diuinæ ſapientiæ radiis colluſtrata perfectiſſimi libelli vices ſuppleuiſſet; nec vllus vnquam defectus, aut ignorantia ſiue ad cœleſtes, ſiue ad corporeas res animum deflectas, locum habitura fuiſſet. At enim vero rerum facie ſic conuerſa, dum ſtudium, labor, induſtria in locum abſolutiſſimæ felicitatis ſucceſſit, alter alterum ingenio ſuperat, & viæ neſcius error ambiguum perquam iter effecit; iam inquam pluribus nos adminiculis egere palam eſt, niſi quidem labi, errare, aut inſcii ignarique rerum omnium in ſolitudine quadam deliteſcere velimus.

§. XV. Quæ incommoda vt depellantur, iis imprimis certa ac firma obligatio impoſita videtur, quibus diuinitus ſingularis ingenii vigor, mentisque perſpicacia contingit, vt abſter-

abſtergere aliorum tenebras, eosdemque in clariſſimam veritatis lucem reponere teneantur.

§. XVI. Nam quod Pythagorici multique ex porticu Sapientem ſuum adeo remotum ab humanis rebus finxerint, vt non tantum *ignorare vicinum proximumque ſuum, ſed & neſcire voluerint, homone ſit an aliud quodpiam brutum*: (vid. Iamblich. in protrept. cap. 14. item Schefferus de Sect. Ital. p. 65.) iſtud ex intemperantia illius Philoſophiæ, diuinæque ſimilitudinis quadam affectatione defluxit: indignum dogma, cui Viri, quibus æs triplex circa pectus erat, nomen ſuum darent, omnemque occaſionem de genere humano bene merendi inſuper haberent.

§. XVII. Quapropter rectius edocti otioſos eiusmodi homines dicimus; ſed alio plane, quam Seneca ſenſu, qui inter *ignavam ac otioſam Vitam* Stoicorum more diſtinxit (vid. ep. 55.) certi ſatis ac conuicti, *nos ipſius naturæ ſtimulis impelli, vt prodeſſe velimus quam plurimis, imprimisque docendo, rationibusque prudentiæ tradendis.* (*Cic. de finibus lib.* 3.)

§. XIIX. Quæ enim invidia foret quæſo, quod animi ingrati ſignum, ſi occultare veritatem, aut accenſo ſemel lumine caliginem inducere poſteris velimus; ne eadem felicitate vſi euitare ſcopulos, obſcurasque diffi-

cultates fauſto pede transcendere poſſint; quæ ſine numero ſunt, tenerasque mentes haud raro in ramoſa compita deducunt.

§. XIX. Nam illud, quantum ego quidem video, nil niſi ludus, iocusque eſt, ac mera cauillatio, qua eadem mortalibus ingenij fertilitas tribuitur, idem tenor, æqualis ſapientia: ſed quod improbabile adeo atque incredibile ſagacioribus videtur, ac ſi eadem homines ſtatura, ac figura corporis metiendos eſſe, perſuadere iisdem cupias. Tolle enim ſi placuerit pumilionem, eundemque in immanis magnitudinis viri humeros effer; ac tum demum an non longius proſpiciat perpende, quam ſi humili in loco conſtitutus, intra paruitatis ſuæ limites ſibi tantum relictus fuiſſet.

§. xx. Quod cum euidentibus ſignis commotus fateri tandem cogaris; quonam pacto inhumanitas eorum defendi queat, non video, qui excogitatis licet per ingenii ſolertiam vtilibus, ea tamen ſoli retinent, & nec arte, nec opera, nec facultatibus communem hominum ſocietatem deuinciunt, immemores illius Horatiani: quam *parum ſepultæ diſtet inertiæ celata virtus*, auaris ſimiles, quibus hoſpitium in tartaro aſſignatum, dum

- *Diuitiis ſoli incubuere repertis*
nec partem poſuere ſuis - (Virgil. l. 6. Æneid.

§. XXI.

§. XXI. Itaque pari illos cenſu venire arbitror, qui quæuis ingenii ſui phantaſmata pro arcanis ac myſteriis publice ſine delectu venditant, quam qui generis humani pertæſi ſecum tantum & cum ſpeculationibus ſuis loquuntur.

§. XXII. Merito enim ii, quibus intus lumẽ eſt, alta mens, & quædam quaſi ſapientiæ abundantia foras egrediuntur, ac Imperitiores verbis, Eruditos ſcriptis erudiunt; etiãſi peculiaris vocationis tabulas oſtentare; aut Ampliſſimæ Facultatis decretum producere non valeant; quæ omnia conſuetudine tantum, exemplis, ac humanæ auctoritatis præiudicio firmata genuinæ ac ſolidæ eruditioni nec fucũ, nec ſcrupulũ facere apta ſunt.

§. XXIII. Quapropter in hoc omnis ratio volui videtur; an ea tibi ingenii ſolertia ſit, an ſubactum ſatis iudicium; an bene coctum pectus; quod vt cognoſcas in te ipſum deſcendere ac interiora excutere fas eſt, ne te gloriæ auaritia decipiat, aut inſatiabilis famæ cupido, aut crebra aliorum exempla ad altiora, quam par eſt, tranſire faciant. Quippe in hoc Origenem te imitari nolim qui Iuuenis ad modum calamum prehendens

- librorum tot millia ſcripſit,
quo legio miſſos mittit in arma viros.

Pauci enim adeo capaci ac amplo ingenio ſunt,

ſunt, pauci Adamantes,pauciores Adamantii, adeo vt hic te ſuperbam ſequi virginem malim, quæ non prius in aliorum conſpectum prodire ſuſtinet, quam cum ſplendiſſime exornata nec in facie maculam, nec inconcinni quidpiam in habitu deprehendit.

§. XXIV. Quod quidem ſi dictum ſibi crederent noſtri ſeculi homines, non tot certe operum magnorumProdromi oculos noſtros ferirent, tot adoleſcentiæ ſpecimina in vulgus emitterentur; non tot Critici ſcripturæ ſenſum peruerterent,tot Commentarii Grotium obſcurarent; tot Rabulæ perſpicuis interdum legibus tenebras offunderent; tot Medici ac PhiloſophiGaleni,Hippocratis,Ariſtotelis,aut Carteſii dogmata recoquerent; Nullus hiſtoricis, vt loquuntur, Calendariis locus eſſet, nullum Poſtillis, nullum ineptis Concionum diſpoſitionibus pretium conſtitueretur, plagia ceſſarent, triobolares tacerent, nec vltra Grammaticæ ſuæ crepidam profilientes Martialis ſtylo pungerentur:

Ludi magiſtri parcite ſimplici turbæ.

§.XXV.At enim vero cum plerique verũ ac genuinum librorum ſcopũ ignorent,qui ſolius DEI gloria ac proximi noſtri commodum eſt, plerique etiam ſine delectu ambitionis ſolum oeſtro perciti, infauſtam manũ ferulæ ſubducunt, & cum tot vbique charta-

rum

rum fæces occurrunt, officinas librarias ingrediantur, in hoc ſolum intenti, vt ſi ſpes etiam numi refulſerit, verba conentur, & picarum ac pſittacorum more homines, hoc eſt doctiores imitentur. Quibus ſi quis helleborum ac ſanam mentem apprecetur: ei forte multum debebunt ſcribentes; iis tamen quod credo plus multo, qui ad Scholaſtica illos ſceptra reducere; aut niſi hoc velint lignis findendis aliisque ſeruilibus operis applicare pergent; ne fame concitatus venter ignotas artes edoceat, & aliquam ingenii fiduciam, quod illis tamen deeſt, deſperantibus inducat.

§. XXVI. Qua ratione iſtud ad minimum conſequeremur, ne Germani centenariis amplius lapidibus membranas ſuas venderent; quorum multos, fateor, adeo ſcribendi prurigo corripuit, vt ſingulis fere menſibus concipientes, ſeipſos nemine urgente præcipitent, cœcosque catulos pariendo in hoc ſolum glorientur, nullis ſibi doloribus enixos foetus conſtitiſſe, digni propterea, vt confeſtim fides habeatur; ne ſibi ipſis adulantes perſuadeant, ſe grande aliquid, atque ſublime dediſſe, quod in aliis vix ac ne vix quidem pulmo animæ prælargus anhelaret, aut circumſpectiſſime adhibita induſtria produceret.

§. XXVII De

§. XXVII. De quo cum iam aliorum notæ querimoniæ ſint, nec exterorum cenſuræ ac conuicia lateant; nos age ad Polemica nunc parumper deſcendamus; ad pugnas, rixas, vel ſi mavis Eruditorum bella, viſuri, quo iure, quaue iniuria gerantur; etiamſi ſtultum fore exiſtimes inter publicos tumultus de legibus loqui; aut inter armorum ſtrepitus de iure disceptare. Nam hoc ipſum eſt quod quæritur: An odiis, armis, diſſidiis in inueſtiganda veritate opus ſit, & an non pacifice omnia, ac tranquille, cum errores aliorum deteguntur, componi poſſint ac debeanr.

§. XXIIX. Eſt enim certe nihil veritati magis contrarium; nihil rectæ rationi magis aduerſum, quam violentia. ' Duci, non rapi vult animus humanus; nec dubium eſt, quin vnicum moderatioris ingenii verbum plus agat, quam integer arrogantis animalis tractatus. Quis autem non deteſtaretur eiusmodi fatuum, qui erranti viam commonſtraturus eum per vepreta, per ſentes, per ſaxa traheret; & tantum non furore correptus colaphis cæderet, quod in deuia præter culpam prolapſus a regio tramite aliquantum declinauerit? Hunc igitur ſi ineptum appellamus, ſi impium dicimus, ſi rabidum vocamus; quid ſentiendum erit, quæſo, de hominibus, vt aiunt, doctis, quorum feritatem

tem humaniores emollire literæ debent; ſed qui grauiter, imo grauius hic impingunt, quam qui ex populo ſunt, nec vnquam aliquid de elegantioribus diſciplinis ac artibus reſcivere.

§. XXIX. Cuius quidem mali originem ii facile intelligent, quibus corruptæ Philautiæ affectus innotuit, & veræ ſapientiæ a falſa non obſcurum diſcrimen eſt; qua plerique infecti eo tandem deferuntur, vt nihil in mundo melius eſſe, quam ſe putent, & poſt ſua magnificentius iactata, alios allatrent, quo plus præſtitiſſe viſi ſuperiores cæteris gradiantur.

§. XXX. Quapropter illud ex porticu effatum: *Sapientes ſoli inter ſe amici, ſoli amare gnari* (vid. Lipſius lib. 3. Manud. diſſert. 16.) de iis caue intelligas, quos veris rerum vocabulis amiſſis, communiter eruditos dicimus, ſapientibus, etſi præter ſyſtema ſuum ac latinam linguam nihil norunt; peſſimi omnium, cum eos ſui præpoſterus amor in fontem ſuum ſubinde regurgitat, vt nil niſi ſuum admirabundi ſuſcipientes reliquos ſpernant, diſſentientes perſequantur; quaſi piaculum foret, a nugipoly loquidibus diſſentire.

§. XXXI. Quos tales certe tantum abeſt, vt maſculæ Philoſophiæ defenſores ſapientum nomine deſignarent; vt eos potius, qui

ambitione, ſtudiorum liberalium vana oſtentatione, & nihil ſonantibus literis ad gaudium illud contendunt, ſolicite ab iis diſtinxerint. (vid. Seneca epiſt. 59.)

§. XXXII. Eſt enim veræ ac genuinæ eruditioni nihil cum his vitiis commercii; neminem illa dedignatur; ſeipſam non effert: veritatem ac honeſtatem vbique veneratur; eamque non in ſe tantum, ſed & in aliis æquis oculis adſpicit: non furit, cum contradicitur; non conuiciatur, cum docet; non altercatur, cum errores oſtendit: blanda eſt, affabilis, manſueta; moderatione, charitate, commiſeratione temperata, prouida cum loquitur, cauta cũſcribit, tota ſuauitas, amor tota, deliciæ tota, cui non poteſt non illud Antonini probari: *ἴδιον ἀνθρώπου φιλεῖν καὶ τοὺς πταίοντας· τοῦτο δὲ γίνεται, ἐὰν συμπροσπίπτῃ σοι, ὅτι καὶ συγγενεῖς, καὶ δι᾽ ἄγνοιαν ἄκοντες ἁμαρτάνουσι· καὶ ὡς μετ᾽ ὀλίγον ἀμφότεροι τεθνήξεσθαι, καὶ πρὸ πάντων ὅτι οὐκ ἔβλαψέ σε· οὐ γὰρ τὸ ἡγεμονικόν σου χεῖρον ἐποίησεν ἢ πρόσθεν ἦν.*

§. XXXIII. Et poſſent ſane his moribus eiuere eruditi, ſi rectæ rationis ductum ſecuti intra amicæ correctionis terminos ſubſtitiſſent, nec auctoritati ſuæ timentes perfectiſſimæ ſcientiæ gloriam affectaſſent. At poſtquam infuſa animis, odia ex diſputationibus bella, ex oſtenſione errorum pugnas, ex beneficiis mala effecerunt: quid mirum, o! boni,

boni, ſi fraudes etiam, ſi doli, ſi tormenta, ſi machinæ, ſi furores in Republica literaria deprehendantur, aliorumq; fama calumniis, mendaciis, conuiciis expugnetur.

§. XXXIV. Olim certe illa ſapientiæ corcula, Pythagoram intelligo, atque Socratem, ab hac peruerſa rixandi conſuetudine longiſſime remota fuere; nec dubito, quin noſtri æui hominibus pudorem incutere, bonæque mentis documenta præbere potuiſſent; dum ille aut nunquam iratus; aut non niſi ſedatus quidpiam ageret aut ſcriberet (vid. Scheff. loc. cit. p. 165.) huic vero velut proprium eſſet, *μηδέποτε παροξυνθῆναι ἐν λόγῳ, μηδέποτε λοίδορον προσενέγκασθαι, μηδὲν μηδέποτε ὑβριστικὸν, ἀλλὰ τῶν λοιδορούντων ἀνέχεσθαι καὶ παύειν μάχην.* (Epictet. apud Arrian. lib. 2. cap. 12.)

§. XXXV. Quem candorem fruſtra in reliqua Philoſophorum turba quæſiveris; nec in Ariſtotele etiam, quem tamen Hieronymus finem humani intellectus appellat, facile inueneris; quippe qui in exponendis Veterum opinionibus multa callide, ſubdoleque egit, eosque, dicente Verulamio lib. 3. de Augment. ſcient. p. 58. vt *Ottomanni ſuos fratres ſcriptis ſuis trucidauit, vt ſolus regnaret*; nullo nec iuſtitiæ, nec honeſtatis prætextu, niſi quidem mendacio egere veritatem temere

dixeris. add. Horn. Hiſt. Philoſoph. lib. 3. c. 15.

§. XXXVI Sed enim cum ſuis tranſeat Stagirita; defendant, qui volunt; laudent, qui poſſunt; commendent, quibus deliciæ illius ad palatum ſunt; ego non commendo, ſed meos potius ad antiquum Veterum Chriſtianorum ſapientiam remitto; qui diſputationes quasuis euitantes, ſimplicitate, ſanctitate, patientia certabant; infirmiores tolerando, nemini inſultantes, errantes docendo, nullum condemnantes, toti ſani ac innocentes, calamos in ſui defenſionem, non in alterius perniciem ſtringendo; nihil ſentientes, dicentes, facientes, ex quo non probitatis ſacramentum eluceret; quo ſe ad virtutum quarumuis exercitia pignorata quaſi ſalute obſtrinxerant. (vid. Frid. Spanhemii Oratio de Chriſtianiſmo degenere.)

§. XXXVII. Euolue enim veterum Annales, & fraterni amoris incendia videbis; nulla certamina, odia nulla; niſi cum Sabellianorum, Samoſatenianorum, Arrianorum, hæreticorum nomina innotuere: & infauſta Conſilia ad Concilia applicarentur: quibus commiſtus orbis amantium ſcholas in arenas gladiatorias, Templa in Amphitheatra, Miniſtros pacis in Feciales, in tubas, in flabella bellorum commutata deprehendit. Tum ergo

ergo Anathemata procuſa, volumina conſcripta, controuerſiæ emiſſæ: Hinc Athanaſius; illinc Euſebius; hic Cyrillus, iſthic Neſtorius ſæuiebant; & modo Oriens, modo Occidens concuſſus, nil niſi fulmina,iras,cupidines, turbas,metus ſpirabat; adeo vt in conſuetudinem fere abiret: altercari, nemoque ſe Eccleſiæ Patrem crederet; niſi aduerſarium ſibi deligens eum Hæreſeos, inſcitiæ, ignorantiæ, omniumque criminum conuiciſſet. (vid. Gregor. Nazianz. epiſt. 55. ad Procop.)

§. XXXIIX. Tædet me illius confuſionis; ſed magis me piget eorum, qui grande aliquod flagitium credunt, ſancta Antiſtitum illorum nomina denigrare: hoc eſt, Ambroſii,Auguſtini,Hieronymi aliorumque nævos agnoſcere.

§. XXXIX. Quod peruerſum præiudicium, neſcio an non ſequiorum ſeculorum Theologos ad parem intemperantiam compulerit; qui lites, iurgia, obtrectationes, probra in eorum ſcriptis videntes præclare ſecum actum exiſtimabant, ſi eodem decurrentes, veſtigia Beatiſſimorum Patrum ſequerentur, aduerſariisque ſuis inuidiam,odium, peſtem conciliarent.

§. XL. Quid enim aliud ſibi volunt virulentæ huius & ſuperioris ſeculi chartæ? quid

portentoſi in libris tituli? quid centies cocta crambe? quid Antibellarmini? Anti-Caluiniſmi, Anti-ſocinianiſmi? Syncretiſtarum, Sectarum, Schiſmatum excogitata vocabula? Quid Demagogicæ prædicantium voces? quibus nec Pontificius, nec Reformatus, nec Lutheranus, aut Socinianus ad veritatis lucem deducitur; Sed omnes potius Cimmeriis tenebris circumfuſi infra pulpita clamitantium Doctorum ſuorum miſere ac æternum contabeſcunt.

§. XLI. At orthodoxæ, inquis, animæ decipiuntur: Aduerſariis noſtris os obturandum eſt, ne latius ſerpat venenum, neue ſe refutari non poſſe animum inducant. Vaniſſimum effugium: vtinam tu non deciperes, & ingenio & affectibus velificaturus ambitioni zelum, offenſioni defenſionem, religionem ſceleri, priuatis commodis publicam Eccleſiæ ſalutem prætexeres! Fabulæ ſunt. Tu inclareſcere cupis; hinc perituræ chartæ non parcis; hæreticorum malleus eſſe expetis; hinc concitatus moues, quatis, furis. Reliqui tacent: Tu cum laruis luctaris; & tecum tantum de Prædeſtinatione, de Purgatorio, de Atheiſmo, ex Quenſtedii tui ſyſtemate; multis veterum ac recentiorum ſcriptis allegatis, ineptiſſime decertas.

§. XLII. Iam vero ſi Cleri, vel ſi mauis, Mi-

Miniſterii Eccleſiaſtici capita tantis ſimultatibus diſtenta in eiusmodi dedecora prorumpunt; quid mirum, ſi & alii ſacra Phariſæorum auctoritate commoti effrenatam litigandi licentiam vſurpent? Res ipſa loquitur, non ego. Neque enim aut Caius tantum aut Paulus diuerſis opinionibus in contrarium nixi bella ſibi fecerunt, verum etiam noſtris temporibus eadem vertigine abrepti paria faciunt; & modo hic mortuis Leonibus inſultans, analecta alienorum errorum colligit, modo ille neſcio quam trutinam conficiens ingenii ſui phantaſmata admiratur, bis mille alteri errores ex Iure ſuo demonſtraturus; dummodo eruditus orbis pro erroribus ea agnouerit, quæ vel cum dichotomiis, vel locis eius communibus non conueniunt.

§. XLIII. Adeo inter leges etiam rixandi cacoethes inualuit! quod Medicos demum adortum, vniuerſam pene medendi facultatem in ſcrupulos transmutauit. Quorum tamen controuerſiis recenſendis iure ſuperſedemus, ne veterum de Circulatione ſanguinis emiſſa ſcripta recurrant; aut hic tibi venæ ſectionem commendaturus mille impugnanti iniurias dicat; ille carnes disſuadens fungos laudet, iſte piſa, lentes obſonia condemnans aliud quiddam ſubſtituat, in hoc ſolum concordes, quod Rhabarbarum pnr-

B 4 ger,

get, & ſpiritu deficiente homines emoriantur.

§. XLIV. An autem in Philoſophorum ſcholis alta pax ſit, & vera ac toties iactata animi tranquillitas regnet; tot ſectæ prohibent, vt credamus, tot Magiſtrorum vocabula impediunt, tot ſcripta morantur, nil niſi fel, virus, odium, liuorem euomentia. Iurares mundum illorum hominum diſputationibus traditum fuiſſe; adeo nullus conuitiorum finis eſt, nulla meta. Qui Ariſtotelem ſequuntur eum ut ſolem reſpiciunt, omnes ignorantiæ nebulas dispellentem: Qui Carteſium venerantur, primum eum inacceſſũ per tot ſecula verum e longæ caliginis vmbris eruiſſe ſibi perſuadent; qui Epicurum aut Gaſſendum adorant, alios laudum titulos excogitant, ne ſui poſt principia ſubſiſtant Doctores; & extremos viliſſimæ exiſtimationis ſcabies occupet.

§. XLV. Inde ergo faces, factiones, tumultus. Tolle namque ex Ethicæ tuæ latifundiis receptas de ſummo bono diſpoſitiones; aut virtutem nega inter duo ſemper extrema veluti roſam inter ſpinas conſiſtere; & crabrones ex Peripato advolantes, ac capiti Tuo imminentes deprehendes. Dic Carteſianos illos vortices, ac vim Aeris elaſticam ingenii tui captum tranſcendere; &

ma-

machinas tibi adhibebunt, & experimentis, ſi Diis placent, modeſtiæ ſuæ te docebunt.

§. XLVI. Vnusquisque enim illorum conclusiones ſuas omnes æque certo ac firmiter ac Euclidis elementa iam demonſtratas eſſe arbitratur; vnde rancor & indignatio, ſiquid contra delectum ſemel ſyſtema afferatur; quæ multos ſæpe ad eum dementiæ gradum prouexit; vt Voetium imitati illorum refutare ſcripta decreuerint, quæ in lucem nondum producta, hypotheſibus tamen illorum aliquid detrimenti portendere videbantur. (conf. Frid. Spanh. Orat. de Emendandis ſtudiis.)

§. XLVII. Ecce igitur ſuperbum, ac impatiens veritatis animal ipſum hominem! qui quo plus ſcientiæ ſibi acquiſiuiſſe videtur, eo minus conſcientiæ retinet; cumque ea quæ neſcit ſine occultatione ignorantiæ addiſcere debeat; neſcio qua impetigine corruptus recalcitrat, magnæque Dianæ honorem propriæ exiſtimationi turpiter prætexens, tumultuatur; quaſi iam omnis eruditionis æquore a ſe exhauſto, nulla reliquis gutta ſupereſſet; nihil & amplius dici poſſet, quod nullis limitibus circumſcripta mens ad extremos non peruagata apices fuiſſet. Qui quidem intolerabilis faſtus non tantum ab antiqua illa ſapientia quam longiſſime rece-

dit; *quæ tam diu diſcit*, monente Seneca epiſt. 76. *quamdiu neſcit*, imo *quam diu vivit*; verum etiam confuſionis omnis, disputationum quarumcunque, errorum, ſectarum, ſchiſmatum, vniuerſarumque litium maxima & vnica cauſa eſt.

§. XLVIII. Nam ſi nihil humani a ſe alienum putarent homines, qui tota vita incurſitant, & quo circumſpectius pedem figunt, eo gravius ſæpe impingunt; ſi hac inquam doctrina imbuti ad ſe redeuntes in propria viſcera deſcenderent; non inter ſcelera credo, & iniurias opinionem perfectionis affectarent; aut iis quæ temere prolata ſunt, ſpeciem aliquam recti induerent; aut impotenti affectuum turbine concitati manſuetudinis, humilitatis, modeſtiæ, amoris, omniumque virtutum obliuiſcerentur.

§. XLIX. Caue enim dixeris: Priores impugnant, ergo depexos dabimus; contra dicunt, igitur animus armandus eſt; obloquuntur, ergo calamus in prælium deſcendat: Non ſic, non ſic, o mei. Ad extremum hæc via perducit; ad ſaxa, ad ſcopulos, ad præcipitia impellit. Agite potius, ex cutite pectus, videte, an verum docuerint diſſentientes, an errantes monuerint, an labentes adiuuerint; an tenebris impeditis opem tulerint? Hoc ſi præſtiterunt, quæ pertina-

tinacia eſt defendere errorem? quod obſtinati animi indicium inſultare benefactoribus, obluctari veritati, contra ſe ipſum, contra Deum, contra rectam rationem pugnare? *Nimis perverſe*, inquit Auguſtinus in epiſt. ad Marcellum, *ſe ipſum amat, qui & alios vult errare, vt error ſuus lateat; quanto eſt melius, & vtilius, vbi ipſe errauit, alii non errent, quorum admonitio errore careat.*

§. L. Quod ſi tamen exploratum nobis fuerit, detorqueri ab aliis mentem, aliorſum verba deflecti; peregrinum iisdem ſenſum affingi, non capi, non intelligi; eia, attendite, aliud remedium ſupereſt: ſcribite, non repugno, aliquam Apologiam, ſed quæ ſine felle ſit; explicate diſtinctius quæ intus ſedent, animumque inhabitant: adhibete, non impedio, exempla, promite ſimilitudines, producite interrogationes, quibus Socrates vſus, non ſemel præfractæ ceruicis adverſarios confudit. (conf. Ioh. Clerici Log. p. 267.)

§. LI. Hac via plus forte proficietis, quam ſi omnis generis fulmina in aduerſarios proiiciatis: Humanitatis dulcedo barbara etiam ingenia penetrabit, truces calamos emolliet, calentes animos demulcebit, & inter arma contraria, inter diſtrictos cominus mucrones placidum vobis iter aperiet.

§. LII.

§. LII. Quod ſi nondum conuicti de novo inſurrexerint opponentes; oculisque clauſis contentioſius ſcripſerint; Vos tacete, oleum alias atque operam perdituri. Tu hircum mulgebis, ille cribrum ſupponet; tu lucem affundes, ille fumum obiiciet, nec ſcio an repetitæ reſponſiones veritatem magis diduxerint vnquam, an abduxerint. Vitia erunt donec homines: pertinacia donec mundus; error donec diſputatio. Veritas inuoluta in alto poſita eſt; pauci vident, pauciores ad eam tendunt, pauciſſimi amplectuntur. *Plura multo homines odio aut amore judicant aut cupiditate aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis; quam veritate aut præſcripto.* (Cic. de Orat. lib. 2. cap. 41. *Vn liure, adiicit* laudatus de la Mothe le Vayer tom. 12. letr. 118. *pour excellent qui ſoit, n'a pas le priuilege de la Manue d'étre en toutes ſes parties agreable, a toute ſorte de gout: & ſouvent de certaines endroits qui deplaisent aux uns, donnent de la ſatisfaction à d'autres.* Ad vnum omnes ingenium, aut vnam vniuerſos ſententiam reducere non hominis, ſed DEI eſt, non mortalis, ſed immortalis; non terrenæ, ſed cœleſtis ſapientiæ.

§. LIII. Itaque turbari nolite aduerſantium multitudine. Erit, erit illud profecto tempus,

pus, & illuceſcet aliquando dies, cum rebus motu aliquo communium temporum immutatis, oſtenſa ſemel veritas in lucem producetur: quæ neque audientium comitatui, nec publico conſenſui innititur; cum *victorum ſit*, teſte Seneca, *ad populum prouocare, alienisque armis confidere.* (epiſt. 117.)

§. LIV. Fac vero eo quosdam procedere, vt doceri cupiant; aut vlterius te ſcriptis ſuis adorti, veritatem expiſcari videantur; quid tum? an nouis forte reſponſionibus opus erit? an reiteranda ſemel dicta? an repetenda? Non putauerim, adeoque nec ſuaſerim. Latebræ ſunt, receſſus, inſidiæ. Si rationem audient, ad priora conuerſi meditabuntur, meditari videbunt; videntes tacebunt. Si non, actum ages, & citius ex muto loquentem, quam ex his loquentibus mutos efficies. Tu igitur, ſi ſapis cœpto ſemel ſilentio inſiſte; & ſi me audis, hic quoque Senecam audi; Ita enim ille epiſt. 112. *De quo ſcribis & mandas, non habet vires: indulſit vitiis, ſimul & emarcuit, & induruit. Non poteſt recipere rationem, non poteſt nutrire. At cupit ipſe. Noli credere. Non dico illum mentiri Tibi. Putat ſe cupere. Stomachum illi fecit luxuria: cito tamen redibit in gratiam.* add. Poiret de Erud ſolid. lib. I. part. 3, §. 36.

§. LV. Sed conuitiantur, pergis, an feram? con-

contumelioſiſſime maledicunt, an patiar? acerbe inſultant, an tacebo? Tacebis certe. Hic te genuinæ Philoſophiæ præcepta inuulnerabilem magis præſtabunt, quam ignoti Magiæ characteres. Contemtiſſima animalia ſunt, quæ natura veneno armauit: corde carent, viribus deſtituuntur. Quoscunque vehementius latrantes audiueris canes; timidos crede, quos non ſedabis citius, quam generoſo contemtu. Iis autem quos contemnimus, non iraſcimur, ne gloriæ ſibi ducant, nos reſpondiſſe, aut laudibus ſuis aliquid accedere exiſtiment, nos illorum næni-as refutatione quadam dignas iudicaſſe. Recte enim ſi vnquam Cato Senex Fragm. de Re militari: *Scio, ait, quæ ſcripta ſunt ſi palam proferantur, multos fore qui vitilitigent; ſed ii potisſimum, qui veræ laudis expertes ſunt: eorum ego orationes ſino præterfluere.*

§. LVI. Quod conſilium ſi doctisſimi in hoc ſeculo viri imitati modum hic ſeruaſſent; non tam peſtilens puto ſidus patriæ noſtræ fines afflaſſet: nec tot excellentia ingenia magno reipublicæ, literarumque detrimento belli quam pacis artibus effloreſcere maluiſſent. Forte plura ingenii monumenta G. Calixtus dediſſet, plura reipublicæ vtilia Pufendorfius ſcripſiſſet: nec tot eriſtica adhuc circumſtreperent, tot ſatyræ, tot

De-

declamationes circum volitarent, quibus nil niſi aliorum lapſus, inſcitia, odia, iniuriæ, calumniæ deteguntur; veritate interim in obſtruſo latitante; & malitia, improbitate, ac communibus erroribus Bacchanalia celebrantibus.

§. LVII. Quanto igitur rectius foret hanc in medio collocari palmam, vt raperent, qui poſſunt; vt certarent, qui ſciunt; vt ſcriberent, qui cauent; vt laborarent, qui valent; vt loquerentur quibus animus eſt: Nævi aliorum prudentioribus ſua ſponte patebunt: non buccina opus eſt; non perſpicillo; ſe ipſam prodit ineptia, ſe ipſum denudat furor, quorſum ergo illa conuicia? quorſum probroſa maledicta? Hæc mulieribus relinquenda ſunt, illa contemptæ plebi. Intemperantiæ ſat datum eſt; ſat affectibus, ſat iræ, ſat inhumanis moribus

Ite domum ſaturæ, venit Heſperus, ite capellæ.

Sic enim finio: nec dubito quin illi, quibus placida mens eſt, ſine critico quodam ſcrupulo, me finire hac ratione patiantur.

OBSERVATIO II.

De ORIGINE MORIS CREANDI EQVITES A ROMANIS PETENDA.

§.I. V*Irtutem præmiis compenſare omnes gentes*

tes norunt. §. II. *Ferreus annulus apud Romanos virtutis bellicæ inſigne.* §. III. *Bulla apud eosdem virtutis militaris inſigne.* §. IV. *Principum filii parmis & haſtis donabantur* §. V. *Troſſuli dicti principes iuuentutis.* §. VI. *Milites apud Romanos donabantur haſtis puris, armillis & torqubius* §. VII. *Baltheum virtutis militaris inſigne quale fuerit.*

§. I.

EA ſemper morum apud omnes gen tes fuitratio, vt laborem honor, virtutem ſequerentur præmia: nec gens aliqua a moribus tam aliena fuit, quæ non digna ſemper virtute brabea tulerit. Plura tamen, quod mireris, & maiora reperies pro ſagis præmia, quam togis, cum tamen nec absque togata militia ſagata conſeruari, immo nec conſiſtere queat: illa quidem huic ſubminiſtrat conſilia, hæc eadem exequitur. Inter præmia autem ob res in bello egregie geſtas diſtribui ſolita, præcipua erant cingulum, baltheus, gladius & alia arma fortitudinis inſignia. Quæ cum virtute parta, propalam donabantur a principibus & heroibus. Hac potiſſimum ex ratione, vt hiſce quidem ſtimuli eſſent ad maiora, aliis incitamenta ad virtutem. Inde nata eſt equites creandi conſuetudo,

tudo, quæ antiquiſſima eſt, nec nuper demum inuenta, ſed a primis inde temporibus repetenda. Heroes quidem, quos Troianum bellum celebrat, equites erant, quos diuinitus inauguratos & a diis arma conceſſa credebat antiquitas. Linquimus tamen fabuloſa hæc, ſub quibus vera quidem latere non ignoramus, ea tamen hic enodare noſtri iam non eſt inſtituti.

§. II. Ad Romanos pergimus, qui vti reliquas gentes potentia, prudentia, immo & virtute antecellebant, ita & virtutis præmia pro merito diſtribuere didicerant. *Ferrum quidē Romano more bellicæ virtutis inſigne erat*, inquit Plinius *XXXIII. c. I.* Loquitur quidem de antiquiſſimis temporibus, cum non niſi iis, qui legati ad exteras gentes ituri eſſent, annuli aurei publice darentur, alias ne ſenatores quidem aureis vterentur, nec tamen ferrum in annulis, tanquam inſigne, etiam poſteriori tempore exoleuit. Præterquam enim, quod idem Plinius auctor eſt *c. l.* auorum ſuorum memoria *multos prætura quoque functos in ferro conſenuiſſe, & Auguſto decurias ordinante, maiorem iudicum partem in ferreo annulo fuiſſe*, ſolenne quoque erat, vt qui triumpharet, annulum in digito ferreum haberet, ea quidem ex ratione, quod ferrum virtutis haberetur inſigne, licet aliam alii adſignent.

§. III. Primum virtutis militaris inſigne, ſingulare conceſſit Priſcus Tarquinius filio, quem, cum in prætextæ annis occidiſſet hoſtem, bulla aurea donauit. Plinius *XXXIII. c. I.* vnde mos bullæ durauit, vt eorum, qui equo meruiſſent filii, inſigne id haberent, cæteri lorum. Genuinum hoc ordinis equeſtris inſigne erat, & ſi noſtro vel ſuperiori tempore id factum, equites bullati inde originem traxiſſent. Macrobius enim *præmium* vocat *virilitatis & honoris. Saturn. I. c. VI.* Sicuti enim prætexta ante magiſtratuum, ita bulla geſtamen erat triumphantium, quare iisdem inſigniuit pater puerum vltra annos fortem. Inde & Cicero *I. in Verrem c. LVIII. ornamentum* vocat *pueritiæ, indicium atque inſigne fortunæ.* Bullas autem haſce, fuiſſe globos forma rotunda ex auro confectos, ex verbi notatione concludimus. Et quidem concauos fuiſſe, ex Macrobio diſcimus, quippe *triumphantes incluſere intra eam remedia, quæ crederent aduerſus inuidiam valentiſſima.* Alexander quidem ab Alexandro *lib. II. c. XXV.* figuram cordis habuiſſe adſerit, eo ſignare voluiſſe veteres addens, *eam ætatem alterius conſilio regendam*, quod tamen de ſuo, vti alia plura, Alexandrum finxiſſe putem, cum de hac cordis figura vix apud veteres aliquod occurrat monumentum, immo nec adductâ

ratio

ratio cum inſigni fortitudinis conueniat. Bullam autem hancce ſequiori ætate, veſticipes factos, prætextam cum toga comutantes, laribus adpendere ſolitos fuiſſe, teſtatur Perſius *ſat. V. v.30*, dum canit:

Cum primum pauido custos mihi purpura ceſſit,
Bullaque ſuccinctis laribus donata pependit.

§. IV. Inde apud eosdem moris erat, vt Principum filii dum virilem togam ſumerent, ab equitibus parmis & haſtis donarentur. Exemplum habemus in Caio & Lucio Cæſare, quod adfert Dio Casſius *lib. LV. p. m. 556*, vbi quidem parmas & haſtas aureas fuiſſe perhibet, lapis vero Ancyranus argenteas facit, in quo hæc verba: *equites autem Romani vniuerſi principem iuuentutis Caium haſtis argenteis donatum appellarunt*, quod etiam potius crediderim, cum auxiliares & externos torquibus aureis olim donatos fuiſſe, at ciues non niſi argenteis teſtetur Plinius *XXXIII. c. II.* Illam ipſam autem ſolennitatem bene exprimit nummus argenteus, qui a priori parte exhibet faciem Auguſti Imp. cum inſcriptione CAESAR AVGVSTVS D. F. PATER PATRIAE, pars auerſa vero repræſentat Caii & Lucii perſonas cum parmis & haſtis, ac ſacerdotum inſignibus, cum inſcriptione C. L. CAESS. AVG. F. COSS. DESIGN. PRINC. IVVENTVTIS, qui nummus dictum Dionis

locum egreg e explicat. Atque hic dies tyrocinii dicebatur, quem ſolenni more quotannis celebrabant. Suetonius *Tiberio c. LIV. & Caligula c. X.* Immo ipſæ quoque parmæ & haſtæ, iis mortuis, dein in curia fuere ſuſpenſæ; Dio *c. l.* non ſecus ac hodie in templis fieri ſolet, ſicuti & clypeos familiæ in locis quoque ſacris ponere conſueuerant Romani. Plinius *XXXV. c. III.*

§. V. Vocabantur autem iſti *troſſuli*, vti de Commodo Lampridius *c. II. Cooptatus*, inquit, *inter troſſulos principes iuuentutis, cum togam ſumſit.* Antiquitus quidem equites, ſeu qui ex equeſtri ordine erant, dicti fuere troſſuli, ea ex ratione, quod oppidum in Tuſcis circa Volſinios, eiusdem nominis, ſine vllo peditum adiumento cepiſſent. Plinius *XXXIII c. II.* poſtea vero, cum valorem nominis troſſuli non intelligerent, multos eo nomine adpellari puduit. Poſteriori tempore troſſulos vocabant τȣ̀ς κομψȣ̀ς ϰ̀ φιλοκάλȣς, qui cultu & toto vitæ genere cæteris præſtare vellent, vti innuit Caſaubonus *ad Perſii ſat. I. v. 82. p. m. 121.* Inde Varro Sesquiulyſſe: *nunc emunt troſſuli nardo nitidi vulgo Attico talento equum.* Et Seneca *ep. LXXXVII. o quam cuperem illi nunc occurrere aliquem ex his troſſulis in via diuitibus.* Qui factum, vt Imperatorum æuo, principes iuuentutis, quos omnibus præſta-

re volebant, adpellarent troſſulos, quod & ex loco ante adlegato adparet, quem emendauit Lipſius, pro *tres ſolos* legendo *troſſulos*, quem ſecuti Caſaubonus, Salmaſius & Gruterus. Idem confirmant & gloſſæ Iſidori, quæ *troſſulus* explicant per *equeſter adoleſcens*.

§. VI. Nec infrequens alias virtutis militaris apud Romanos præmium erat haſta. *Romani* enim *ſæpe fortes viros haſta donarunt*, inquit Feſtus. Et quidem eum, qui hoſtem percuſſerit, haſta fuiſſe donatum; qui vero deiecerit & ſpoliauerit, ſi pedes, phiala, equitem vero phalera & olim haſta tantum donatum teſtatur Polybius *lib. VI. c. XXXVII.* Sic & de Claudio ait Suetonius *in Vita c. XXVIII.* quod Poſidem ſpadonem Britannico triumpho inter militares viros haſta pura donauerit. Pura autem haſta quid ſit, Seruius ad illud Virgilii *Aen. VI. v. 760.*

Ille, vides? pura iuuenis qui nititur haſta.

Explicat, quod ſit ſine ferro, inde δόρατα ἀσίδηρα bene vertit Zonaras. Atque hæ exinde dictæ fuere haſtæ donaticæ Catoni apud Feſtum voce *Optionatus*. Sed præter haſtas, aliis quoque in præmium virtutis militaris donabantur meriti. Ita marmor antiquum apud Gruterum. *p. CCCL. n. 1.*

Q. ALBIO. Q. F. HOR. ILLICI
LEG. XX. V. V.
CORNICVLARIO. PR. PR.

DONIS. DONATO. AB. DIVO
TRAIANO. AVG.
TORQVIBVS. ARMILLIS
PHALERIS. BELLO. PARTHICO.
ET. AB
IMP. CAESARE. TRAIANO
HADRIANO. AVG. HASTA. PVRA.
ET. CORONA. AVREA
AVILLIA. SOTERIS. MATER
FILIO. OPTIMO. PIENTISSIMO
L. D. D. D.

Sic & de Probo teſtatur Vopiſcus *c. V.* quod bello Sarmatico tribunus, publice in concione donatus fuerit, *haſtis puris quatuor, coronis vallaribus duabus, corona ciuica vna, vexillis puris quatuor, armillis aureis duabus, torque aureo vno, patera ſacrificali quinquelibri vna.* Sic & Marius apud Salluſtium Iugurthino *c.* LXXXV. inter vſitata militaris gloriæ dona, & nobilitatis inſignia recenſet haſtas, vexilla, phaleras, & L. Siccius Dentatus de ſeipſo memorat, quod donatus haſtis, phaleris, torquibus, armillis, coronis; auctore Dionyſio Halicarn, *lib. X. p. m. 663.* adſtipulante Plinio *lib. VII. c. XXVIII.* & Gellio *lib. II. c. XI.* Præcipue vero donabantur armillis, de quibus Feſtus, quod illas viri militares ab Impp. donati gerant, quibus & pedites & equites fuiſſe donatos probat Lipſius *de militia Romana lib. III. dial. XVII.*

XVII. Ciuibus tamen tantum armillas donatas,non exteris videmus ex Plinio XXXIII.*c.II.* Liuio *X.c. XLIV.* Inde & torquibus donabantur. Plinius *c. l.* qui exinde torquati dicti, quos deſcribit Vegetius *II. c. VII.* quod ſint, *quibus torques aureus ſolidus virtutis præmium fuerit*, & Ambroſius de obitu Valentiniani Imp. *Tom. V. Op p.m. 56.* ait: *torques inſignia eſſe victoriæ, dubitari non poteſt, cum hi, qui in bello fortiter fecerint, torquibus honorentur.* Deſcribit autem talem torquem Curopalates de officio palat. *p.m.99.* quod fuerit ἐληλαμένος χρυσὸς ἐκ τριῶν πεπλεγμένος καθάπερ χοινίων,ὅπερ ἐφόρουν ἐπὶ τραχήλου, *aurum ductum implexum ex tribus quaſi funiculis, quod de collo geſtauerint.* Torquem autem ducis militaris fuiſſe inſigne teſtatur idem *p.m. 108.*

§. VII. Sub Imperatoribus inſigne militiæ erat baltheum, & ſingulari ducebatur honori, ſi quis baltheo,vel cingulo donabatur. Baltheum quid ſit deſcribit Varro *de LL. lib. IV p.m. 20. cingulum* enim eſſe ait *e corio bullatum.* Chariſius quidem *inſtit. Gramm. lib. I. p.m.59.* auctore.Plinio non conuenire inter ſe baltheum & baltheus putat, & maſculino quidem genere vinculum ſignificare, neutro autem lora ad ligandum apta,contra dicit tamen Voſſius *lib. I. de analogia c. XXXVI. p.m. 555.* ſubtilius hoc quam verius a Plinio ſcri-

ptum

ptum adſerens, ita vt bene explicet Iſidorus *XIX. c. XXXIII.* dum ait: *baltheus cingulum militare eſt dictus-vnde & dicitur non tantum quo cingitur, ſed etiam a quo arma dependent.* Et Sidonius Apollinaris *carm. II. v. 394. baltheus* quoque dixit pro *loris.*

applicat a laeua ſurgentem baltheus enſem.

Communiter pro vno eodemque habetur, cingulum, & baltheum, ſed perperam. Cingulum enim commune militiæ inſigne erat, cuilibet militi proprium, exinde frequens militiæ cingulum in vtroque Codice & Capitularibus Regum Francorum dicitur, ipſique milites cincti vel præcincti;& *cinguli prærogatiua l. 3. C. Th. de poſtulando* dicitur. Baltheus vero, vti ex Varrone vidimus, cingulum erat bullatum, quod ducibus tantum conueniebat,& viris in militia ſtrenuis. Bullæ autem, teſte Iſidoro, dictæ ſunt, *quod ſimiles ſint rotunditate bullis, quæ in aqua vento inflantur,* nobis optime exprimi poſſit ein Wehrgehenck mit Buckeln. Licet & iſta quoque cingula adpellari ſolita fuerint, vti Virgilius canit. *Aen. XII. v. 941.*

infelix humero cum adparuit alto
baltheus & nobis fulſerunt cingula bullis.

Ea potiſſimum ex ratione, quod formam quidem communis cinguli habuerint, quod tamen variis bullis & ornamentis, quæ balthe-

os

os adpellatos putauerim, inſignitum fuit. Quare & Claudianus de laudibus Stiliconis *lib. II. v.98.* vocat *cingula baccis aſpera.* Ita autem cingulis inſertos vel adnexos fuiſſe baltheos vt abſcindi potuiſſent, diſcimus ex Trebellii Pollionis Salonino *cap. II. cum* ait: *cingula ſua plerique militantium, qui ad conuiuium venerant, ponerent hora conuiuii, Saloninus puer, ſiue Gallienus, his auratos ſtellatosque baltheos rapuiſſe dicitur.* Sic & vernacula vrbanitate abſciſſos furtim batheos teſtatur Tacitus *Hiſtor. II. c. LXXXVIII.* Ducum quidem proprie inſigne erat baltheum, qui auratis vtebantur, quæ Ambroſius *ſerm. XIV. operoſa cingula auro fulgente pretioſa* vocat. Adrianum vero ſine auro baltheum ſumſiſſe teſtatur Spartianus *in vita c. X.* Sequiori tempore Macrinus gemmato auratoque baltheo fuit vſus. Herodianus *V. c. II.* & dein Gallienus Trebellius Pollio *in vita c. XVI.* Inde ad ſalarium Comitum limitaneorum quoque referebatur baltheum argenteum inauratum vnum, vti ex epiſtola Valeriani ad Zoſimionem procuratorem Syriæ apud Trebellium Pollionem vita Claudii *c. XIV.* diſcimus. Gregariis quoque militibus fuiſſe ſuos baltheos, Tacitus nos docet *Hiſt. I. c. LVII.* vbi eos cum phaleris coniungit, & vtraque vocat inſignia armorum argento decora. Eam autem inter ducum &

 gre-

gregariorum militum baltheos differentiam fuiſſe concludimus, quod horum quidem balthei tantum argento, ducum vero etiam auro ornati, & dum inſignia armorum vocat, & illud inde diſcimus, baltheos quoque militibus in ſignum fortitudinis & ob res in militia ſtrenue geſtas, non ſecus ac phaleras equitibus fuiſſe donatas atque conceſſas. Progreſſu temporis ad ciuilia etiam officia cingulum traductum fuit, ſine quo principem adire non licebat, vti loquitur Chryſoſtomus I. *ad Cor. Cap. II. ſerm. XX.* Quare & Coloſſeum Pannoniæ Comitem deſignatum Theodericus Rex ita compellat: *proficiſcere*, ait, *illuſtris cinguli dignitate præcinctus* apud Caſſiodorum *Var. Lect. III. ep. XXXII.* Ex quibus ſatis patebit, magnam fuiſſe cinguli auctoritatem & ſingulare virtutis inſigne. Taceamus iam coronas militares, ſpolia, aliaque militaria præmia, quæ in conſpectiſſima domus parte collocare moris erat. Polybius *VI. c. XXXVII.* & ex hiſce maxime in ſenatum legebantur, qui talia domi fixa haberent. Liuius *XXIII. c. XXIII.* ex quibus ſatis patet, bene compenſare virtutem nouiſſe Romanos.

OBSER-

OBSERVATIO III.

De ANTIQUISSIMA APVD GERMANOS CONSUETVDINE CREANDI EQUITES, ET RITIBVS VSQUE AD TEMPORA CAROLINGICA RECEPTIS.

§. I. *Germani ſcuto & framea olim iuuenes creabant.* §. II. *Adoptio per arma ſpecies quædam erat equeſtris ordinis, quæ deſcribitur.* §. III. *Ex barbararum gentium in orbem Chriſtianum irruptione originem traxit, vt reges Chriſtiani militiæ dignitate ornarentur.* §. IV. *Caroli M. & ſequiori tempore gladius inſigne inaugurationis equitum, addito colapho,* §. V. *Quo caſu alapa in equitum inaugurationibus addita & qua ex ratione.* §. VI. *Originem hoc habet a Romanorum manumiſſione per vindictam.* §. VII. *Differentia olim inter milites & nobiles.*

§. I.

SVam quidem laudem merentur Romani, quod condigna ſemper virtuti præmia conſtituerint, nec tamen illis in hisce cedunt Germani, qui vti ſtrenui milites omni ætate fuere, ita & militarem virtutem æſtimare, eandemque condignis præmiis ſem-

ſemper venerari ſoliti fuere. Nec autem Germani hoc a Romanis, nec ab iisdem Romani didicere, cum vtrique genti ſuæ olim ſeparatæ fuerint rationes, nec quidpiam inter ſe habuerint commune, vsque dum ambitio Romanorum & in mediam Germaniam ſe extenderit. Si quidem antiquiſſima reſpicimus tempora, morem reperiemus apud Germanos vſitatum, a noſtro non adeo abſimilem, vt non in multis conferri poſſit. *Arma ſumere*, inquit Tacitus Germania c. XIII. *non ante cuiquam moris, quam ciuitas ſuffecturum probauerit. Tum in ipſo concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus ſcuto frameaque iuuenem ornant. Hæc apud illos toga, hic primus iuuentæ honos: ante hoc domus pars videntur, non reipublicæ.* Honos hic erat, non niſi dignis impertiendus.

§. II. Ex hoc priſco Germanorum more ortum media ætate fuiſſe adoptionis ritum per arma putamus. Deſcribit eundem nobis Theodericus Gothorum rex in epiſtola ad Herulorum regem apud Caſſiodorum *lib. IV. ep. II*, dum ait: *per arma fieri poſſe filium grande inter gentes conſtat eſſe præconium. Quia non eſt dignus adoptari, niſi qui fortisſimus meretur agnoſci:* & paulo poſt: *& ideo more gentium & conditione virili filium te præſenti munere procreamus; vt competenter per arma naſcaris, qui bel-*

bellicoſus eſſe dignoſceris. Inde virtutis militaris inſigne fuiſſe hanc adoptionem videmus. Ipſe autem ritus armorum traditione peragebatur: Ita enim pergit Theodericus: *damus tibi equos, enſes, clypeos, & reliqua inſtrumenta bellica,* ea ſcilicet ex ratione, ut ad maiorem incitentur virtutem. Vinculum vero quo obligantur patri adoptiuo deſcribit, dum ait: *quando vinculo animi obligantur extranei, & tanta in hoc actu vis eſt, vt prius ſe velint mori, quam aliquid aſperum patribus videantur infligi.* & paullo poſt: *ſume itaque arma, mihi tibique profutura. Ille a te deuotionem petit, qui te magis defenſare diſponit.* Idem quod & videmus noſtris temporibus inſtitutum, vt ſcilicet principem, cui equeſtris ordinis beneficium debent, defendant & patriam. Sic & patrem ſuum a Iuſtiniano per arma factum fuiſſe filium, deprædicat Athalaricus, Caſſiodorus *lib. VIII. ep. I.* ita & Genſimundum armis fuiſſe filium factum videmus apud eundem *lib. VIII. ep. IX.* Vocabatur hæc adoptio barbara, & diſtinguebatur ab ea Romanorum, quæ fiebat per litterarum inſtrumenta. Iſta autem ius ſui, ſiue hæredis & ſucceſſoris non tribuebat, de quo elegantem refert hiſtoriam Procopius *lib. I. de B. Perſ.* & ex eo Pithoeus *aduerſ. lib. I. c. I.* Secus erat apud Francos, qui per haſtam adoptantes, ſucceſſionis quoque

que ius tribuebant. Exemplum de Guntramno Childebertum nepotem adoptantis, occurrit apud Aimonium *lib.* III. *cap.* LXVIII, qui cum haſtam quam manu gerebat, nepoti tradidiſſet, ita effatus; *Hoc amantisſime nepos, indicio noueris, te mihi ſucceſſurum in regno.* Mos autem iſte barbarorum cum more noſtrorum temporum creandi equites adprime conuenit, & vt dicam quod res eſt, hic mos, ex illo barbarorum adoptionis per arma, originem traxit. Sic & inter procinctuales gladios ſcuto impoſitos more maiorum regis dignitas conferebatur apud Gothos. Caſſiodorus X. *ep.* XXXI. & de Gundebaldo parmæ ſuperpoſito Francorum rege facto teſtatur Gregor. Turon. *lib*, VII. *c.* X. & Aimonius *lib.* III. *c.* LXI. Paullus Diaconus auctor eſt *lib. I. c.* XVI. conſuetudinem apud Longobardos olim fuiſſe, vt regis filius cum patre non pranderet, niſi prius a rege gentis exteræ arma ſuſcepiſſet, quid aliud hoc quam equeſtris ordo?

☞ §. III. Ex barbararum autem gentium, in orbem Chriſtianum atque Imperii Romani olim regna irruptione, ortum putem, quod dein Reges & Imperatores Chriſtiani pro defendenda fide Chriſtiana, ſolenni more enſe accingerentur & militiæ dignitate ornarentur. Ita Carolus M. iuuenis adhuc, eo hono-

no-

nore in Hiſpania fuit affectus, de quo Albericus monachus: *Galafrus*, inquit, *Amiraldus illum in pueritia exulatum ornauit habitu militiæ, in palatio Toleti, præparata ſunt omnia, vt ſecundum ritum Chriſticolarum Imperatorum miles fieret.* Schurtzfleiſch. *de ord aurei Vell.* §. *V.* Licet veteres Francorum ſcriptores illud plane prætermittant. Illud tamen exinde diſcimus, iam ante Caroli M. tempora conſuetum fuiſſe Chriſtianis principibus ordinem equeſtrem ſuſcipere, atque id ſingulari eos ſibi duxiſſe honori.

§. IV. Iisdem autem Caroli M. temporibus gladius inſigne erat militiæ, addito colapho. Martinus Hanconius enim de rebus Friſiæ, tabulas adducit priuilegia continentes, Friſionibus horumque duci ob fortiter contra Saxones nauatam operam conceſſa, inter quæ duci quoque hæc conceduntur: *Inſuper ſtatuimus, vt ſiqui ex ipſis ſuſtentationem habuerint, vel militare voluerint, dicta poteſtas* (Friſonum Princeps) *eis gladium circumcingat, & dato eisdem, ſicut conſuetudinis eſt manu colapho, ſic milites faciat, eisdemque firmiter iniungendo præcipiat, vt deinceps more militum ſacri imperii aut regni Francici, armati incedant &c. Datum Romæ in Lateranenſi palatio, anno dominicæ incarnationis octingenteſimo ſecundo.* Licet quidem has Caroli M. litteras haut eſſe ge-

genuinas putet Goldaſtus Reichsſatzungen/ *f.303.*& rationes adducat admodum prægnantes quibus eiusdem diplomatis falſitatem ex hiſtoria & ſtylo minime conuenienti probat, eiusdem tamen moris indicia alia apud ſcriptores reperimus. Ita enim Lambertus Ardenſis: *eidem comiti*, inquit, *in ſignum militiæ gladium lateri & calcaria ſui militis aptauit, & alapam collo eius inflixit*: & hiſtoria Corbuſiorum *lib.* XI *c.* II. *Imperator-ſedens in equo fecit* (Franciſcum de Carraria) *militem,& cum palma eum percutiens ſuper collum, ait: eſto bonus miles & fidelis imperii.* Hæc bina loca debeo Carolo du Freſne, qui etiam probat, ſcriptoribus hanc ſemper dictam fuiſſe alapam militarem. Sic & Ioannes de Becka in Chronico ſuo ſub Ottone III. epiſcopo *p. m. 77.* dum inaugurationem Guilielmi Batavi poſt imperatoris, deſcribit, adnotat quoque,quod Rex Bohemiæ grandem dederit ictum in collo tyronis.

§. V. Solenni alias more equitum inaugurationem, & non niſi magna ſumtuum profuſione fuiſſe peractam teſtatur Magnum Chronicon Belgicum ad ann. 1247. vbi tamen addit: *plerique milites moderni temporis patrimoniis intendentes, omisſis ſumptuoſis ſolennitatibus, ſaltem per infractum colaphum militarem conſequuntur dignitatem.* Ex quo videmus,

non

non in omni militum inauguratione colaphum fuiſſe additum, ſed in ea tantum, quæ fiebat breui manu, per compendium, absque profuſione ſumtuum. Si rationem inquirimus, cur colaphus collo militum creandorum impactus fuerit, duplicem reperimus, primam quidem vt memor ſit miles colaphi Chriſto dati. Ita enim Rex Bohemiæ ad Guilhelmum Batauum apud Beckam: *memento, quod Saluator mundi coram Anna Pontifice pro te colaphiſatus & illuſus.* Alteram eandem eſſe putem, quam etiam humeros feriendi, vltimum ſcilicet hunc eſſe ictum, qui infligeretur, alios equiti non conuenire. Ita ex Cæremoniali Ordinis Teutonici Hartknoch *Chron. Pruſſ. p. II. cap. I. p. m. 262.* verba adducit eius, qui creat milites eiusdem ordinis:

Beßer Ritter wenn Knecht / im Nahmen unſer lieben Frauen /
Beßer Ritter wenn Knecht / und thue deinen Orden recht /
Vertrag dieſen Schlag / und fortan keinen.

Videmus hic originem moris & hodienum vſitati, dum nobilibus, qui Principi a ſeruitiis olim fuere, iuſtam ætatem adeptis gladius accingitur, quod adpellamus Wehrhafft machen / tunc alapa quoque communiter addi ſolet. Nolden de nobilitate *cap. VI. n. 66.*

§. VI. Nec aberrabimus forſan, ſi hunc morem antiquiſſimum eſſe, & a Romanis petendum dicamus. Qui enim ab iiſdem vindicta manumitti dicebantur, ii a dominis manu dextra adprehenſi in gyrum agebantur, atque inter vertendum, alapa inſligebatur: quem ritum optime deſcribit Claudianus *in IV. Cons. Honorii v. 615.* dum canit:

Te faſtos ineunte quater ſolennia ludit
Omnia libertas, deductum vindice morem
Lex celebrat, famulusque iugo laxatus herili
Ducitur, & grato remeat ſecurior ictu.
Triſtis conditio pulſata fronte recedit.
In ciuem rubuere genæ, tergoque remittit
Verbera, permiſſi felix iniuria voti.

Quare & Cornutus vetus Perſii Scholiaſtes *ad Sat. V. v. 78*, ita loquitur: *quos manumittebant, eos alapa percuſſos circumagebant & liberos confirmabant*, & Iſidorus *Origg. IX. c. IV. manumiſſus* ait, *dicitur quaſi manu emiſſus. Apud veteres enim quando manu mittebant, alapa percuſſos circumagebant & liberos confirmabant, unde & manumiſſi dicti, eo quod de manu mitterentur.* De qua manumiſſione pluribus agit Wilhelm Loon *c. III. p. m. 24.* Hæc autem non fuerunt rapismata iniurioſa, vti emancipationis alapas Imp. vocat *l. 6. C. de emanc.* ſed *ictus gratus*, vti adpellat Claudianus, qui pulſata fronte triſtē recedere faciebat conditionem, illo forſan indicare

vo-

volentes, vltimo hoc ictu dominum ab omni vlteriori percuſſione liberare ſeruum.

§. VII. Poſt Caroli M. tempora differentia ſuboriebatur inter milites & nobiles. Nobiles quidem ii dicebantur, qui ius imaginum, vti loquebantur Romani, habebant, vel in ſtemmate atque progenie ſua numerarent nobiles, ſiue qui ius inſignium adepti, inde ius auorum originem duxit, quod in ludis equeſtribus olim ſtrenue obſeruabatur, qui alias & *armigeri, ſcutiferi, Spatharii, miniſteriales*, Hiſpanis *Infanciones*, Gallis *Eſcuyers*, nobis Knechte/ Edel-Knechte / Wäpeling dicti. Inde & Guilielmus Batauus ante inaugurationem ſuam armiger ſemper dicitur apud Beckam. Milites vero non niſi illi dicebantur, qui ſolenni more ad militiam inaugurati. De quo celeberrimus & in rebus Alemañicis verſatiſſimus Schilterus *ad Ius Alemann. c.. I. §. I. p. m. 39.* & du Freſne *voce miles*. Aliquando & tyrones dicti, vt Brito in Synonymis:

Miles, eques, tyro, tyrunculus atque Quirites.

De qua tamen tyronis adpellatione infra pluribus videbimus. Belgæ olim milites vocabant *Ridderen*, nobiles vero Knappen, qui Anglis dicti Knigths. Militare autem illa ætate idem erat ac militem facere, baltheo militari quem accingere: de quo du Freſne. Et equites in Brabantiæ ducum tabulis ſem-

 per

per adpellantur fideles & amici, alii militari baltheo non præcinƈti, fideles miniſtri. De aliis differentiis videri poteſt Franc. Menenius *delic. equeſtr. ord. p. m. 65.*

OBSERVATIO IV.
DE IIS, QVI OLIM EQVITES INAVGVRARI POTVERINT, ET QVI EQVITES CREANDI HABVERINT POTESTATEM.

§. I. P*Oſt Caroli M tempora frequens factum, vt Imperatores, Reges & Principes antequam imperium inirent, crearentur milites.* §. II. *Enſem vel ſibi ipſis accingebant, vel a regibus aliis, vaſallis quoque accipiebant.* §. III. *Reges & Principes ſuos ipſi filios crearunt milites.* §. IV. *Epiſcopi etiam & Abbates ſibi equites creandi poteſtatem adrogarunt & certo caſu etiam fœminæ* §. V. *Non reges ſolum & duces, ſed & quiuis alii armigeri creati milites.* §. VI. *Beneficium olim quis nec adipiſci vel poſſidere nec vxorem ducere poterat, niſi quis miles factus.* §. VII. *Milites creabantur inter prælia.* §. VIII. *Milites olim creari non poterant, niſi qui ex militum genere orti.* §. IX. *Requirebantur ad militiam capeſſendam quandoque certi ductus, cenſus & ætas, nec tamen ſemper.*

COR-

§. I.

CONſideravimus in ſuperioribus mores in equitum inaugurationibus & ante, & circa tempora Caroli M. receptos, nunc & quid poſt eadem in ipſo iure inaugurandi equites obtinuerit, videbimus. Poſt Caroli M. enim tempora, inter alia militaris ordinis inſignia ſtatim eſſe cœpit gladius cum baltheo. Quippe Wittechindus *Annal. lib. II. p. m. 15.* dum inaugurationem Ludovici Pii deſcribit, hæc quoque addit: *Ipſe autem* (Hildebertus archiepiſcopus Moguntinus, qui Imperatorem conſecrauit) *accedens ad altare, & ſumto inde gladio cum baltheo, conuerſus ad Regem, accipe, inquit, hunc gladium, quo eiicias omnes Chriſti aduerſarios, barbaros & malos Chriſtianos, auctoritate diuina tibi tradita omni poteſtate totius imperii Francorum, ad firmiſſimam pacem omnium Chriſtianorum.* Enſem hunc Carolo M. ab angelo datum putant, quo etiam hodienum Imperatores circumcingi moris, atque inter alia Imperii inſignia Noribergæ adſeruatur, licet eundem quoque ſibi Galli vindicent & in fano S. Dionyſii adſeruent. Poſt illa tempora ſolenne fuit, vt omnes Impp. ante coronationem Aquisgranenſem crearentur milites. Ita enim de Guilielmo Batauo, electo Imperatore Romano

Io. Becka *p. m. 77. Quoniam idem adoleſcentulus electionis ſuæ tempore fuit armiger, ideoque cum repentina feſtinatione præparata ſunt omnia, quæcunque ſibi fuerint neceſſaria, vt ſecundum ritum Chriſticolarum Imperatorum miles fieret, antequam Aquisgrani diadema regni ſuſciperet.* Inde mos iſte ad reliquos Reges atque Principes perductus fuit. Arragoniæ enim regibus imperii inſignia noſtime concedebantur, niſi prius inter milites eſſent cooptati, quod de Petro Arragoniæ Rege, qui ab Innocentio III. Pont. max. militare cingulum accepit anno 1204, teſtatur Hieronymus Blanca *de Reg. Arrag. p. m. 604.* De Geyſa Vngariæ Rege Otto Friſingenſis de geſtis Friderici I. *lib. I. c. XXXI.* refert: *Rex in prædicto campo* (ad Leitam fluuium) *ad quandam ligneam eccleſiam accedit, ibique ab epiſcopis, nam eousque impuerili ætate poſitus, nondum militem induerat, accepta ſacerdotali benedictione ad hoc dedicata, armis accingitur.* Ludouicus XI. cum Remis inauguraretur & Francici imperii habenas ſuſciperet XVIII. Kl Septembris anni MCCCCLXI ſe fecit creari equitem a Philippo Bono Burgundiæ Duce, Choppinus de domaniis Galliæ *lib. III. tit. XXVI n. 13.* Bodinus de rep. publica *lib. V. c. IV.* Et quidem altera ſtatim poſt coronationem die. Reges Franciæ per manum epiſcopi vel Principis

cu-

cuiuſdam equeſtrem ordinem ſuſcepiſſe docet Io. Limnæus *notit. Regni Franciæ lib. II.c. IV.* De Henrico Rege Chronicon Reicherspergenſe ad annum 1165 ait, quod *accinctus gladio in paſcha* & ad annum 1192. *ibi etiam in eadem ſolemnitate & in præſentia Imp. accincti ſunt gladio Dux Sueuiæ, Dux Bauariæ &c.* Ita Conradus Rex, Friderici II. Imp. filius Panormitanis ſe cingulum hoc militare recepturum ſignificat, *vt ex hoc ætatis noſtræ victorioſa floriditas, ſigna maioris ſtrenuitatis induceret, & originalis nobilitatis gratiam renouaret nouæ militiæ claritudo*; vti verba epiſtolæ ſonant apud Petrum de Vineis *lib. III. ep. XX.* Sic de Auſtriæ principibus annales antiquiſſimi a Lazio citati referunt. *Anno 1104 Leopoldus Marchio Sanctus accinctus eſt gladio. Anno 1180 Ottoacher ex Marchione Styrienſi Ducis nomen adeptus eſt, eo anno, quo & gladio accinctus eſt. & anno 1225 Fridericus Dux Auſtriæ & Styriæ conſecrationis enſis dignitate Viennæ ſublimatur.* Menenius *p. m. 48.*

§. II. Militarem autem enſem vel ſibi ipſis accingebant, de quo exemplum in Stephano Vngariæ Rege videmus apud Bonfinium *dec. II. lib. I. ad ann. 997. p. m.* 173, *Stephanus*, ait, *coacto demum exercitu ad Garum amnem caſtra locat, ibique primum iuuenis Deo deditiſſi-*

mus defendendæ publicæ ſalutis neceſſitate adductus enſem accinxit. Præcipue vero moris erat, vt ad reges vel Principes, quorum magnum erat nomen, ad capeſſendam militiam migrarent, vel filios ſuos mitterent. Ita Henricus II Anglorum Rex ad Dauidem Scotorum Regem, Malcolmus Scotorum ad Henricum II, Alexander Guilielmi Scotorum Regis filius, anno 1212 in Angliam, & Eduardus I. ad Alphonſum XI Caſtellæ Regem profecti ſunt, vt acciperent ab iis arma militaria, ſiue virilia pro more loquendi illorum temporum. Menenius *p. m. 54.* Magnum præcipue tum nomen erat Alphonſi X dicti Sapientis, Regis Caſtellæ, ad quem vndique terrarum confluebant, qui ſub nobilium nomine comprehendebantur Reges, Principes & alii, vt ab eodem acciperent cingulum militare, de quo Gaufredus Toletanus *in app. ad hiſtoriam Roderici Toletani* ita loquitur: *Propter glorioſam famam ſuam multi nobiles & egregii viri de diverſis mundi partibus veniebant ad ipſum, vt ab eo acciperent cingulum militare, inter quos fuit illuſtris Rex Angliæ, nomine Odoardus: nobilis Vir Philippus, Imperatoris Conſtantinopolis filius, Aboadlla Rex Granatæ, nobiliſſimi Infantes, Dominus Philippus, Dominus Emanuel Ferrandus, & Sanctius, qui poſtmodum in regno ſucceſſit, filii Alphonſi regis prædicti: egregii Viri Alfonſus & Io-*

an-

annes filii quondam inclyti Regis Ioannis de Accon, Radulphus Comes qui fuit poſtmodum Rex Alemanniæ (ſiue Rudolphus Habsburgenſis) Debemus hunc locum celeberrimo Schurtzfleiſchio qui eundem *diſſ.* L*VIII de ordine vell. aurei* §. *4. p. m. 844* adducit,& bene ſimul adnotat, eiusdem rei alios ſcriptores nullam feciſſe mentionem, immo ne diligentiſſimum quidem Ioannem Marianam. Fruſtra enim in aliis ſcriptoribus rerum Hiſpanicarum idem quæſiui. Immo nec ipſi Reges a vaſallis ſuis equeſtrem accipere dignitatem dedignati fuere. Ita Carolus VII Galliæ Rex, miles factus ſeptimo Iulii anni 1429 per Ducem Alenconinum. Iean Sauaron *traitté de l'espece* Fran*çoiſe p. m. 32.* Ludouicus XI a Philippo Bono Burgundiæ Duce, uti diximus, miles factus. Franciſcus I. Rex memorabili illa pugna Melignanenſi a Petro Baiardo duce, equeſtris honoris ornamenta accepit. Io. Tilius *de reb. Gall. lib. II. p. m. 179.* Vincent. Lupanus *de magiſtrat. Francorum lib. I. p. m. 199.*

§. III. Nec etiam infrequens erat, vt Reges & Principes ſuos ipſi filios crearent milites. De Carolo enim M. teſtantur annales, quod in bellum contra Auares iturus, Ravesburgi Ludouicum filium *iam appellentem adoleſcentiæ tempora*,gladio accinxerit. *Anon.*

 vita

vita Ludou. Pii ad an 791. Hic Ludouicus in Cariſiaco anno DCCXXXIX Carolum Calvum *armis virilibus id eſt enſe, cinxit. Aimoinus lib. V. c. XVII.* Philippus Auguſtus Ludouicum Leonem filium alioſque centum nobiliſſimos viros Compendii ad Eſiam baltheo militari donauit. Papirius Maſſonus *lib. III. Annal.* Menenius *p. m. 58.* Ludouicus IX alias ſanctus dictus, año Domini MCCLXVII *in pentecoſte, prælatis & Baronibus fere totius regni Franciæ Pariſiis congregatis, filium ſuum primogenitum Philippum, iuuenem fortem & probiſſimum atque Robertum nepotem ſuum filium Robertis patris ſui Atrebatenſis Comitis quondam apud Maſſoram interfecti, cum pluribus aliis milites nouos fecit.* Wilhelmus de Nangiaco de geſtis Ludouici IX *inter Scriptores Franc. Tom. V. p. m. 378.* Hic Philippus Audax militem creavit Philippum Pulcrum, hic tres filios ſuos, præſente Eduardo genero Anglorum regis. Ioannes Bonus poſtquam coronatus d. 26. Septembris anni 1350 Carolum Delphinum filium primogenitum, & huius fratrem Comitem Alenconium, milites creauit. Iean Savaron *traitté de l'épée Françoiſe p. m. 12.* De Friderico I. Imp. teſtatur Arnoldus Lubecenſis *Chron. lib. III. c. IX,* quod filium Henricum Cæſarem deſignatum in magna imperii principum frequentia baltheo donauerit, dum

dum ait: *In tempore illo Fridericus Imp. edixit curiam famoſiſſimam & celeberrimam apud Moguntiam, quæ celebrata eſt in Pentecoſte anno verbi incarnationis MCLXXXII vt filium ſuum Henricum Regem militem declararet & gladium militiæ ſuper femur eius potentiſſimum accingeret.* Idem teſtatur Lehmann *Chron. Spir. lib V. c. LXVI* Immo & iisdem Comitiis Conradum Sueuiæ ducem & Ottonem gladiis fuiſſe accinctos, teſtatur Chronica Auguſtenſis ad annum MCLXXXIV, ad quem etiam annum Otto de S. Blaſio *app. ad Ottonem Friſing. cap. XXVI.* & Godefridi Annales referunt: quibus in chronologia & rebus quæ imperium Romanum concernunt, potiorem habemus fidem, quam Arnoldo. Quin & Fridericum Sueviæ ducem, adoleſcentem Conradi Aug. filium ab eodem Friderico I. Imp. ad petita Irenes Græcorum Imperatricis, quæ per legatos id petierat, gladio fuiſſe accinctum docet Güntherus *in Ligarino lib. VI. v. 157.* dum canit:

> *A ſummo petiere viro, (nec tarda voluntas*
> *aſſuit) vt princeps puerum præſentibus illis*
> *accingi gladio Fridericum rite iuberet.*
> *Hæc amicam pueri conſortem Regis Irenen*
> *Argolici, mandaſſe ac ſæpe rogaſſe ferebant.*

Idque Herbipoli factum fuiſſe ante dixerat Idem obtinuit apud Anglos. Sic Eduardus I.

An-

Angliæ Rex filium ſuum ſolenni pompa equitem creauit. Matthæus Florilegus *ad an. 1306.* Alfredus Angliæ Rex nepotem ſuum Athelſtanum, qui poſtea Rex fuit Angliæ, militem fecit, donatum chlamyde coccinea, gemmato baltheo, enſe Saxonico cum vagina aurea. Guil. Malmesbur. *lib. II. cap. VI.* Immo & more antiquo Hybernicorum regum filios, iuuentutis principes, cum nati eſſent annos ſeptem, creatos fuiſſe milites teſtatur ex Froiſſardo *vol. IV. c. LXIII.* Iac. Waræus *antiquit. Hibern. c. XIX.* Tandem eo licentiæ eſt peruentum, vt liberos primum natos, dum ſacra abluerentur aqua, dignitate equeſtri condecorarent, vti inquit Pontꝰ Heuterus *in præf. genealog. præcip.* Illo ipſo enim natiuitatis die, implorata benedictione diuina, pater filio recens nato gladiũ in manꝰ dat his additis verbis: *La puiſſe tu mon fils employer, a la gloire de Dieu à la defence de la Couronne & du peuple* vti inmuit. ean Sauaron *Traitté de l'espee Françoiſe p. m. 6.* Ita & Io. Limnæus in notitia Regni Franciæ *lib. IV. c. V. p. m. 293.* ex Theodori Godofredi Cæremoniali Franciæ refert, Franciſcum I. Galliæ Regem, anno 1543, ſuum ex filio primogenito Henrico Delphino nepotem, antequam adhuc baptizaretur, creaſſe equitem. Nec ſemel illud & hac vnica tantum vice, ſed ſæpius id vel a rege ipſo,

pſo, vel alio maioris ordinis principe factum addit.

§. IV. Epiſcopi etiam atque Abbates favore religionis milites creandi poteſtatem ſibi adrogabant. Sic Fridericum I Imp. ab epiſcopis factum militem teſtatur Otto Friſingenſis *in vita lib. I. c. XXXII.* De Rege Geiſa ex eodem ſupra vidimus. Guilielmum Rufum Angliæ Regem a Lanfranco Archiepiſcopo militem factum legimus apud Guilielmum Malmesburienſem *lib.* IV. *de geſtis Angl. p.m.120.* Matth. Paris. *ad ann. 1088.* Sic & Balduinum Comitem Guinenſem a S. Thoma Archiepiſcopo Cantuarienſi militem factum teſtatur Lambertus Ardenſis *p. m. 112.* De Friderico Salisb. Epiſcopo ita teſtatur Wiguleius Hund *metrop. tom.* I. *f. 22. Militauerunt ſub Friderico Epiſcopo nobiles,* [quorum multi nominatim ibidem recenſentur] *quos pridie illius prælii, enſe ſtricto ter in caput percuſſos, vt animoſiores redderet, equites auratos deſignauit, vulgo* zu Ritter geſchlagen. Ignulphus quoque dum morem creandi equites apud Anglos vſitatum deſcribit, illud addit, quod ſacerdos poſt euangelium, benedictum gladium militis collo cum benedictione impoſuerit. Ita & Pontificem non Imperatorem ſolum, ſed & quosuis nobiles olim milites creare potuiſſe legimus in Cæremoniali Romano *lib.* I. *ſect.*

V. &

V. & VII. In concilio tamen Londonienſi anno 1102 habito, ne abbates faciant milites, decretum apud Eadmerum *lib.* III. *Hiſt. p. 58.* quod tamen de feudorum conceſſione intelligi verius putat Menenius *p. m.* 54. Cum etiam poſt illud ab Epiſcopis equitum facta fuerit inauguratio. Quin & a fœminis interdum cingulum indultum probat du Freſne, in teſtimonium adducens Ordericum Vitalem *lib.* XI. *p.* 825 *In Sicilia quoque,* inquit, *Philippi Francorum Regis filia, quæ Tancredi vxor fuit, Geruaſium Britonem Dolenſis Vicecomitis filium militem fecit, aliosque plures armigeros militaribus armis contra paganos inſtruxit.* Sed talis tum caſus erat, quod pro rege ſe gereret.

§. V. Nec tamen reges ſolum & Principes equeſtri dignitate fuere auctorati, ſed & quivis alii armigeri. Sic enim de Henrico III. Galliæ Rege ſcribit Matthæus Pariſienſis ad ann. 1247. *Dominus Rex* (Henricus III.) *veſte deaurata facta de pretioſiſſimo Baldekino & coronula aurea, quæ vulgariter Garlanda dicitur, redimitus, ſedens glorioſe in ſolio regio iuſſit aduocari fratrem ſuum vterinum* (Guilielmum) *cum ſuis ſodalibus quamplurimis, qui cum eo ſtatim fuerant, arma prout decuit, faſtigioſe ſuſcepturi.* Ipſumque *Dominus Rex cum aliis Commilitonibus baltheo militari gaudenter inſigniuit.* Sic & priſci annales Auſtriæ teſtantur: *Anno Domini*

1245.

1245 Fridericus Dux Auſtriæ auro plenus & argento in feſto S. Georgii 140 iuuenes de terra ſua nobiles apud Viennam honorifice donauit gladio & cingulo militari. Digna verba ſunt vt hic inſerantur, quæ ex Matthæo Florilego ad ann. 1306. adducit Menenius *p. m.* 57. Creationem autem militum Eduardi I Regis tempore factam ſequentibus deſcribit: *Ad augmentandam profectionem ſuam fecit Rex per Angliam publice proclamari, vt quotquot tenerentur fieri milites, ſucceſſione paterna & qui haberent vnde militarent adeſſent apud Weſtmonaſterium in feſto pentecoſtes, admiſſuri ſinguli omnem ornatum militarem præter equitaturam de regia Garderoba. Confluentibus itaque trecentis iuuenibus filiis Comitum, Baronum & Militum, diſtribuebantur purpura, Byſſnæ, Sindones, cyclades auro textæ affluentiſſime, prout cuique competebat. Et quia palatium regale etſi amplum, tamen ad tot occurrentium turbam anguſtum fuit, apud nouum templum Londini, ſucciſis lignis pomiferis, proſtratis muris erexerunt papiliones & tentoria, in quibus tyrones deauratis veſtibus ſe ſinguli decorarent, ipſa autem nocte in templo prædicti tyrones, quotquot poterat capere locus ille, ſuas vigilias faciebant, ſed princeps Walliæ præcepto Regis patris ſui, cum præcelſis tyronibus fecit vigilias ſuas in eccleſia Weſtmonaſterii. Ibi autem tantus clangor tubarum & tibicinum & exaltatio vocum præ gaudio*

exſti-

exſtiterat clamantium, quod conuentus de choro ad chorum non audiretur iubilatio, die autem craſtino cinxit Rex filium ſuum balthco militari, in palatio ſuo, & dedit ei Ducatum Aquitaniæ. Princeps ergo factus miles perrexit in eccleſiam Weſtmonaſterii vt conſocios ſuos militari gloria pariter venuſtraret. Porro tanta erat ibi preſſura gentium ante magnum altare, quod duo milites morerentur, quam plures ſyncopiſarent etiam cum quilibet ad minus tres milites ad ſe ducendum & tuendum haberet. Princeps autem propter turbam comprimentem non ſecus, ſed ſuper magnum altare diuiſa turba per dextrarios bellicoſos ſocios ſuos cinxit.

§. VI. Colligimus autem ex dictis Matthæi verbis, cum Rex poſtquam filium cinxerit, eidem ducatum Aquitaniæ dederit, beneficium quem adipiſci non potuiſſe, niſi prius gladio militari accinctus fuerit. De quo Monachus Pegauienſis *de vita VipertiGrouenſis p. m. 2. ed. Reinecc. Sub Henrico, inquit, Imp. Auguſto, Conradi Imp. Filio inter cæteros principes Vdo Marchiam Stadienſem regebat. Huius obſequio Wigbertus adoleſcens, patre, vt præfati ſumus, orbatus a venerabili matre deſtinatur: per quem honorifice, quousque adoleuit, educatus, gladio deinde militari a tanto Principe, vtpote Principum collega quandoque futurus, nobiliter accingitur, ac vrbe Tangermunde dicta, cum eius attinen-*

nentis ab eodem Marchione liberaliter inbeneficiatur. Sine medio enim militiæ cingulum & feudi beneficium ſe inuicem ſubſequuntur. Sic & Guilielmus de Nangiaco in geſtis Ludouici IX Franc. R. *inter Script. hiſt. Franc. tomo V. p. m.* 332 ait: *anno duodecimo regni ſui, ſcilicet anno Domini* MCCXXXVIII *dominum Robertum fratrem ſuum maiorem natu poſt ipſum apud Compendium fecit nouum militem, quem paullo ante filiæ Ducis Brabantiæ Matildi nomine legitimo fecerat matrimonio copulari. Et tunc eidem fratri ſuo Atrebatum ac totam terram d' Artois conceſſit iure hæreditario in perpetuum poſſidendam* & p. m. 336. de eodem Ludouico teſtatur, quod apud Salmurum in magna puerorum frequentia fratrem Alfonſum militem creauerit ad terram Auerniæ, Pictauiæ & Albigenſium terras perpetuo poſſidendas conceſſerit. Immo ii, qui iure hæreditario terras poſſidebant, ad militiam capeſſendam tenebantur. Ita Matthæus noſter ſtatim ab initio dicit: *vt quotquot tenerentur fieri milites ſucceſſione paterna.* Et Rigordus de geſtis Philippi Aug. ad ann. 1201. *p. m.* 45. ait: *Arturum militem fecit tradens ei Britanniæ comitatum, qui iure hæreditario eum contingebat.* Sed & qui vxores ducebant, militiam plerumque ſolebant adpetere. Ita de Guilielmo Vitrio-

nenſi adducit Mabillonus de Re diplomatica *lib. II. c. XVIII p. m. 147.* quod ipſe ſigillum non habuerit, *cum nondum miles nec vxoratus eſſet.* Et de Ludouico IX Franciæ Rege ait Wilhelmus de Nangiaco *p. m. 336. tunc inibi Dominum Aldefonſum fratrem ſuum nouum faciens militem, quem multis diebus iam transactis filiæ Comitis Tholoſæ Iohannæ nomine maritali lege fecerat ſolenniter ſociari.* De Roberto eiusdem Ludouici IX fratre, ſimile paullo ante vidimus.

§. VII. Maxime autem olim inter prælia creare milites frequens erat. Sic de Henrico Mirabili Brunſuicenſium duce, cum ipſius phalanges pugnam peterent, teſtatur Henricus Rosla in Herlingsberga *v. 340.*

Laudat dux animos, verbum probat atque fauore
tyrones ſolenne creat, mox ipſe nouellos

vbi Io. Henr. Meibomius ſimile ex veteri Chronico rythmico MSto de Alberto M. Brunſuicenſium Duce cum Alberto & Friderico Misniæ Marchionibus congreſſuro adnotat:

her machte als ich horte
viele Knapſen Ritter vor dem Stritte
nach Vurſtelichen ſite

& hiſtoria de Landgrauiis Thuringiæ *cap. CXLV apud Piſtorium: In qua expeditione* (Pragen-

genſi anni 1401) *Fridericus Landgrauius Thuringiæ miles factus eſt cum multis aliis nobilibus de Thuringia & militaribus* Sic & de Abbate S. Galli Conradus de Fabaria apud Goldaſtum *de reb. Alem. p. m. 134.* ait, quod *occaſione prælii,* (quod illi fuit cum epiſcopo Conſtantienſi) *quam plura ſuis largitus fuerit dona tyronibus.* Et Io. Auentinus quoqne *Annal. Boiorum lib. VII. p. m. 605.* ante prælium inter Fridericum Auſtriacum & Ludouicum Bauarum multos quos & ibi recenſet, ab Epiſcopo Salisburgenſi creatos fuiſſe equites teſtatur. Ea quidem ex ratione id factum innuit Ioannes Tilius *lib. II. de R. Gall. p. m. 181* quod eos hac re animatos officium magis facturos cogitarent, & ſi mererentur, equeſtrem honorem habituros, qui etiam lepidam ex Froiſſardo adducit hiſtoriam, quæ in caſtris Philippi Valeſiii ac Eduardi Angliæ Regis accidit, cum prope eſſent, vt die condicto inter ſe dimicarent, lepus ante caſtra Gallorum excurrens, tantum excitauerit barritum, vt qui in poſtremis ordinibus diſpoſiti, pugnæ fieri initium putantes arma adaptarent, quidam etiam equeſtrem ordinem poſtularent, qui exin cum vterque exercitus re infecta diſceſſiſſent, equites leporis fuere adpellati. Immo etiam finito feliciter prælio, viri, qui ſe ſtrenue geſſerant, militari cingulo fuere donati, cuius e-

xempla quædam adfert Menenius *p. m. 5:9* Ita & Carolus M. poſt victoriam de Saxon-bus reportatam ita milites ſuos adlocutus fertur: *vos heroes vocabimini, ſocii Regum, & iudices criminum, viuite poſthac laborum expertes, conſulite regibus publico nomine, turpia corripite, fauete fœminis, iuuate pupillos, conſilio circumdate Principes, ab his victum, veſtitum, ſtipendiumque petite.* Quin & ludorum equeſtrium cauſſa equeſtris nonnunquam dignitas collata fuit. Sic de Friderico Barbaroſſa teſtatur Arnoldus *Chron. Slau. lib. III. c. XXIX* quod *ludum militiæ ordinauerit, & ſexaginta iuuenes nobiles ad militarem habitum & militiæ cultum transtulerit.*

§. VIII. Germanorum autem Imperatorum conſtitutionibus milites creari non poterant, niſi qui ex militum genere eſſent prognati, quod videmus apud Petrum de Vineis *lib. VI. ep. XVII.* Idem obſeruabatur apud Gallos, dedecori enim habebatur, ſi quis miles factus, ex milite nón prognatus: de quo Güntherus in Ligurino *lib. II. v. 151.*

Vtque ſuis omnem depellere finibus hoſtem
poſſit, & armorum patriam virtute tueri;
quoslibet ex humili vulgo, quod Gallia fœdum
iudicat, accingi gladio concedit equeſtri.

Idem apud Aragonios obtinuiſſe ex ſtatuis Iaco-

Iacobi I. Regis Aragoniæ anni 1234. colligitur, quo nullum fieri ab aliquo militem, niſi filium militis iubet, id quod & apud Siculos ex conſtitutione Rogerii regis, quæ habetur Conſtit. Siculis *lib. III. tit. XXXIX* §. 2. decretum. Immo & lege Friderici I in conuentu Noribergenſi ſancita, a militari cingulo arcentur ſacerdotum, diaconorum, & ruſticorum filii, & qui iam adſumſerant, per iudicem prouincialem a militia pelli iubebantur. Vrſpergenſis ad annum 1187.

§. IX. Requirebantur quandoque ad capeſſendam militiam certi ductus, de quo in actis oppidi Louanienſis ad annum 1260. cauetur, ne quis equeſtri baltheo cingatur, niſi tertia vice cum duce ad bellum profectus eſſet: quare & ſæpius in collatæ dignitatis tabulis expeditionum numerus exprimitur, uti & in monumento ſepulcrali Guilielmi de Rode ſpectatiſſimæ virtutis equitis, militares eiusdem ductꝰ expreſſi. Lipſius in Louanio *lib.* II. *cap.* VIII. Seculo decimo tertio etiam ex cenſu in Anglia maxime milites creabantur, vt qui feudum poſſiderent magnum militare, vel reditus definitos, tenerentur milites fieri, de quo Matthæus Pariſienſis *Anno 1256.* inquit, *exiit edictum Regium, præceptumque eſt & acclamatum per totum regnum, vt qui haberet XV. libras terræ & ſupra, armis redimitus, tiro-*

cinio donaretur, vt Anglia ſicut Italia militia roboraretur, & qui nollent, vel qui non poſſent honorem ſtatus militaris ſuſtinere, pecunia ſe redimerent. Menenius *p. m.* 55. Quantum ad ætatem, vigeſimum primum annum capeſſendæ militiæ cingulo olim deſtinatum, ex ſtabilimentis Ludouici Franciæ R. *lib.* I. *c.* LXX. & LXXI. probat du Freſne. Sæpius id quidem obſeruatum putem, nec tamen ſemper. Finis enim cinguli militaris is erat, vt ſe pro defendenda patria ſtrenuos præſtarent, ad arma autem Germanorum, Francorum etiam, maxime prioris temporis, gerenda nemo facile ante illam ætatem capax, ita vt legitimum quidem illud tempus fuiſſe adfirmauerim, infra autem ætatem iſtam in aliis præcipue regnis, multos creatos fuiſſe milites conſtat. Sic Fulco Andegauorum Comes anno MLX. ab auunculo ſuo Goffrido Martello miles factus eſt, cum eſſet decem & ſeptem annorum, vti de ſe ipſo tradit in hiſtoria Comitum Andegauenſium, Io. Mabillonus de re diplomatica *lib.* II. *cap.* XVIII. *p. m.* 147. Aethelſtano Anglorum Regi, militiæ cingulum præmature datum narrat Wilhelmus Malmesbur. *lib.* II. *cap.* VI. Hybernicorum dynaſtarum filios anno ætatis ſeptimo creatos fuiſſe milites ex Froiſſardo docet Iacobus Waræus *antiqq. Hibern. c.* XIX. *p. m.* 101. licet plane

ne diuerſum apud eos fuerit tyrocinii genus, vti infra videbimus, quod etiam pueris conveniebat. E contrario de Comite Tholoſano quinquagenario demum milite facto teſtatur Godefridus Monachus ad ann. 1234 apud Freherum *Tomo* I. *Script. Germ. p. m.* 300. ea quidem ex ratione, *quod Comites ſuæ parentelæ ſe non credant diu poſſe viuere, poſtquam gradum militiæ fuere adepti.*

OBSERVATIO V.
DE IPSIS RITIBVS IN EQVITVM INAVGVRATIONIBVS SVPERIONIBVS SÆCVLIS VSITATIS.

§. I. *TYrones antequam militiam capeſſerent, balneum ingrediebantur.* §. II. *Poſtquam loti nouis induti veſtimentis in eccleſia pernoctabant.* §. III. *His per actis, accingebatur enſis.* §. IV. *Poſtquam equites creati, ſolenne dabant epulum, & in equeſtribus ludis virium faciebant periculum.* §. V. *Dies iſte inaugurationis & ludi equeſtres dicebatur tyrocinium, inde Germanorum* thurnier.

§. I.

TYrones autem antequam militiam capeſſerent, balnea prius ingrediebantur ad lauandum: de quo Ioannes Monachus maioris

monaſterii *lib.* I. *Hiſt. Gaufredi Ducis Normanniæ* de eiusdem militia. *Illuceſcente die altera,* inquit, *balneorum vſus, vti tyrocinii ſuſcipiendi conſuetudo expoſtulat, paratus eſt.* Atque id apud Francos præcipue moris erat, eo innuere volentes, eos, qui ordinem hunc ſuſcipiunt, corde animoque mundo & honeſtis conditionibus venire oportere. Io. Tilius *lib.* II. *p. m.* 180. Ex quo dein milites de balneis originem cepere, de quibus Nic. Vptonus *lib.* I. *de milit. off. c.* III. Froiſſardus *vol.* IV. *c.* CXIV. Franciſcus Menenius *p. m.* 130. & prolixe du Fresne. Ita & Iacobus Acoſta *lib.* VII. *Hiſt. Ind. cap.* XXVII. in regno Mexicano procerum filios a ſacerdotibus lauari conſueuiſſe, priusquam cingulo militari donarentur, tradit.

§. II. Poſtquam loti, exutis prioribus tyronum veſtimentis, aliis nouæ militiæ deſtinatis induebantur, de quo Ioannes Monachus maioris monaſterii *lib.* I. *poſt corporis,* inquit, *ablutionem, adſcendens de balneorum lauacro, byſſo retorta ad carnem induitur cyclade auro texta ſuperveſtitur.* Et ex hiſtoria Caroli VI Reg. Franc. verba adducit du Fresne: *indumentis prædictis exuti, mox veſtimentis nouæ militiæ adornantur.* Ex quo etiam diſcimus, alia fuiſſe tyronum, alia militum veſtimenta, quod in veſtimentis equitum balnei quæ deſcribit Me-

Menenius *p. m. 130.* dilucide adparet. Inde poſtquam nomen apud ſacerdotem profeſſi tyrones; iisdemque peccata confitentibus manus abſolutionis cauſſa eſſent impoſitæ, in eccleſia pernoctabant, & ſacris craſtinæ diei intererant, de quo Ingulphus. *Anglorum*, inquit, *erat conſuetudo, quod qui militiæ legitime conſecrandus eſſet, veſpera præcedente diem ſuæ conſecrationis ad Epiſcopum, vel Abbatem, vel Monachum, vel Sacerdotem aliquem contritus & compunctus de omnibus ſuis peccatis confeſſionem faceret, & abſolutus, orationibus & deuotionibus, & afflictionibus deditus in eccleſia pernoctaret; in craſtino quoque miſſam auditurus, gladium ſuper altare offerret, & poſt euangelium ſacerdos benedictum gladium collo militis cum benedictione imponeret, & communicatus ad eandem miſſam ſacris Chriſti myſteriis, denuo miles legitimus permaneret.* Quod tamen & apud Francos obtinuiſſe teſtatur Io. Tilius *lib.* II. *p. m. 180.*

§. III. His ita peractis, inter ſacra cingulum militare conferebatur a Rege, principe, Epiſcopo aut alias viro ſtrenuo, addita alapa militari, vti ſupra diximus, enſem benedicente Epiſcopo vel ſacerdote: Magn. Chron. Belg. ad ann. 1247. & Iac. Waræus *antiqu. Hibern. c.* XIX. *p. m. 111. Dynaſtæ Hiberni* inquit, *Richardi regis iuſſu pro dignitate veſtiti admodum ſolenniter, Dublini in eccleſia Cathedrali vi-*

giliis peractis & miſſa audita manu regis milites fuere creati. His autem Reges vel Principes inaugurantes vtebantur verbis, vti inauguratione Guilielmi Batavi videmus, *ad honorem omnipotentis Dei te militem ordino, ac in noſtro collegio te gratulanter accipio.* Enſis autem, quo accingebantur noui milites, ſumebatur de altari, Ioannes Sarisberienſis Policratico lib. VI. cap. X. *Inoleuit,* ait, *conſuetudo ſolennis, vt ea die, qua quisque militari cingulo decoratur, eccleſiam ſolenniter adeat, gladioque ſuper altare poſito & oblato, quaſi celebri profeſſione facta, ſe ipſum obſequio altaris deuoueat, & gladii, id eſt officii ſui iugem Deo ſpondeat famulatum.* & Petrus Bleſenſis *ep.* XCIV. inquit: *ſed & hodie tyrones enſes ſuos recipiunt de altari, vt profiteantur ſe filios eccleſiæ vsque ad honorem ſacerdotii, ad tuitionem pauperum, ad vindictam malefactorum, & patriæ liberationem, gladium accepiſſe.* Neque tamen ſemper a perſonis eccleſiaſticis gladius accingebatur, ſed ipſi militiæ candidati, ſi principalis eſſent dignitatis, enſem ab altari ſumtum ſibi accingebant, de quo Rodericus Toletanus *lib. IX. de Reb. Hiſp. c.* X. de Rege Fernando ita loquitur: *Tertia die ante feſtum S. Andreæ in Regali monaſterio prope Burgis celebrata miſſa a venerabili Mauritio Burgenſi Epiſcopo & armis militaribus benedictis, ipſe rex ſuſcepto gladio ab altari, ma-*

nu

nu proptia ſe accinxit cingulo militari & mater ſua regina nobilis enſis cingulum deaccinxit.

§. IV Quibus peractis ſolenne epulum dabant nouiter creati equites, tam magnifico adparatu, quam videri vnquam poterit, rebus omnibus opibusque circumfluentibus Io. Tilius *lib.* II. *p. m.* 180. Sic de Guilielmo Batauo teſtatur Becka *p. m.* 77. *celebrauit magnificis expenſis triduanam curiam, ac donis largiſſuis cunctis magnatibus ſuam manifeſtauit honorificentiam.* Inde & nouiter in militarem ordinem adlectis, vt virtutem ſuam in ludis equeſtribus comprobarent, incumbebat, virium periculum vt facerent. Vti de Guilielmo Batauo teſtatur idem Becka. *Quibus*, inquit, *ita ſolenniter adimpletis* (ſcil. omnibus inaugurationis equeſtris ſolennibus) *nouus tyro poſt dictam miſſam cum ſtridentibus buccinis, perſtrepentibus tympanis & tinnientibus cymbalis contra filium Regis Bohemiæ tribus vicibus commiſit haſtiludium, & exinde cum gladiis emicantibus dimicando tyrocinium expleuit*, de eodem agit & Matthæus Pariſienſis ad annum 1247 *Die*, inquit, *qua* (Henricus III.) *Willielmum fratrem ſuum baltheo cinxit militari, de plenitudine beneuolæ licentia generaliter conceſſæ torneandi, cœpit* (Comes Glouerniæ) *vnum torneamentum contra dictum Willielmum apud Northamtoniam feriendum, vt ibidem memoratus Willielmus cum*

ſuis

ſuis contyronibus militiæ peritiam & addiſceret & experiretur. Sic & Panormitanis ſuis indicat Rex Conradus, ſe cum ſolennitate tyrocinii cingulum eſſe recepturum apud Petrum de Vineis III. *ep.* XX. Singularem cæremoniam Hiberniæ regibus vſitatam cum filios ſuos creant equites, ex Froiſſardo adducit Iac. Waræus *antiqq. Hibern. c. XIX. p. m. 101. ſcilicet* ait, *quemque tyronem tempore creationis, haſtam tenuem, tam puerili ætati* (quia ſeptem annorum pueri creabantur) *aptatam in clipeum palo in medio prati adfixum, curſu impingere ſolitum, deinde pro numero haſtarum ibi fractarum magis aut minus honoratum.*

§ V. Dies autem iſte vocabatur pro more veterum, tyrocinium. Io. Monachus mai. monaſt. *lib. I. Hiſt. Gaufredi: illuceſcente die altera balneorum vſus vti tyrocinii ſuſcipiendi conſuetudo expoſtulat paratus eſt, & paullo poſt dies illa tyrocinii honori & gaudio dicata.* Gaufredus Voſienſis *in Chron. p. I. c.* LVIII. *Regem Scotorum Henricus apud vrbem Petragoricam in prato Epiſcopali Militiæ cingulo redimiuit, qui nouus miles 30. heroum liberos recentis tyrocinii conſocios faciens, proſecutus eſt Regem.* Hæc ex Carolo du Freſne. Et ipſi noui milites dicti tyrones; de quo ſæpius ſupra, & du Freſne pluribus: Inde originem traxit ut & ipſa certami-

na

na & ludi equeſtres quibus armorum poſtquam inaugurati, periculum faciebant, dicerentur tyrocinia. Ita Wilhelmus de Nangiaco in geſtis Philippi III. ad ann. 1279. vocat *ludos tyrociniorum*, & addit: *fecerat enim parum ante Rex Franciæ fratrem ſuum Robertum Comitem Claramontis, militem nouum, & cum illo quam plures alios. Quibus & multis aliis ob honorem & amorem Principis* (Salernæ) *cognati ſui dedit ad tyrocinia exercenda, arma & equos quam pluri-mos affluenter.* Ita & *ſolennitatem tyrocinii* inaugurationi ſuæ additum iri panormitanis ſuis notum facit Conradus apud Petrum de Vineis *III. ep. XX.* Et inter regulas militaris ordinis Guilielmo Batauo proponitur & hæc *tyrocinia non niſi cauſſa militaris exercitij frequentare.* Quare non male auguratur Goldaſtus qui etymologiam vocis thurnier/ thurnieren deducit a *tyronibus*, dum ad Conradum de Fabaria Rerum Alemann. *p. m. 221.* ita loquitur: *tyronibus id eſt militibus, hinc Alemannis torner, tyronium corrupte pro tyrocinium, id eſt ludo equeſtri vel militari, vnde Barbari formarunt torneamentum,* turnieren/ *velitari, in armis ſeſe militarem in morem modumque exercere, quod barbaris torneare & monſtroſius haſtiludiari.* Hæc Goldaſtus. Eo magis autem me mouet, quod pro tyrocinio ſiue exercitatione militari olim quoque dictum fuerit tyronia vt Arnobius

bius iunior *in pſ. 119. ſicut*, inquit *tyronia corpus exercet; ita animam diuina præcepta inſtituunt*, quare & *l. 21. C. th. de tyronibus* tyronatus dicitur pro eo tempore, quo tyrones militiam exercent. Atque ex voce iſta *tyronia* Gallorum *tournay* & Germanorum vetus *turnay* nulla vi literis facta, quam facillime elici poteſt. Conſuetum enim Germanis latinorum *ia* in *ey* vertere, inde ex *tyronia tyroney*, ex quo *thurney*. Barbari vero etymon vocis male intelligentes, quaſi ex Auarum voce *tornare* eſſet, pompoſa litterarum additione per torneamentum explicarunt.

OBSERVATIO VI.

CONTINVATIO PRIORIS ARGVMENTI ET QVANDO PRÆCIPVE EQVITES AVRATI CREATI, ET QVID INDE ADEPTI FVERINT.

§. I. A *ſolenni inauguratione alia erat equeſtris dignitatis collatio belli tempore minus ſolennis.* §. II. *Ex iſto more origo humeros feriendi equitum, qui nunc aurati dicuntur ab auratis calcaribus, & ſeculo XII. demum orti.* §. III. *Imperatores poſtquam coronati & Aquisgrani & Bononiæ & Romæ crearunt equites.* §. IV. *Primum promiſcue creati equites, poſt ſoli nobiles.* §. V. *In regum quoque inaugu-*

gu-

gurationibus equites creare ſemper ſolenne fuit. §. VI. *Miles creatus alios iterum creare milites poterat, & quomodo.* §. VII. *Equites creati adipiſcebantur quoque ius ſigilli & calcarium auratorum.* §. VIII. *Equeſtris fides olim ſumma.*

§. I.

SOlennis hæc erat equeſtris dignitatis collatio, de qua ante diximus quæ fiebat pacis tempore, atque dum omnia rituum ſolennia fuerint obſeruata, dicebatur per balneum facta, in quo ritus initium conſtabat. Alia fiebat belli tempore, inter ipſas expeditiones, de qua Nicolaus Vptonus *lib. I. de militari officio cap. III.* ita loquitur. *Item creantur milites per aliquem principem, ſeu principalem Capitaneum in villarum obſidionibus, caſtrorum vel fortalitiorum & hoc diuerſis modis. Si forte aſſultus fiat, ſeu faciendus fuerit, tunc creandus in militem portabit gladium in manibus, de principali Capitaneo obſidionis petens, vt ipſum creet in militem, qui quidem Princeps ſeu principalis Capitaneus capiet gladium prædictum de manibus ordinandi, & ipſum percutiet, dictum gladium tenendo ambabus manibus, cum eodem, nominando eum militem ſic percuſſum. Qui quidem Princbps tenetur alium veteranum militem eidem ad-*

adſignare, qui ſibi calcaria deaurata præparabit, & ſecum tranſibit ad aſſaltum faciendum. *Item idem modò obſeruatur in creatione militum ad mineram, ſed veteranus ille cui nouus tyro committitur, vigilabit nocte ſequenti cum tyrone in minera ſupra dicta.* *Item creantur milites in bellis campeſtribus, vbi idem modus creationis obſeruabatur, qui in aſſaltibus exercetur.* Idem ex veteri Cæremoniali Francico adducit Io. Sauaron *de enſe Francico p. m, 27. & 28* Vid & Io. Limnæus *notit. Regn. Franciæ lib.* IV. *c.* V. *p. m.* 292. *Hanc enim*, inquit Ingulphus, *conſecrandi militis conſuetudinem*, (omni ſcilicet ſeruata ſolennitate,) *Normanni abominantes, non militem legitimum tenebant, ſed ſocordem equitem & Quiritem degenerem deputabant*,

§. II. Inde mos feriendi humeros ad ſequiora tempora fuit perductus. Ita Cæremoniale Romanum *lib.* I. *ſect.* VII. de milite a ſummo Pontifice factó: *tum accipiens illius enſem nudum, ter militem percutit plane ſuper ſpatulas dicens: eſto miles pacificus, ſtrenuus, fidelis, & Deo deuotus.* Qui enim olim cincti vel milites dicti, poſt ſeculo decimo tertio equites aurati adpellati; ab auratis quidem, quæ concedebantur calcaribus. Quod ſupra ex Vptono vidimus, alium militem calcaria adaptaſſe deaurata. Ita & Lambertus Ardenſis *eidem Comiti*, inquit, *in ſignum militiæ gladium*

dium lateri & calcaria ſui militis aptauit. Idemque apud equites Balnei quam maxime obſeruabatur, apud Menenium *p. m. 130.* Quod etiam Latzius iam animaduertit, in locum eorum, qui olim cingulo donati dicebantur, nunc ceſſiſſe equites auratos. Goldaſtus quidem in Conſtitutionum Imperialium Tomo, inter alia Ottonis M. priuilegia quodpiam adducit, cui titulus de locatione & priuilegio Cameræ Imperialis Magdeburgenſis in cuius §. 5 hæc leguntur: *quare auctoritate noſtra Cæſarea mandamus omnibus Principibus noſtris & Imperii ſubditis, dominis, equitibus auratis, miniſterialibus & omnibus officialibus &c.* Sed eius conſtitutionis falſitas iamdum a Bœclero *in Ottone I. p. m. 324* demonſtrata eſt. Immo nec ſeculo Ottoniano equitum nomen pro equeſtris dignitatis viris notum erat, ſed ſemper denotabat tales, prout opponebantur peditibus.

§. III. Equites autem auratos creare ſolenne maxime ab illo ad noſtra vsque tempora eſt in Imperatorum Regumque inaugurationibus. Imperatores quidem poſtquam coronati, gladio, quem Caroli M. dicunt, equites ſemper creare ſolent. De quo Petrus de Andlo *lib. II. cap. VI. fin. aſſolet præterea*, inquit, *Imperator, cum venit ſuper pontem Tiberis iuxta caſtellum S. Angeli creare equites.* Quod

etiam confirmat Hartmannus Maurus in Coronatione Caroli V. *p. m. 864 in Schardii Tomo II.* Singulare eſt, quod Matthias Berneggerus *qu. LXVI in Taciti Germaniam* ex Heroldi Solone adfert, moris fuiſſe, vt Impp. Germani poſtquam Romam coronationis cauſſa profecti, in ponte Adriani equites crearent: *edicto prius per præconem edito, an præſentes adſint vnus vel plures e familia monachorum Baſileenſium, Beierorum Argentinenſium, Camerariorum Wormatienſium, Boppartenſium Bauarorum* nec vllum ante hanc promulgationem potuiſſe equitem creari, illum tamen morem, poſtea in deſuetudinem abiiſſe, addens. Non autem Romæ ſolum, ſed & ante coronationem Romanam, Aquisgrani quoque creati equites, poſtquam coronatus Imperator. Ita enim Hartmannus Maurus *c. l. creauit interim Regia Maieſtas gladio diui Caroli prægraui, plurimos equeſtris ordinis viros variarum nationum, ſumma cum ſolennitate*, & Goldaſtus in politiſchen Reichshändeln *p. III. p. m. 153.* coronationem Caroli V. Aquisgranenſem deſcribens ait: da ſolches (coronatio nempe,) ein Ende hat / nahm die Königliche Maieſtät Keyſer Carls Schwerdt in die Hand / und ſchlug Ritter derſelben viel mit groſſen Gedrüng. Circa diſceſſum Aquisgrani denuo creatos fuiſſe milites teſtatur idem *p. m. 154.*

m. 154. Hac autem Rex coronatus prima corona, atque ad Italicam ſe accingens coronationem, in ſede ſua primum relocabatur, vti inquit Petrus de Andlo *lib. II. c. VI.* Sedes illa in ripa Rheni mihi olim viſa, prope oppidum Rhems, vnicæ tantum horæ itinere ab vrbe Confluentia ſita, hodienum adhuc conſpicua, & lapidibus in ſemicirculi formam elata parum de terra, extructa eſt, ſingulare antiquitatis Germanicæ monumentum, quod etiam nunc vocatur der Königſtuhl, in illa ſede denuo creabantur milites. Ita ex Cæremoniali coronationis Maximiliani I. ſequentia verba adducit Marquardus Freherus ad Petrum de Andlo *p. m.* 176. *Rege exeunte nauem, Dominus Archiepiſcopus Moguntinenſis & Albertus Dux Saxoniæ, eum duxerunt ſupra cathedram lapideam eleuatam, quæ vocatur ſedes Regis, ſituata in campis extra muros ciuitatis Renſenſis prope Rhenum: ſuper quam ſedebat Rex Romano imperio præſtans iuramentum. Ibi quendam de domo Ducis Sigismundi creauit militem factaque per Archiepiſcopum Moguntinum relatione, iterum ſe in naues receperunt, venientes illo ſero Andernacum.*

§. IV. Primum quidem in ſolenni tali actu promiſcue creabantur equites, nulla habita ratione nobilitatis, de quo etiam conqueritur Maurus, inde factum, quod equites

a Sigiſmundo Imperatore poſt coronationem creati, ad ludos equeſtres ann. 1433. Noribergæ habitos non fuerint admiſſi, vti ex Andrea Ratisbonenſi adducit Marquardus Freherus ad Petrum de Andlo *lib. IV. c. VI. p. m. 183.* Certæ poſt conſtitutæ fuere leges, e quibus prima eſt, vt ii, qui in equeſtrem ordinem recipi vellent, quatuor ſuos maiores numerare poſſent, quas leges in coronatione Maximiliani I. & Caroli V deſcribit Goldaſtus in Reishändeln *p. I. p. 10 & 57.* Maximilianus II Francofurti poſtquam coronatus, equites creauit duos Electoris Palatini filios, duos Haſſiæ Landgrauios Guilielmum & Ludouicum, Ducem Würtebergenſem Eberhardum, Albertum Ducem Megapolitanum & Carolum Ducem Münſterbergenſem Schütz *diſp. II. de I. P. §. 21.* Equites autem in Leopoldi coronatione creatos recenſet Lampadius Reichshändel *p. m. 140.*

§. V. Non autem in Imperatorum ſolum, ſed & in Regum inaugurationibus idem olim ſolenne fuit. Sic Hieronymus Curita in Coronatione Alfonſi IV Arragonum Reges militari auctoramento multos fuiſſe ornatos non a Rege ſolum, ſed hoſce nouiter creatos equites aliis iterum militare cingulum contuliſſe, auctor eſt. Menenius *p. m. 56.* In Gallia non ſecus ac in Imperio Romano, Reges

poſt-

poſtquam inaugurati, creant equites, & illi quidem etiam vti putant, gladio Caroli M. prægraui, qui cum aliis regni inſignibus in fano S. Dionyſii adſeruatur, idem quoque in Regum inaugurationibus præfertur, de quo Guilielmus de Nangiaco in geſtis. Philippi III. *p. m. 526.* ita ait: *Et quoniam a tempore Caroli M. Regis Franciæ & Imperatoris Romanorum conſueuerunt Reges Franciæ iocoſam ſpatam prædicti Caroli Regis & Imperatoris in die coronationis ſuæ, dum celebratur prædictæ coronationis officium, in memoriam tam victorioſiſſimi Principis a quodam de nobilioribus ante ſe facere teneri & deferri: illam Rex Roberto Comiti Atrebatenſi Conſanguineo ſuo militi probiſſimo, tradidit illa die deferendam.* Idem obſeruabatur in aliis regnis atque a priſco illo tempore ad noſtra vſque ſolenne eſt.

§. VI. Qui itaque miles creatus erat, alios iterum creare milites poterat, quod docet Michael del Molino *in repertor. foror. Arragon. p. m. 224.* dum ait: *miles poteſt promouere in militem quemcunque infancionem* & Nic. Vptonus *de militari officio c. 11.* Id tamen non in genere ſic intelligendum, ſed ſi miles iſte creatus princeps eſſet, vel nobilis maior. Ita & de Alberto M. Brunſuicenſium duce canit Chronicon rythmicum

do der hohe Vurſte clar

an aller tugend wol gevar
vmpfinck de ritterlichen Waphen
her machte Graven unte Knapſen
zu Rittere oter maßen viel ꝛc.

apud Meibomium notis in Herlingsbergam *p. m. 803.* Ita & de Alberto III. Saxoniæ duce teſtatur Michael Boiemus *in vita* § *XXII.* quod Hieroſolymæ ad ſepulcrum domini equites auratos creauerit ſeptuaginta, gladio leuiter decuſſatim feriens humeros, eique illum tradens, qui creabatur. Licet quidem ſeculo decimo tertio etiam Comites crearint milites, vti exemplum Comitis Gloceſtriæ adducit Menenius *p. m. 55.* qui Wilhelmum fratrem ſuum proclamato torneamento (vt barbare loquar) creauit militem, & Simonis de Monteforti Leiceſtriæ Comitis, qui Gilbertum de Clara baltheo cinxit militari. Idem quoque tempore Alfonſi IV Arragoniæ Regis factum, vt nouiter creati milites alios hac dignitate ornarent, quod ex Hieronymo Curita teſtatur Menenius *p. m. 56.* Inde vero ſoli Reges ſibi milites creandi poteſtatem reſeruarunt, eadem aliquando conceſſa auctoritate filio primogenito.

§. VII. Inter hæc & alia priuilegia adipiſcebantur quoque ius ſigilli. Proprio enim ſigillo, qui nondum equites creati, non vtebantur, quod ex Abendonenſi libro apud

Mê-

Menenium *p. m.* 54. colligitur: *quod deſcriptum*, inquit, *Richardus Comes Ceſtrenſis ſigillo matris Ermentraudis ſignare conſtituit, cum (nondum enim militari baltheo cinctus erat) litteræ quælibet ab eo directæ, materno ſigillo includebantur.* Et in Burgundia in decreto Iacobi & Guilielmi Iuſti ſexto Auguſti 1376. dicitur armiger cum equeſtrem ordinem ſuſcipit, ſigillum mutare. Io. Tilius *lib. II. de reb. Gall. p. m.* 180. De hoc more teſtatur du Freſne *voce ſigillum* p. m. 854 vbi inter alias hanc quoque ex Auguſtino de Pas inſtemmate Dolenſi chartam adducit: *& quia adhuc miles non eram & proprium ſigillum non habebam, quando hanc conceſſionem fecimus, auctoritate ſigilli domini patris mei cartam iſtam ſigillauimus*, & Ioañes Mabillonus de Re Diplomatica *lib. II. c. XVIII. m.* 147. ex Labbei miſcellaneis adducit Guilielmum Vitionenſem, quod is litteras cum Abbate Sancti Dioñyſii confectas, ſigillo avunculi ſui Archembaudi Burbonenſis primum ſignauerit, ipſe ſigillum non habens, cum nondum miles, nec vxoratus eſſet, poſtea vero ſuo proprio vſus fuerit, cum iam vxoratus eſſet, ac proprium ſigillum haberet. Ex quibus du Cheſne quidem concludit, ſolos milites habuiſſe ius ſigilli penſilis, quod de prioribus quidem ſeculis concedunt du Freſne & Mabillonus, ſecus de poſteriorib9,

 vt

vt ſeculo decimo quarto & ſequentibus, cum armigeros poſtquam militesfacti, ſigilla mutaſſe, ſupra ex Tilio viderimus. Et quidem tunicas plerumque equites in ſigillis eorum, qui ex militari ordine ſuper loricis proferre ſolitos notat Mabillonius *c. l.* Præterea adipiſcebantur ius geſtandi calcaria deaurata, vti ſupra vidimus. Quin & inter militiæ inſignia hoc quoque reputamus, quod in militum ſepulcris pro more Romanis olim vſitato, ſcutum quoque & enſis fuerint adpoſita, quod de Sequanorum tombis teſtatur Ioannes Iacobus Chiffletius atque mortui nomen & militis titulum additum refert Veſontione *p. I. c. XXVI.*

§. VIII. Tanta autem equeſtris dignitatis erat auctoritas, vt pro ſummo haberetur iuſtitiæ fundamento, ſi quis vt fidelis eques vel equeſtri fide aliquid ſpoponderit, de quo argumento non leuia habet Menenius *p. m.* *60* & Io. Tilius *lib. II. p. m. 60.* Ex quo etiam equitum exauctorationem diſcimus. Ioannes Grellius enim a Franciæ Rege Carolo V bello captus ſpondebat, ſe in vinculis manſurum, ſi contra veniret, haberi pro falſo, improbo, perfidoque equite, & ad ſignum eius rei ſtemma ſuum inuerti ſurſum deorſum, atque ita apud omnes iudices reum peragi. Tilius *c. l.* Sic & inter militum pœnas non minima erat

rat militaris balthei priuatio, cuius exemplum habemus apud Gregorium Turonenſem *lib. VI. c. XV.* Sed deſiit antiqua fides, ceſſat virtus militaris, ſtatus noſtrorum temporum ab auorum memoria, heu quantum diſceſſit! militare cingulum gratiæ iam donum eſt, auro graui ſæpiſſime partum, non æque virtutis. Dignitas nunc eſt, quod olim præmium fuit, ſeruantur tamen ſoleñia, quo & veteris moris aliqua exiſtat vmbra. Sufficit ergo nobis priſcæ Germanorum virtutis præconem egiſſe, ad recentiora non deſcendimus tempora, cum pro Ordinum equeſtrium inſtitutis ritus etiam varient, de quibus ipſi de ordinibus ſcriptores videndi.

OBSERVATIO VII.

De NAEVIS IVSTINI MARTYRIS, PRAESERTIM IN RATIOCINANDO AB EO COMMISSIS.

CONSPECTVS.

§. I. *Iuſtini laus.* §. II. III. & IV. *Præiudicium de Patrum Eruditione.* §. V. *Item Iuſtini Martyris.* §. VI. VII. VIII. *Propoſitum Auctoris: detectio errorum Iuſtini.* §. IX. *Ordinata diſpoſitio à Patribus neglecta.* §. X. *Etiam à Iuſtino.* §. XI. XII. XIII. *Iuſtini & Patrum obſcuritas.* §. XIV. XV. *Argumenta Iuſtini*

 con-

-contra αὐτοχειρίαν infirma. §. XVI. *Plato ei præfertur atque* Pythagoras. §. XVII. *Fabula de Angelorum cum mulieribus concubitu.* §. XIIX. XIX. *Eius origo.* §. XX. *Iuſtini cum Arrio conſenſus.* §. XXI. *χριςὸς ἀνὰ κεχρῖσθαι.* §. XXII. *Ineptæ Iuſtini ambages.* §. XXIII. *Cur taxet Epicurum, cur laudet Socratem.* §. XXIV. *Contra Stoicos diſputans laudatur.* §. XXV. *Gentilium de Dæmonibus notitia confuſa ac incerta.* §. XXVI. *Vnde male contra Ethnicos diſputat Iuſtinus.* §. XXVII. XXVIII. XIX. *Æternorum ſuppliciorum imbecillis probatio.* §. XXX. XXXI. *Cur Iuſtinus Socrati cognitionem de Chriſto attribuerit.* §. XXXII. *Conſilium amplificandi Concionatorum locos Communes.* §. XXXIII. XXXIV. XXXV. *Iudicium de* Patrum *Platoniſmo. &c.*

§. I.

QVantum Iuſtini Martyris in Eccleſia nomen ſit, quanta fama, ii facile norunt qui Photii de eo Iudicium approbarunt, tantasque laudes exoſculati libellis ſuis inſeruere; ne ſcilicet Optimi Patris auctoritati quidpiam deeſſet; aut Theologiæ ſtudioſi, qui panegyricis verbis delectantur, iuſtas ciere querimonias poſſent. Ita autem Photius Cod. 125. ἔςι δὲ φιλοσοφίας μὲν ὁ ἀνὴρ τῆς καθ᾽ ὑμᾶς καὶ μάλιςα γε τῆς

θύρα-

θύραθεν εἰς ἄκρον ἀνηγμένος, πολυμαθείᾳ τὲ καὶ ἱστοριῶν περιῤῥεόμενος πλούτῳ. *Eſt autem Vir ille ad Philoſophiæ tum noſtræ tum potisſimum profanæ ſummum euectus faſtigium, multiplicisque eruditionis ac Hiſtoriarum copia circumfluens &c.*

§. II. Quibus quidem pigmentis commoveri forte poſſem; ſi præconcepta illa opinio, quæ me olim occupauerat, adhuc conſtrictum teneret; aut Præceptorum quorundam voces pondera mihi viderentur; aut adhuc multorum ſcriptorum amplum in Republica literaria nomen me quoque poſt ſe traheret; aut communis aſſenſus alliceret aut applauſus. At enim vero cum longe mihi aliud ingenium ſit, alia mens atque alius ſenſus; non dubito fore pleroſque, quibus erectus animus atque purgatum pectus eſt, qui propoſitum hocce meum, ſi non approbent, æquis tamen oculis intueantur; eandemque libertatē, quam in viuos ſibi pleriq; attribuunt, in mortuos mihi benignisſime indulgeant.

§. III. Neſcio enim quo fato in eam ſententiam delapſus ſit orbis, quaſi primitiuæ Eccleſiæ Patres nihil dixerint, niſi exquiſitum; nihil literis conſignarint niſi acutum; certum, eruditum, immotum; cum tamen vel leuiter eosdem inſpicienti pateat, nec bo-

bonæ methodi regulas,nec Logicæ artis præcepta ab iis obſeruari; ſed poſſibile cum veroſimili, veroſimile cum vero quam ſæpisſime confundi.

§. IV. Hoc vero cum nemini mortalium licitum ſit, ego certe non video quonam pacto ſpeciale Patribus priuilegium concedi potuerit, vt rectæ ratiocinationis leges impune tranſilirent; aut ſophisma aliquod pro bono ſyllogismo; aut probabilem aliquam concluſionem pro certisſima nobis obtruderent. Itaque cum non minus, quam alii errorum quorundam rei peragi queant; ad tribunal quoque Logicum eos citari fas erit; ne quis ſplendidisſimo ſanctitatis nomine commotus quæuis illorum dicta cœco aſſenſu dignetur, aut ſingulas ſententias ceu præſtantisſimas gemmas, vel ſacratisſima Oracula veneretur.

§. V. Poſſem autem, vti quidem animum meum induco, integrum commentarium de Patrum næuis atque erroribus Logicis facili perquam labore conficere, niſi nunc quidem propoſitum mihi foret, Iuſtini Martyris conſequentias examinare, Patris certe longe antiquisſimi, quique Philoſophi nomen communi fere applauſu obtinuit, etiamſi nihil pene in eo deprehenderim, quod Philoſophicam quandam accuratio-

nem

nem ſapiat; aut venuſtam rerum diſpoſitionem, aut exactum iudicium, aut legibus bonæ methodi conformem ordinem oſtendat.

§. VI. Ad quod perſpicue demonſtrandum ambæ nobis Apologiæ ſufficiant, quæ a nemine quantum ſcio in dubium vocatæ ſunt, ſi *Harduini* ſomnia excipias, quæ tamen nec *Du Pinio*, nec aliis, nec mihi tanti ponderis videntur, vt rationibus illius adacti abiudicare eos Martyri noſtro debeamus. De cæteris quæ illi attribuuntur ſcriptis iudicare nunc quidem deſiſtemus, non quod exquiſita, & extra omnes legitimæ cenſuræ terminos poſita cuncta videantur; ſed quod dubia, vel ſuppoſititia partim; partim prolixiora compareant; quam vt intra paucas vnius diſſertationis paginas dignum ſubire examen queant.

§. VII. In vita Iuſtini Martyris deſcribenda cur ſubſiſtamus cauſæ pariter nihil deprehendo; fecerunt hoc alii, quibus iucundum eſt eiusmodi rebus immorari, nec ſcio an multum vtilitatis in nos redundare poſſit, ſi Iuſtinum Martyrem Samaritanum eiusque Patrem Priſcũ, non Bacchum fuiſſe euinceremus; aut an ille anno poſt Chriſtum natum 150 quemadmodum tradit *Poſſeuinus*; an 164 vt *Baronius*, an 165 vt *Iacobus Tirinus*, an 170 vt *Lucas Oſiander*, Martyrium ſubierit multum-

mul-

multis modis diſceptaremus. Fruatur hiſce deliciis Criticorum ampliſſima turba, ac cœlo terraque commotis, abſtruſisſima Chronologiæ ſacræ myſteria excutiat: Nos aliorſum tendentes labori huic iure ſuperſedemus: parum etiam ſudaturi, ſiue prima quam in manus ſumſimus Apologia ſecundum occupare locum debeat; ſiue ſecunda primum: quamvis non neſciam multis hoc ambagibus ab aliis fieri; & *Bellarminum* propterea, *Petauium*, *Halloixium*, *Gerhardum* I. *Voſſium*, *Valeſium*, *Labbeum*, *Alexandrum Pagium*, aliosque velut multæ lectionis teſtes citari ac in medium produci.

§. IIX. Nos *Friderici Sylburgii* editionem quæ ex Commeliniano Typographeo a. 1593 prodiit, ſecuti, eundem quem ille tenet ordinem ſeruabimus; poſteaquam deprehenſum ſemel fuit, inanes, ac criticas illas diſputationes, aut parum ad noſtrum propoſitum aut nihil facere. Agite ergo: Multa enim ſe hic nobis offerent notatu digna: videbitis dialectica ac infirma Iuſtini argumenta; & ſi inconcuſſa vobis promiſiſtis ac immota, mutabitis credo animum, niſi aliorum laudibus detenti, claudere oculos, & obfirmare pectus iam ante decreuiſtis.

§. IX. Inter cætera quæ ſcriptori famam atque eruditionis gloriam conciliare poſſunt

non

non poſtremum forte locum meretur, exacta rerum, de quibus dicimus, aut loquimur diſpoſitio; quæ non tantum ad claram & diſtinctam rerum perceptionem multum facit, verum etiam argumentorum, quibus vtimur, vim atque pondera efficaciter adeo ſenſibus noſtris obiicit, vt quauis declinata confuſione, exactisſime omnia conſtructa deprehendantur. Neſcio vero an non hoc ipſum vt vt laudabile ac neceſſarium perquam ſit, a pleriſque Veterum ſiue oratores, Poetas, Philoſophos, ſiue etiam Eccleſiæ Patres reſpicias turpiter neglectum fuerit; quam multum etiam alii de ſeruato ab iis ordine crepent; & de rara ac exquiſita illorum doctrina iactent.

§. X. Noſter certe Iuſtinus, cui tamen, vt Philoſopho longe alia via incedendum fuiſſet, eodem quo inferioris ſubſellii ſcriptores tramite decurrit; ſine methodo ac ordine pasſis, vt ille ait, crinibus, ac quoduis ſæpe arripiens, vt neſcias quo caſu, quoue fato ad hunc vel illum ſermonem delatus fuerit. Quod ipſum condonari forte primæ ſimplicitati poſſet; niſi Apologias pro Chriſtianis ſcribere, eorumque defenſionem coram ſagacisſimis Viris cum fructu ſuſcipere voluiſſet Martyr. Itaque attende Lector.

§. XI. Cum in prima Philoſophus defenſione, ad Senatum Romanum, vt communi-

niter credunt perſcripta , Romanos fratres appellaſſet , ob ſimiles perpeſſiones , atque affectus, quibus ſinguli fere homines obnoxii ſunt; neſcio ſane, quo impetu ille abreptus p. 32. ſubiiciat : *Vbique videlicet* (Latina affero ex interpretatione *Ioannis Langi*, ne Græcis adſcriptis nimium excreſcat diſſertatio) *ad frugem bonam aliquis adducatur, a Patre, vel vicino, vel filio, vel amico, vel fratre, vel Viro, vel uxore, ſi nemo praterea praſto ſit; eis duntaxat exceptis, quibus eſt perſuaſum iniuſtos & libidinoſos, in igne æterno excruciatum iri; qui vero per virtutem ad exemplum Chriſti vitam egerint, extra perpeſſionem & dolorem omnem cum DEO eſſe victuros*; (*eos autem qui Chriſtiani ſunt dicimus*) *propter animorum pertinaciam & voluptatis ſtudium, & quod ad honeſtatem conſectandam excitari prorſus nequeant &c.* Quæ propterea adſcribo vt primum perſpicui ſtyli, ordinatæque dicendi formæ in Iuſtino exemplum habeas. Ego commodum inuenire ſenſum non poſſum. Si cui maior ingenii perſpicacia eſt, & palmam ei permittam, & debitas laudes. Volui verba, reuoluique; penſituri vltra citraque; nec tamen exoptatum illud εὕρημα ingeminare datum eſt. Sylburgius locum vitioſum dicit; ego obſcurum, vt quid ſibi velit Iuſtinus ne haruſpex quidem diuinando adſequi queat.

§. XII.

§. XII. Hæc enim nobis ſæpius repetenda erit querela; quicquid forte obloquantur alii, qui S S. Patres minime obſcuros, confuſos aut perplexos volunt; claro ſatis indicio, hos homines intelligere, quæ non intelligunt; aut cœco venerandæ antiquitatis amore circumfuſos ſibi tantum ſapere, & abſtruſa aliisque incognita myſteria pro ſe poſterisque ſuis adſeruare.

§. XIII. Sed bene eſt. Pergit Iuſtinus, & pag. 32. 33. *Dæmoniis agitatos Iudices* tantos *tamque immanes perſecutiones* contra Chriſtianos, *excitaſſe* adſerit: deinde ad fidem conuerſæ cuiusdam mulieris cum marito altercationes ſubnectit; doloſum hominis illius animum retegendo, qui & *Coniugi ſuæ*, & *Ptolomæo, qui fœminam ad Chriſtianiſmum adduxerat*; *& Lucio, qui Ptolomæo adſtabat, & aliis qui ſponte ſua* ſe Chriſtianos profeſſi ſunt, cruentiſſimorum ſuppliciorum genera procurauerat. Quæ quidem non improbo, nec impugno; licet meliori ordine contexi ſingula potuiſſent; quem ſemper deſiderabunt in homine Philoſopho Eruditi.

§. XIV. At quod ſequitur, & Philoſophicam aliis ἀκρίβειαν ſpirare videtur, cenſoriam effugere virgulam vix poteſt. Vide enim ſi lubet, quo modo Iuſtinus Anii Antonini, Aſiæ Proconſulis conſilium, quo Chriſtia-

ſtianos ad reſtes & præcipitia ob frequentem ad tribunalia concurſum ablegans, *αὐτοχειρίαν* iis, ne negotium aliis faceſſerent, ſuaſerat, refutare conetur. *Cauſam inquit* p. 34. *cur hoc non faciamus, & quamobrem cum inquirimur intrepide profiteamur, exponam. Non fruſtra mundum a Deo conditum eſſe didicimus, humani nimirum generis gratia; atque eundem tum iis gaudere, qui illum res eius admirantes, imitantur; tum eis offendi, qui mala ſeu verbo, ſeu opere complectuntur, antea diximus. Quod ſi omnes nos ipſos occidamus, ne quis gignatur; & diuinam diſciplinam doceatur, aut etiam ne genus hominum conſtet, quantum in nobis ſitum ſit, auctores fuerimus, contra DEi conſilium & voluntatem & ipſi ſi hoc committamus venientes. &c.*

§. XV. Hic te appello Lector quisquis etiam fueris, ſiue Patrum cultor, ſiue veritatis amator. Age enim & finge tibi ſi velis Lucianum quendam, aut Creſcentem aliquem Philoſophum; & deinceps omnibus animi affectibus remotis, ſincerum iudicium adhibe. Dic an non petitio eius quod eſt in principio videatur, Chriſtianos nempe Deum imitari, nec mala opere nec verbis complecti? Inquire an obſtinati animi Ethnicus illorum diſciplinam pro diuina reputauerit, quæ ſine ſenſibili generis humani damno, non occultanda, ſed docenda eſſet? perpende an non

pe-

periculoſa quædã conſequentia ſubſit: Malos aliosque quibus diuina diſciplina non eſt, licite ſibi vitam abrumpere poſſe? aut niſi hoc videas, ipſe tandem iudica, an mundus fruſtra fuiſſet conditus, ſi Chriſtiani tum temporis omnes violentas manus ſibi intuliſſent? Hoc certe Lucianus non credet, non homo ſanæ mentis, non ego; licet nec Lucianus ſim, nec Creſcens Philoſophus.

§. XVI. Sed ſiccine ais occupare mortem vltro debuiſſent Chriſtiani? Non credo, ſed ſi me capis, firmius ſaltem & ſtringens magis argumentum flagito, ne optima cauſa male defenſa Chriſtiani nominis hoſtibus latiſſimus campus aperiretur, infirmis illorum ratiocinationibus inſultandi. Neſcio enim an non maioris momenti ſit illud Platonis in Phœdone: ὡς ἔν τινι Φρουρᾷ ἐσμὲν οἱ ἄνθρωποι καὶ οὐ δεῖ δὴ ἑαυτὸν ἐκ ταύτης λύειν οὐδ' ἀποδιδράσκειν. *In cuſtodia quadam nos homines ſumus, neque decet quemquam ex hac ſe ipſum ſolvere, neque aufugere*; aut illud Pythagoræ: *Iniuſſu Imperatoris, id eſt, DEi de præſidio & ſtatione vitæ nemini diſcedere licitum eſſe.*

§. XVII. Itaque niſi fallor, infeliciter admodum ſe defendit Iuſtinus; licet infelicius multo, dum aliam refellere obiectionem molitur. Interrogantibus enim Ethnicis, cur DEus, in quo tamen ſpem omnem atque fi-

duciam ſuam collocarent Chriſtiani, permitteret nihilominus, vt ab iniuſtis preſſi tantis calamitatibus vexarentur; ad ea delabitur Iuſtinus, quæ fabulis, quam rectæ rationi, ſacrarumque literarum fonti propiora videntur. Inde eſt, quod Angelos *diuina ordinatione, ac diſpoſitione* euerſa cum mulieribus *concubuiſſe*, eorumque filios Dæmonas appellatos, fuiſſe dicat: reliquo interim genere humano *vel Magicis ſcriptis, vel terroribus, vel victimarum ac libationum inſtitutione* in ſeruitutem redacto; vnde bella inter *mortales* ac *cades*, quorum originem *fabuloſi Poetæ ignorantes* in Iouem ipſum eiusque progeniem retuliſſent.

§. XIIX. Quibus refutandis ego quidem non immorabor. Nugæ ſunt, quæ ſe ipſas refellunt; & quæ ſine dubio ex male intellecto Gen: Cap. VI originem ſuam deſumſerunt. Nunc methodus tantum Beatiſſimorum Patrum notari meretur; aut ſi mauis animi quædam leuitas, qua abrepti ea ſæpe ſuppoſuere, quæ penitus incerta ſunt; quæue probari, ſi negaueris, neutiquam poſſunt. Vnde miſeræ illorum ratiocinationes, immanes paralogiſmi, captioſæ argumentationes, quæ ambiguis verbis ſuperſtructæ, euitari facile potuiſſent, ſi adhibita iudicii vi, accurate, quam

quid-

quiduis dicere maluiſſent. *conf. Theod. Parrhaſ. p. 28. in Parrhaſianis.*

§. XIX. Nec iuuat hic fideliſſimos S. Patrum paraſtatas, ingentē conſentientium nubē citaſſe, *Athenag.* videlicet, *Euſebii, Methodii, Tertulliani, Cypriani, Lactantii, Ambroſii,* aliorūque magna in Eccleſia nomina. Hæc enim nihil aliud euincunt, quam reliquos in eodem luto hæſiſſe; nec tanti faciendos, vt vulgo creditur; nec tantis laudibus exornandos, vt fieri ſæpe conſueuit; niſi quidem errori in errantium multitudine patrocinium quæras, aut ineptis ratiocinationibus in aliorum conſenſu præſidium.

§. XX. Errauit ergo, vt vt leniſſime dicas Iuſtinus; nec tui te iudicii credo pœnitebit, ſi ingenii ac mentis tuæ aciem ad ea quæ ſubnectuntur diligentius excutienda conuerteris. Ecce enim ſpecimen incorruptæ apud Patres Theologiæ. Occaſione nominum qui bus Angeli ex illicito cum mulieribus concubitu ſuſceptos filios inſigniuerant, miro quodam, ſed Patribus inordinate ſcribentibus non infrequenti ſaltu, de DEi nominibus diſſerit Iuſtinus; ſed ita, vt de filii generatione male ſana ac Arrianiſmum redolentia veſtigia offendas. ὁ δὲ υἱὸς, inquit, ἐκείνου, ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως υἱὸς, ὁ λόγος πρὸ τῶν ποιημάτων, καὶ συνὼν καὶ γεννώμενος, ὅτε δι' αὐτοῦ

πάντα ἔκτισε, καὶ ἐκόσμησε: Porro filius eius, qui ſolus proprie dicitur filius, ante Creaturas cum illo exiſtens & naſcens; quoniam primitus per eum cuncta condidit & ornauit. Quid autem hoc aliud quæſo eſt, quam natiuitas illa filii DEi, etiam qua DEus eſt, quæ aliquando coepit, & mundi creationem anteceſſit? Scio equidem quæ poſſint & ſoleant dici, vt commodus, librisque Symbolicis congruus ſenſus in hiſce verbis inueniatur; at ſatis mihi eſt, torqueri verba; licet *Bullus* aliquis magno labore repugnantias tollere conetur; aut *Dannhauerus* bene dicta Iuſtini ſecundum locos ſyſtematis ſui ordinatiſſime congerat. Ad minimum Patres obſcuriſſime de his myſteriis locuti ſunt; Siue res *ἀκατάληπτος*, ſiue illorum inſcitia, aut quod alii e contrario volunt affectata in his rebus eruditio in cauſa fuerit.

§. XXI. De eo certus pene ſum; nihil adeo inſolens, magisque incommodum a Martyre noſtro dici potuiſſe, quam filium Dei Chriſtum eſſe nominatum *κατὰ τὸ κεχρίσθαι, καὶ κοσμῆσαι, τὰ πάντα δι' αὐτοῦ τὸν Θεόν*. Nemo hic temere repugnabit; conſentiunt vniuerſa poſitiuæ Theologiæ ſyſtemata; Adſunt compendia; imo ipſa venerabilis Theologorum cuiusuis ſectæ corona; qui ſanguinem citius fuſuri eſſent, quam conceſſuri Chriſti nomen aliunde, quam a *χρίειν* ab vngendo derivari.

§. XXII. Sed ita inquis, priori obiectioni ſatis factum nondum eſt, cur Chriſtiani tantis aduerſitatibus obnoxii ſint? Fateor, & ſi me conſulis, penitus tibi aſſentio. Fruſtra enim Philoſophus tanta circuitione, tantisque ambagibus vtitur. Non opus credo, hac diducta ac longius quæſita connexione fuiſſet: Dæmones videlicet eſſe; eos ad cædes ſtimulare impios; ad horum euerſionem Ieſum veniſſe; eamque fieri iam potuiſſe, niſi Chriſtiani eſſent; qui cum impiis ſic raperentur; futuram tamen; ac tum iniquos Chriſtianorum perſecutores æterna ſupplicia in igne ſempiterno reportaturos eſſe. Minori compendio cuncta proferri potuiſſent. Pleraque falſa ſunt; aut temere ſuppoſita: imo ſi quid dicitur, reſpectu Gentilium probabiliter tantum dicitur; quod eludi facile ac irrideri, eo præſertim tempore potuit, vbi Chriſtiana religio maiori robore opus habuit. Ego huic Iuſtini demonſtrationi Senecæ libellum de Prouidentia; aut cur bonis Viris mala accidant, multis paraſangis præferendam cenſeo, ſi ſtoica tollas; quæ vltimo capite de fato adnectuntur.

§. XXIII. De cætero talia hic immiſcuit p. 35, 36. optimus Pater, quæ ſeparari rectius fuiſſet, de *Epicuro* videlicet, ac *Socrate*, quorum primum Dæmonum opera *in charitate ac*

ca-

copia rerum beatum extitiſſe; hunc vero *eorundem inſidiis ac* inſtinctu quia bonitatis quadam ſpecie honeſtiſſimis ſeſe commendauerat, ad *necem protractum* fuiſſe audacter affirmat. Nam vtvt defendere *Epicurum* propter ſparſa ab eo dogmata propoſitum mihi non ſit; licet forte non ſine ſpecie dici quædam poſſint, in hoc tamen diſplicet Iuſtinus, quod affectibus ſuis indulgere videatur. Notum quippe eſt, Platonicos, & Epicureos perpetuis inter ſe diſſidiis diſtentos fuiſſe. *Epicurus* teſte *Cicerone* lib. I. *de natura DEorum*, *Phædoni ſocratico illuſit*; Zeno Epicureus Socratem *ſcurram Atticum* appellauit: Platonici contra: ita vt, quicquid Martyr noſter aut in fauorem Socratis, aut in contemtum Epicuri diſputat, ex Platonico quodam in Epicurum odio, aut amore erga Socratem defluxiſſe videatur; vt taceam plerosque Chriſtiani nominis aduerſarios Epicuream ſectam eſſe ſecutos.

§. XXIV. Interim quæ contra ſtoicorum fatũ p. 36 dicuntur, non inepta adeò ſunt, dummodo meliori ordini ac methodo Iuſtinus inſtitiſſet; quod iterum monemus atque iterum.

§. XXV. At illa propoſitio: *Omnes qui qualicunque pacto ſecundum rationem viuere, & pravitatem fugere ſtuduerunt Diabolorum opera odiis*

odiis exagitati ſunt; *cui illa concluſio ſuperſtructa Ergo & Chriſtiani*; inter eos qui Chriſti doctrinam profitentur, aut ſacram ſcripturam velut certiſſimam DEi reuelationem recipiunt, dubio forte carebit: Ethnicos vero quibus adhuc Chriſtiana fides ludus iocusque eſt, tam parum certe mouebit, quam illud ſupra recenſitum de origine Angelorum commentum. Nam illud quod excipitur ipſos iam Gentiles aliquam de Dæmonibus notitiam habuiſſe aut parui momenti videtur aut nullius. Quicquid enim apud illos reperitur, confuſum eſt, atque perplexum. Alia ſentit *Apuleius*, quam *Plato*; alia *Plotinus*, quam *Apuleius*; diuerſa ab his *Porphyrius*; alia *Iamblichus*; & rurſus diuerſa *Proclus*, licet in hoc plerique omnes conueniant, nullos niſi bonos Dæmonas fuiſſe. vid. *Anton. van Dalen de orig. ac progreſſ. Id. p. 52. ſeq.*

§. XXVI. Quod ſi ergo cum his negotium fuit Iuſtino; ſine dubio deridiculo illis fuit. Si cum aliis, qui malos etiam Genios admittebant; tantum abeſt, vt aſſenſum præbuerint; vt potius inuerterint argumentum: Malos a malis geniis vexari, non bonos; qui rationem hoc eſt DEum ſequantur. Ex quo euidentiſſime pateſcit in conuincendis Ethnicorum animis; aliis Iuſtinum rationibus opus habuiſſe; probandumque prius fuiſſe,

an veræ ſapientiæ addicti ob infinitam DEi bonitarem a Diris illis ſpiritibus male tractari potuerint. Hoc enim negabat Ethnica ſuperſtitio, malignosque Dæmonas in perditisſimorum hominum coercitionem a Diis adhiberi credebat. Vnde facile concludi poteſt, quid de Chriſtianis ſenſerint Gentiles; Iuſtino ad hanc probationem delapſo.

§. XXVII. Reliqua quæ ad Creſcentis Philoſophi calumnias retundendas p. 37. afferuntur, vt ſimpliciora, ita etiam firmiora videntur; ſi demas ea, quæ ad æterna ignis ſupplicia, quibus impii affligantur, ſtabilienda eadem *pag.* veluti inuicti roboris concluſiones adducuntur. *Hoc ſi non ſit, pergit, neque Deus eſt; aut ſi ſit, nihil illi curæ ſunt res humanæ; atque nec virtus eſt, nec vitium, & iniuſte prout diximus, Legislatores eos, qui honeſtatem conſtitutionibus ordinatam transgrediuntur, pœnis afficiunt.*

§. XXVIII. Ignoſcat mihi Iuſtinus, cæterique qui cum illo ſentiunt. Imbecillis enim, imo nulla conſequentia eſt: Si mali nullo olim ſupplicio torquebuntur, aut igne æterno; nullus etiam DEVS eſt. Quis hoc dixerit? DEVM eſſe ordinata mundi diſpoſitio, ac infinita quæ vbique conſpicitur, ſapientia ac potentia indicat; licet nec ad hominem, nec ad illius præmia, nec ad pœnas reſpicias.

So-

Solus ſibi ſufficit DEVS; non aliis indiget creaturis; ergo nec homine etiam, quem excellentisſimum DEI opificium eſſe, nec certum adhuc eſt, nec euictum. quid? quod fingas etiam hoc, illudque præſuppônas; quid tum? An prouida DEI cura ſtatim concidet? Non puto. Satis eſt eum homini, quam diu viuit proſpicere. Magnum eſt, artificioſisſimam orbis huius fabricam inconcuſſam perſiſtere; Multum videtur, hominem ipſum, ex tua ſententia immenſis perfectionibus reliquas creaturas antiſtare. Quod ſi iniuſtum credas, bonos ſine præmiis, malos ſine pœnis relinqui: Euge! virtus ipſa ſibi præmium eſt; ac vitium proprius animi tortor. Quid ergo te quæſo compellit, vt ſuperſtitem virtutem remunerandam fingas poſt mortem; vt ſuperſtes vitium torquendum? Homo ipſe carnifex ſibi eſt; ſiue voluptatis, ſiue auaritiæ, ſiue ambitionis oeſtro percitus contra legem naturæ ſuæ conuenientem egerit. Mens ſibi relicta pœnas futuras non videt; multo minus æternas; quippe quod omnem ingenii humani captum tranſcendit; vt ille qui breui tempore inanisſima voluptate vſus peccauit, æternis & nunquam finiendis pœnis depaſcendus ſit.

§. XXIX. Nam alterum quod de legibus humanis additur, rem non exhaurit ac conficit

ficit. Legum humanarum alius ſcopus eſt. Vbi Respublica, aut ſocietas, ibi tranquillitas requiritur. Ad hanc conſeruandam leges aptæ ſunt; ad hanc ſtabiliendam pœnæ conducunt; ne vinculum illud per quod Respublicæ cohærent, rumpatur; & ſpiritus vitalis, quem tot millia hominum trahunt, inquieta licentia perturbetur. Quo quidem ſenſu pro morum, temperamentorum, ac ingeniorum varietate leges diuerſæ eſſe poſſunt; dummodo naturæ legem vnam, certam, conſtantem, immutabilem cum Iuſtino ſtatuas, qui inter ea quæ probabiliter hac tenus dixit, hoc ſolum vere dixit.

§. XXX. Nunc ad nobilem tandem quæſtionem deueniendum eſt, an *Chriſtus a Socrate, ac Gentilibus ex parte fuerit agnitus?* Iuſtinus affirmat p. 38. χριϛῷ δὲ τῷ καὶ ὑπὸ Σωκράτους ἀπὸ μέρους γνωσθέντι (λόγος γὰρ ἦν καὶ ἐϛιν ὁ ἐν παντὶ ὢν &c. non diſſentientibus etiam aliis quos citat Cauſabonus exercit. 1. contra Baronium. At enim vero, neminem ego tam tardum fore arbitror, qui originem opinionis illius, in quam Patres delapſi ſunt; clarisſime peruidere nequeat. Periculoſa eos homonymia vnius vocabuli decepit, vt λόγον τὸν οὐσιώδη καὶ ἐνυπόϛατον hoc eſt, *ſecundam adorandæ Trinitatis perſonam*; & λόγον ſiue *rationem humanam* turpisſime confunderent. Quæ obſeruatio apprime neceſ-

ſaria

ſaria eſt, ne, quod ingenioſe, vt aiunt, & pro tempore a Patribus excogitatum eſt, apodictice dictum credas. Ne enim nouitas optimis Viris noceret, ac religioni, quam tum profitebantur, Chriſtianæ, ex intentione forte non mala eo proceſſerunt, vt Gentiles qui actiones ſuas externas ad legum rectæque intentionis tenorem accuratius cæteris conformauerant, Chriſtianos dicerent, Socratem præcipue, cuius innoxii mores cum ab aliis, tum a Platonicis maxime celebrabantur. Hoc vero commodius fieri non potuit; quam ſi arrepta τȣ̃ λόγȣ amphibolia fucum iis facerent; ſed qui facile apparet; ſi Iuſtini noſtri verba in Syllogiſmi cuiusdam formam redigantur:

λόγος id eſt Ratio, eſt in omnibus hominibus

Chriſtus eſt λόγος. Ergo.

Chriſtus eſt in omnibus hominibus, & per conſequens in Philoſophis maxime, qui tentarunt κατὰ τὸ ἀνθρώπινον λόγῳ τὰ πράγματα θεωρῆσαι, καὶ ἐλέγξαι.

§. XXXI. Ehodum Viri! quid hoc eſt, ſi hoc non ſophiſma eſt? Patres qui veritatem inuictam docere alios conabantur, fraude vtuntur ac technis. An hoc ſanctitati eorum conuenit? an tantus Paralogiſmus tantæ auctoritati? Mihi credo non ignoſceretis,

ſi

ſi Herodem, de quo mentio in ſacris literis fit, ſine lure, vagum, ac errabundum in ſyluis obambulaſſe, contra Hiſtoriæ veritatem demonſtrare hoc modo laborarem:

Vulpes viuit in ſyluis
Herodes eſt vulpes. Ergo.
Herodes viuit vel vixit in ſyluis.

At ſimilis huic boni ac dormitantis Patris argumentatio eſt; quæ nec excuſari poterit niſi innocuum animum prætexas, nec probari, niſi alium verbis cum Caueo ſenſum affingas, cæterisque, qui ne Patrum laudibus aliquid decedat, indefeſſas vigilis agunt.

§. XXXII. Sed tranſeant hæc atque iſta. Nunc concionatoribus noſtris accedendum eſt; qui fabulas, aut rectius, hiſtorias interdum e Cathedra cum applauſu proiiciunt. Deprehendent enim & hic pag. 38. quod locis ſuis communibus inſerant exemplum, ſub virtutis ac vitii titulo collocandum: *De Hercule in triuio quodam deambulante, virtutem & prauitatem mulierum ſpecie ſibi oblatas inueniente.* Ecce zelum aduerſus Momos; nec contemnendum in Barbara, aut ſi mauis Darii Syllogiſmum:

Quocunque Iuſtinus Martyr, vſus eſt; eo etiam Orthodoxi V. D. Miniſtri adhuc vti poſſunt; . .

At-

Atque Iuſtinus fabulis, atque exemplis ad
virtutis commendationem vitiique vitu-
perium vſus eſt. Ergo
Bonum factum! Egregia conſequentia! Iu-
ſtinus multa probabiliter, ac apparenter
tantum dixit; Ergo & vos, qui in Collegiis
Homileticis artem dialecticam ex aſſe didi-
ciſtis. Pergite, o mei! Hæc pro ratione Vo-
bis auctoritas ſufficiat.

§. XXXIII. De reliquo nolite mihi obiicere,
quaſi nihil rectum putarem, quod Iuſtinus
putat; Videte; multa probo; eaque imprimis,
quæ ad Thyeſteas epulas per calumniam
Chriſtianis affictas, & Oedipodeos inceſtus
iniuſtisſime iisdem obiectos, Philoſophus
reſpondet; quamuis cætera, quæ de *Platonis
doctrinis a Chriſto non alienis idem pronunciat*,
ad palatum mihi non ſint.

§. XXXIV. Hic enim periculoſus ille ſco-
pulus eſt, in quem tot Patres impegere; hæc
illa charybdis, apud quam Iuſtinus, cæteri-
que ex ſecundi ac tertii ſeculi Doctoribus
ſimplicioris fidei naufragium fecere. Pleri-
que enim ex iis Religionem Chriſtianam
non aliter, ac nouam Philoſophiæ ſectam in-
tuiti ſunt; quæ ſub ideis popularibus abſtru-
ſisſima quarumuis artium ac ſcientiarum
myſteria contineret. Vnde non tam ſcriptu-
ræ Interpretes, quam ſpeculatiuos Philoſo-
phos

phos, ac Sophiſtas egere; poſteaquam vana ſemel perſuaſio eorundem animos occupauerat; in ſacris literis Platonicæ Philoſophiæ arcana aſſeruari, ad fallacisſimorum Alchymiſtarum modum, qui vt quidam ait artis ſuæ principia in Geneſi, aut Creationis Hiſtoria quærunt, vid. *Platonis me deuoile p. 78.* Inde ergo mirandum non eſt, hanc apud omnes inualuiſſe ſententiam, Platonem ſi non; omnia pleraque tamen ab Hebræis accepiſſe diuinamque Hebræorum Cabalam communicatam cum Ægyptiis, aliisque gentibus fuiſſe. Sed optime oſtendit *Ioh. Clericus Ep. Crit. epiſt. 8. & 9.* falli admodum in hoc Sacroſanctos Patres, eosque qui cum illis ſentiunt; Platonicamque Trinitatem a Chriſtianorum diuerſisſimam videri; quemadmodum & deſcripta a Platone creatio, a Moſaica plane aliena ſit, ſi non contraria, ac abſurda. In quo penitus ei adſtipulor diuerſarumque ſectarum ſimili ſermone diſſimilia ſignificata fuiſſe credo; iure interim dubitaturus, an *Iohannes* ad *Philonis* Alexandrini doctrinam & locutiones reſpexerit, eadem qua ille ſentiendi libertate. conf. Clerici Artis Crit. Vol. I. p. 2. Sect. I. cap. XIV.

§. XXXV. Quæ cum ita ſint facile profecto intelligi poteſt, cur Iuſtinus ab aliis recte dicta Chriſtianorum eſſe dicat; & quo ea quæ de

de primario ſemine rectæ rationis, & ſemine vt ille loquitur, τινὸς differuntur, colliment. Nobis interim hæc quoad primam Apologiam ſufficiant: dicturi plura ad II.

OBSERVATIO VIII.

FVNDAMENTA HISTORICA IN EXPOSITIONE TITVLI CODICIS DE SVMMA TRINITATA ETC. SVPPONENDA.

SVMMARIA.

EXamen Iuris Iuſtinianei ad amusſim rationis. §. I. *et religionis. Poſte rius cur nondum factum ſit.* §. II. *Etiam noſtrorum negligentia* §. III. *Methodus iuſta commentandi in Iuſtiniani Leges Eccleſiaſticas.* §. IV. *Summa dicendorum ad tit. de ſumma Trinitate.* §. V. *Perpetui fidei articuli, quibus Chriſtiani ab aliarum religionum hominibus diſtincti ſunt.* §. VI. *Chriſtianos primis temporibus magis de re quam de verbis, & magis de ſe quam de aliis ſollicitos fuiſſe.* §. VII. *Fidem ſaluificam tum fuiſſe opus voluntatis, non intellectus, & doctrinam liberam ac nulli formulæ addictam.* §. VIII. *Hereſin tum non conſtitiſſe in verbis & conceptibus, tum in recipiendis Chriſtianis magis ad vitam reſpiceretur, quam ad verba confeſſionis.* §. IX. *Omnem Heres in primorum ſeculorum tendiſſe*

ad vitam impiam. §. X. *Hæretici non fugabantur, ſed fugiebantur absque inimicitia tamen & odio.* §. XI. *Repugnare primis Chriſtianiſmi principiis coactionem ad fidem.* §. XII. *item conſtanti primorum Eccleſiæ Patrum doctrinæ.* §. XIII. *Vnitatem fidei & Spiritus tum fuiſſe vnionem voluntatis.* §. XIV. *Myſterium trinitatis tum magis corde fuiſſe perceptum, quam intellectu comprehenſum aut terminis technicis determinatum.* §. XV. *Nullas fuiſſe contentiones de fide, bene tamē collationes amicas.* §. XVI. *Has vero iure non poſſe prohiberi.* §. XVII. *Tempore Conſtantini Magni omnia fuiſſe mutata.* §. XVIII. *Semina tamen huius mutationis eſſe longe antiquiora: eiusque cauſæ primariæ.* §. XIX. *Autores mutationis fuiſſe Doctores præcipue.* §. XX. *Prima lis Iudæorum de neceſſitate circumciſionis ſopita in Concilio Hieroſolymitano.* §. XXI. *Characteres huius concilii.* §. XXII. *Origo controuerſiæ de Paſchate.* §. XXIII. *Subſecutarum etiam aliarum cauſæ ambitio & æmulatio Antiſtitum.* §. XXIV. *Confeſſionum & Symbolorum ante Conſtantinum nullus vſus.* §. XXV. *Neque vlla formula de trinitate.* §. XXVI. *Tertulliani liberiores & parum orthodoxi conceptus de hoc myſterio,* §. XXVII. *item Gregorii Tavmaturgi,* §. XXIIX. *& Lactantii.* §. XXIX. *Catalogi hæreticorum & eorum abvſus.* §. XXX. *Ex iis nihil fide di-*

gnum

gnum contra Tertullianum & ſimiles afferri poteſt. §. XXXI. *Defenſio Tertulliani*, §. XXXII. *item Montani ex Ittigio*, §. XXXIII. *Vera cauſa, cur Montanus & Tertullianus inter hæreticos fuerint relati.* §. XXXIV. *Defenſio Originis.* §. XXXV. *Reliquorum hæreticorum tolerantia ante Conſtantinum. Samoſateni excommunicationem ſub prætextu quidem hæreſeos, reuera aliis ex cauſis fuiſſe factam.* §. XXXVI. *Exempla aliarum excommunicationum ex mera inuidia & ambitione clericali.* §. XXXVII. *Origo mutatæ antiquæ methodi diſputandi; Rhetoricæ & fucatæ diſputationes ortæ.* §. XXXIIX *Potiſſimi Patres latini ante Conſtantinum Rhetores, Tertullianus, Cyprianus, Arnobius, Lactantius.* §. XXXIX. *Lactantii ineptæ ratiocinationes.* §. XL. *Oratoria doctrinæ veritatis noxia.* §. XLI. *An orator debeat eſſe vir bonus?* §. XLII. *Damna, quæ per Oratoriam paſſæ ſunt Theologia, Iuris prudentia, Medicina*, §. XLIII. *& Philoſophia.* §. XLIV. *Collatio Oratoriæ Veterum, cum Rhetorica hodierna.* §. XLV. *Communis fabula de felicitate temporis Conſtantini Magni.* §. XLVI. *Veræ ſententiæ fabulis illis oppoſitæ.* §. XLVII. *Qualis Autorum ſelectus hic ſit adhibendus.* §. XLVIII. *Officium ſapientis inter Scriptores Panegyriſtas & Inimicos.* §. XLIX. *Sententia Franciſci Balduini*, §. L. *Guilielmi Cauei*, §. LI. *Autoris Hiſto-*

ria Eccleſiaſticæ Gothanæ LII. *de feliciſſimo Eccleſiæ ſtatu ſub Conſtantino, refutatur.* §. LIII. *Conſtantinus Princeps vitioſus & minime Chriſtianus. Primus Cleri nomen ſolis Antiſtibus Eccleſiæ tribuit.* §. LIV. *Antiſtites tempore Conſtantini maxime contentioſi.* §. LV. *Miſeria Eccleſiæ inde orta.* §. LVI. *In ſpecie Patrum Nicenorum contentioſitas,* §. LVII. *& tumultuoſitas,* §. LVIII. *exigua item eruditio in rebus ſpiritualibus,* §. LIX. *Alexandri, aduerſarii Arii character,* §. LX. *indicat fuiſſe hominem maxime carnalem.* §. LXI. *Orthodoxia an poſſit cum vita impia ſubſiſtere?* §. LXII. *Differentiæ tres inſignes inter Concilium Nicenum, & conuentum Apoſtolicum Hieroſolymitanum.* §. LXIII. *Decreta Concilii Niceni repugnare principiis Chriſtianiſmi.* §. LXIV. *Differentia inter noſtram oſtenſionem defectuum Concilii Niceni & ſcripta eam ob rem Zwickeri ac Sandii* §. LXV. *Fallaciæ & ſophiſmata eorum, qui contra Zwickerum & Sandium diſputant.* §. LXVI. *Proteſtatio aduerſus calumniatores doctrinæ noſtræ.* §. LXVII. *Fidem ſub Conſtantino cœpiſſe certis verborum formulis includi.* §. LXVIII. *Partum humanarum cogitationum,* §. LXIX. *nempe voces ac literas pro norma credendorum fuiſſe conſcientiis obtruſum,* §. LXX. *plusquam gentili crudelitate,* §. LXXI. *hoc vero pacto ab ortho-*

do-

doxis viam monſtratam eſſe hæreticis contra ſæuiendi. §. LXXII. *Mos peruerſus Cleri & contra & pro perſecutione diſſentientium ſcribendi, prout ipſorum intereſt* §. LXXIII. *Edictum Conſtantini aduerſus alios hæreticos* §. LXXIV. *Cur nondum in Manichæos ſed ſolum in hæreticos caſte & ſobrie viuentes ſævitum fuerit, cur in Edicto Conſtantini nulla crimina hæreticorum ſpecifice recenſeantur?* §. LXXV. *Suſpectam eſſe accuſationem orthodoxorum contra hæreticos quosuis.* §. LXXVI. *Effectus edicti huius hypocritarum multiplicatio, & miſeria conſcientiarum.* §. LXXVII. *Saluatorem quotidie variis operibus carnis etiam ab orthodoxis fuiſſe crucifixum* §. LXXIIX. *Introductum eſſe militarem & plusquam ſophiſticum modum diſputandi, probatur ex diſputationibus Alexandri & patrum Nicenorum cum Ario,* §. LXXIX. *ex notabili loco Socratis,* §. XXC. *ex mediis Euſebii adulationibus Conſtantini*, §. XXCI. *& ex ſpeciminibus Orationum apud eundem Euſebium.* §. *vlt.*

§. I.

DVo ſunt fulcra ſapientiæ, ratio & religio, ad quarum amuſſim omnes libri examinari debent. Examinatum etiam fuit Ius Iuſtinianeum ad amuſſim rationis,

a) potiſſimum poſtquam Iacobus Mæſtertius abſurdum librum de iuſtitia legum Romanarum ediderat, in quo magno quidem conatu, ſed infelici ſucceſſu, quicquid contra æquitatem aut rationem in iure Romano diſpoſitum videtur raro bene, ſæpius ſine iudicio b) & Rhetorice magis atque ex affectu, quam ex ſtudio veritatis refutare intendit, non multum abſimilis Alberico Gentili, qui ſimili modo de iuſtitia armorum Romanorũ tractatũ infinitis erroribus & vbique cœco amore erga Romanos repletum, c) edidit.

a) Huc pertinent Hottomanni Anti Tribonianus (de quo dictum *Tom. I. obſ. 9.*) Franc. Baldnini Iuſtinianus, Procopii Anecdota, Eichelii defenſio Iuſtiniani &c.

b) Vide ſpeciminis loco *lib. I. tit. 14. 31. ſeq. 37. ſqq. lib. 2. tit. 10. 15. &c.*

c) Vide quæ contra eum diſſero in diſput. de ſponſione Romanorum Caudina.

§. II. Aſt qui Ius Iuſtinianeum ad amuſſim religionis examinauerit, neminem ex noſtris ſcio, cum tamen Iuſtiniani tempore regnum Antichriſti prope virilem ætatem attigerit. Et neſcio qui factum ſit, vt ex noſtris non ſolum nemo aggreſſus ſit laborem, ſtudioſæ Iuuentuti, Iuſtinianeæ autoritati alias nimium adhærenti, fructus religionis Papiſticæ, quibus Corpus Iuris noſtrum vbiuis abundat, oſtendedi, ſed & non pauci iſtos fru-

ctus

ctus in hortos Iuris prudentiæ noſtræ Eccleſiaſticæ transplantauerint,&ita miſeram reddiderint & male cohærentem nobiliſſimam Iurisprudentiæ partem. Non errabo tamen ſi dixerim, neglectum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, nimiam adorationem Iuris Iuſtinianei,potiſſimas næui huius cauſas eſſe, quibus ſi addere velis etiam conſuetudinem exſcribendi absque iudicio collectanea aliorum & ICtorum potiſſimum Pontificiorum, non repugnabo.

§. III. Struuius equidem in iure Sacro Iuſtinianeo, & qui ei iunctus eſt, autor anonymus, quem, Fomanum eſſe nobis relatum fuit, quandoque a Iuſtiniano recedunt; ſæpiſſime tamen etiam cum eodem papizant. Imo dolemus, quod pius & abuſus Pontificiæ doctrinæ in iurisprudentia Eccleſiaſtica ſubinde notans ICtus B. Brunnemannus, qui ſi quisquã defectum hunc emendare potuiſſet, in Commentario ſuo ad Codicem, vlcus hoc non tetigerit, quin potius Iuſtinianea tempora acſi purioris Eccleſiæ Catholicæ praxis in illis viguerit, *ad l. 2. n. 5. C. de ſumma Trinitate* ſatis dilucide laudauerit, videlicet nondum de illis cogitans, quæ ipſe poſtea *ad l. 3. n. 1. & ad l. 5. n. 3. C. de Heret.* notauit.

§. IV. Quemadmodum ergo ad deſiderata Iurisprudentiæ noſtræ pertinet iuſtus

Comentarius ad leges Iuſtiniani circa ſacra; ita tamen nec tempus nec inſtitutum permittit, vt nos ſuſtineamus iſtud Augiæ ſtabulum purgare. Specimen ſaltem edere voluimus, quo modo putemus commodiſſime id fieri poſſe. Nimirum fruſtraneus omnis labor & inanis videtur futurus, niſi quis ſingulis titulis præmittat ex Hiſtoria Eccleſiaſtica fundamenta debita de origine & progreſſu rerum, de quibus in titulo agitur, tum & in ſingulis legibus recenſeat occaſionem legis. His vero iuſte obſeruatis, non difficilis erit genuina legis expoſitio, & oſtenſio errorum ab aliis commiſſorum. Eſto igitur ſpeciminis loco expoſitio rubricæ tituli primi libri primi, & priorum duarum legum eiusdem tituli.

§. V. Eſt vero concepta dicti tituli primi Rubrica: DE SVMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA ET VT NEMO PVBLICE DE EA CONTENDERE AVDEAT. Summam hic dicendorum mutuatis a Magno Grotio, cui Iuris conſulti tantum debent, quantum eſt eorum odium, qui aduerſum virum immortalem adhuc vbique latrare ſolent, verbis *ex lib. 1. Annal. Belgic.* explicabimus. *Chriſtianam religionem ſola quondam ſimplicitate venerandam, mox aggregati diuerſæ philoſophiæ profeſſores ſua quisque doctrinæ placitis, tum Iudæi,*

Græ-

Græci, alii, patriis ceremoniis inſtruxere, quo maieſtatem ſacrorum, haud fruſtra repertam meliores ad vſus verterent. Sed nec libera diu, & priuato ſingulorum aut Eccleſiarum arbitrio ſumta, paulatim aucto vſu, docentium facundia, conciliorum ſuffragiis, in legem & neceſſitatem mutata, ſub naſcente temporum barbarie, perque cœcas diſputandi ambages facile defendebantur.

§. VI. Nimirum vnum eſſe Deum, Creatorem huius vniuerſi, qui ante ſecula filium ſuum genuit, vt huius ope humanum genus per lapſum protoplaſtorum ſummæ miſeriæ immerſum redimeretur, quique ſuo & filii ſui ſancto ſpiritu frigida & obſcurata hominum corda calefacere atque fidem in iis accendere promiſerit, myſterium Chriſtianiſmi ſemper fuit, quo ab omnibus aliis religionibus facile ſecerni potuit. (*vide Timanni Geſſelii ſimplicitatem fidei Chriſtianæ, item eius antiquam & veram fidem*)

§. VII. Ac primis quidem Chriſti & Apoſtolorum temporibus Chriſtiani in id incumbebant, vt humiliter, ſimpliciter tamen & libere de hoc myſterio loquentes vita magis & exemplo (*1. Cor. XIII. 2. Epheſ. III. 3. 4. I. Tim. III. 16.*) quam ſubtilibus verbis, aut verbis a ſapientia humana inuentis (*1. Cor. I. 1. Act. XVII. 16. ſeq.* Seckend. Chriſten-Staat *III. VII. 4.*) alios ad Chriſtianismum perducerent,

ac quilibet magis de propria infirmitate ſollicitus ſeipſum examinabat, an fidem in ſeipſo, & fructus fidei, gratiæ, Spiritus Sancti (hæc enim ſynonyma ſunt) deprehenderet, & vigilabat, ne gratiam hanc amitteret, quam vt fratris conſcientiam regere atque errores ipſius ac infirmitates rigide examinare, & iudicare, nondum iudicato ſeipſo, ſuſtineret. *Matth. VII. 3. 4. 5. Rom. XIV. 4. Iac. IV. 12.*

§. IIX. Credebatur igitur tum temporis, ſaluificam fidem eſſe opus voluntatis, non intellectus, *Hebr. XI. 1.* eiusque vnicum criterium eſſe amorem fratrum, & fructus ſpiritus charitatem, gaudium, pacem, lenitatem, benignitatem, bonitatem, fidem, manſuetudinem, temperantiam. *Matth. VII. 15. Gal. V. 22. & vlt.* vbi, quod nec prouocare fratres debeamus, nec iis inuidere *Gal. VI. 1. 2. 3. 4.* non quidem excludebatur doctrina ſalvifica, ſed credebatur, hanc doctrinam non conſiſtere in verbis certis ac determinatis, & vt ita dicam, terminis technicis ſed ſufficere quibuscunque verbis exponere myſteria Dei, modo non abducerent a ſpiritu & fructibus eius *d. Matth. VII. 15. ſq. iunct. Gal. V. 22.* Adde, quod Chriſtus dum iubet diſcipulos ſuos docere omnes gentes, iis non committit, vt ſyſtematice de myſteriis rerum diuinarum aliquid

quid componant, ſed vult ſaltem, vt doceant gentes ſeruare mandata ſua. *Matth. vlt. v. 19. 20.*

§. IX. Igitur tum pro hæreſi, i. e. ſeparatione a cœtu fidelium per doctrinam falſam, non habebatur, ſi quis in exponendis myſteriis diuinis aliis terminis vteretur, & aliis ſimilibus, etiam ab alterius coneptu diſcrepantibus *1. Ioh. IV, 2. 3. Ioh. XVII, 3.* ſiquidem nulla formula confeſſionis recepta erat, ſed quilibet, qui Chriſtianus eſſe, & in fraternitatem recipi cupiebat, verbis quibuscunque, quod in Chriſtum crederet, declarabat, *Ioh. XI, 25. 26. 27. Act. II, 41. VIII, 27. X, 44. ſeq.* & fidem ſuam charitate aliis monſtrabat, potiſſimum humilitate, manſuetudine, eleemoſynis, caſtitate &c. *Act. X. 2. 31. Geſſelius fid. ſimplic. p. 33.*

§. X. Sed ille hæreticus eſſe cenſebatur, qui ſecundum doctrinam Philoſophiæ gentilis vel Deum creatorem negare, vel imitationem Chriſti tollere, *1. Ioh. II, 19. 22. 2. Ioh. 7.* vel opera naturæ & gratiæ miſcere, ſimul vero fructus carnis, adulterium, ſcortationem, immunditiem, laſciuiam, ſimulacrorum cultum, veneficium, inimicitias, lites, æmulationes, iras, concertationes, ſeditiones, ſectas, inuidias, cædes, ebrietates, comeſſationes & his ſimilia cum Chriſtianiſmo, in doctrina

ſua

ſua & praxi conciliare aggrediebantur. Id quod facile probari poteſt examinando omnes hæreſes ſub viris Apoſtolicis ortas. Nam & qui diuinitatem Chriſti negabant, intendebant imitationem Chriſti tollere & ceremonias Moſaicas iterum intro ducere, ſub quibus videlicet laxior vita erat. Qui vero reſurrectionem negabant, tollebant eo ipſo fructus veræ fidei. *1. Cor. XV, 12.* (vbi tamen nota quod Paulus eos appellet fratres) *14. 32.*

§. XI. Hos fugere iubebantur Chriſtiani, non fugare *2. Tim. II, 16. 17. 23. Tit. III. v. 9. 10. 11. iunct. v. 8. 1. Tim, IV, 7. 2. Petr. I,* per integr. Atque vt appareret, non tam fugiendos eſſe ob ſpeculationes & errores intellectus, quam ob vitia voluntatis & opera carnis, ſimilis fuga & ſeparatio inculcabatur, ſi quis doctrina quidem ſe nullo modo ſepararet, viueret tamen ſecundum opera carnis, & fratris nomine abuteretur *1. Cor. V. v. 9. 10. 11. & NB. 13.* ita tamen vt fuga hæc non in inimicitiam degeneraret, aut imperii vel pœnæ aliquid inſtar haberet, ſed vt ſemper recordarentur, fratres eſſe, & vt propriæ infirmitatis recordati ferrent eos, atque patientia hac in ordinem eos redigere tentarent. *2. Theſſal. III, 14. 15. Gal. V. vlt. & VI. 1. 2. 3. 4.*

§. XII. Patet huius ſententiæ conuenientia

tia cum principiis Chriſtianismi etiam ex aliis argumentis. Vult Chriſtus voluntarium obſequium, dum ſpiritu vult coli, & diſcipulis ſuis abnegationem ſui præcipit, quæ nonniſi mente ac animo peragi poteſt, & adeo vi & coactione humana minime producitur. Adde, quod Deus Pater iam olim naturam regni Chriſti delineaturus ſub figura filii hominis, reliqua regna ſub figura beſtiarum delineauerit. Euangelii inſuper præcepta nil niſi charitatem ſpirant: diſcipuli inſtar ouium inter lupos, non inſtar luporum inter oues miſſi ſunt: fides Dei opus eſt. Nec hæc ſaltem obtinere initiis euangelii, poſteaquam autem Imperatores Chriſtianiſmum profeſſi ſunt, aliter ſe habere debuerunt. Religio Chriſti enim eſt immutabilis, & Chriſtus non eſt ita & non, ſed idem ſemper in omnia ſecula. Leges hi condere debent Chriſtianæ religioni conuenientes, non vi & armis eam tueri. Neque enim Chriſtus Eccleſiam armis inſtruxit carnalibus, ſed ſpiritualibus. Debet Eccleſia etiam pro perſecutoribus orare. His fundamentis fundata Eccleſia primis temporibus potentiſſime fuit propagata. *Limborch. Hiſt. inquiſitionis l. 1. c. 1. per integr.*

§. XIII. Praxi huic conſentanea fuit temporum illorum conſtans & vnanimis doctri-

na

na. Loca Tertulliani, Cypriani, Lactantii huc pertinentia fuſius retulit Limborch. *Hiſt. inquis l. I. c. 2.*

§. XIV. Vna igitur fides fuit, vti vnus ſpiritus credentium *Ephes. IV, 5. 13.* vnitorum, videlicet per vinculum pacis & opera mutua charitatis *Act. IV, 32.* non per vinculum formulæ alicuius aut confeſſionis de conceptu & intellectu myſteriorum fidei. *Ephes. IV. 3. & 5.* Et hæc eſt fides catholica.

§. XV. Cæterum myſterium de Deo Patre, Filio & Spiritu Sancto, atque eorum vnitate tum pro myſterio habebatur ſummo, neque mente humana comprehenſibili, neque terminis Philoſophicis ac formulis circumſcribibili aut explicabili. *Matth. III. 16. 17. XXIIX. 19. I. Pet. I. 2. I Ioh. V. 7. Iud. 20. 21.* Incumbebant potius in id primi Chriſtiani, vt gratiam Patris, amorem Filii & communionem Spiritus Sancti in cordibus ſentirent (*II. Cor. XIII. 13.*) quam vt ſpeculationibus intellectus conceptus mortuos tanquam de rebus externis formarent. Quinimo tanta libertate in exponendis conceptibus de Trinitate vſi ſunt SS. Patres primorum ſeculorum, vt etiam apud illos qui communi conſenſu Martyribus accenſentur, deprehendantur duriores locutiones, quæ hodie non tolerarentur, ſi quis iis vteretur. Vide quæ Sandius excerpſit *in*

Nucl.

Digitized by Google

Nucl. Hiſt. Eccleſ. ex Clemente Romano *p.67.* ex Ignatio *p.71.* ex Iuſtino Martyre *p.77.* ex Irenæo *p.92.* ex Clem. Alexandrino *p.94.* & quæ paſſim notat Scultetus *in Medulla Patrum.* Adde quod & ſubſequentibus temporibus & iam inter medias altercationes nonnulli patres Eccleſiæ adhuc incomprehenſibilitatem huius myſterii non ſolum agnouerint, ſed & a diſputationibus ea in re abſtinere iuſſerint. Vide quæ Gesſelius *de fide antiqua & vera* excerpſit ex Cyrillo Hieroſ. *p.164.* ex Gregorio Nazianzeno *ibid.* ex Auguſtino *p.168.* qui & refert elegantem locum ex Erasmo *p.72.*

§. XVI. Quemadmodum igitur fides cum contentione non poteſt conſiſtere, cum contentiones de fide ex odio ortum ducant, & ad opera carnis pertineant, ita haud dubie veri Chriſtiani de fide nunquam contenderunt. Neque adeo diſputarunt, quatenus diſputationes vel contentioſæ ſunt vel contentionum & bellorum inſtar aliquid habent. At vero quatenus genuinæ diſputationes ſunt collationes ſinceræ duorum, tendentes ad inueniendam veritatem, ac in mutuis quæſtionibus & reſponſionibus conſiſtunt, aut etiam, quatenus hæ placidæ quæſtiones intendunt apertam conuictionem errantium vel Sophiſtarum, eatenus haud dubie non ſolum

lum a primis Chriſtianis, ſed & a Chriſto ipſo fuerunt vſurpatæ *Matth. XII, 9. ſeq. XIX, 3. ſeq. XXI. XXII, 15. ſeq. XXIII. & alibi paſſim.*

§. XVII. Cum autem omnium interſit, veritatem ſaluificam notam fieri, & errores huic veritati aduerſos detegi, nulla ratio eſt, collationes eiusmodi occultandi, multo minus eas prohibendi, quia ſola autoritas humana hic periculum ſubit, cui per profeſſionem veritatis haud dubie multum decedit.

§. XVIII. Sed iſta quidem obtinebant olim cum viri Apoſtolici doctrina & exemplo præeſſent ac vigilarent, atque Eccleſia Chriſtiana per perſecutiones & martyria creſceret. Sed quam primum Conſtantinus Magnus religionē Chriſtianam ſecum in ſolium euchebat, alia plane rerum facies oriebatur.

§. XIX. Interim non diffitendum, ſemina huius mutationis etiam in mediis perſecutionum temporibus, & viuentibus adhuc ipſis Apoſtolis iacta eſſe, partim id intendentia; vt ſimplex religio Chriſtiana ritibus externis exornaretur, per quos Chriſtiani ab aliis gentibus diſcerni poſſent, a) partim vt confeſſio de rebus fidei certis formulis includeretur, aut certe terminis quibusdam determinatis efferretur communiter. b)

a) erat

Digitized by Google

a) Erat id contra indolem religionis Chriſtianæ, quæ quærit vnionem omnium hominum & in eo differt a Religione veteris Teſtamenti. Vnde non intendebat religionem ritibus externis ornare, ſed potius depoſitionem horum rituum & emendationem internam, vt Deus neque in templo Samaritano, neque Hieroſolymitano invocaretur, ſed in ueritate & Spiritu. Et hoc etiam, quamuis per accidens, faciebat ad vniendos hominum animos, cum nullius populi ritus reliquis præferrentur.

b) Erat & hoc contra indolem religionis Chriſtianæ ob dicta §. *VII. & IIX.*

§. XX. Quamuis autem origo horum malorum & incrementa eorum in primis tribus ſeculis non poſſint certo ſecundum ſingulas circumſtantias determinari, maxime tamen veroſimile eſt, non a vulgaribus hominibus, ſed viris autoritate conſpicuis ea ortum duxiſſe, ii vero erant diuerſæ Philoſophiæ Profeſſores, Iudæi, Græci, alii [c]) adſueti partim doctrinæ ſyſtematicæ & ſpeculationibus ſubtiliſſimis de Deo,[d]) partim ceremoniis & ritibus externis [e])

c) Phariſæi, Eſſæi, Sadducæi, Stoici, Platonici. *Conf. Hiſt. Eccl. Goth. l. 2. p. 37. ſeq.* Videndum tamen an primis temporibus ex Sadducæis multi ad religionem Chriſtianam tranſierint. Item an Epicurei & Ariſtotelici?

d) Huc pertinet potiſſimum Cabbala Iudæorum & Philoſophia Platonica.

e) Vt Phariſæi, & qui Deum corporeum ſtatuebant, ac decorum in philoſophiam Cynicam inferebant, Stoici. Nam Sadducæi & Eſſæi, item Platonici

I non

non multum videntur fuiſſe dediti ceremoniis. *Conf Act. XV. 5. XXIII. 6.*

§. XXI. Atque primam litem de ceremoniis mouerunt Iudæi, qui partim invidentes quod & Ethnici ad communionem religionis Chriſtianæ admitterentur, partim, vt & in religione Chriſtiana prærogatiuam quandam præ gentilibus obtinerent, acriter inſtiterunt, vt ad Chriſtianiſmum conuerſi circumciderentur, quod tamen in conuentu Hieroſolymitano aliter fuit definitum. *Act. XI, 2. 18. XV. Gal. II, 11.*

§. XXII. Atque de hoc Concilio, omnium conſenſu & antiquiſſimo & ſanctiſſimo probe notandum, quod 1. conſtiterit ex toto populo Act. XV. v. 4. 6. 12. 23. 2. quod decretum vnanimi conſenſu factum fuerit, non per pluralitatem votorum, adeoque ibi omnia more placido & Chriſtianos decente minimum circa finem negotii geſta ſint *Ibid. v. 7. 12. 25.* 3. quod decretum fratribus Antiochenis non fuerit per modum imperii obtruſum ſed ſponte ab iis ſusceptum. *Ib. v. 22. 28. 31.* Atque cum ſingula hæc fundent ſe in indole religionis Chriſtianæ, debebant eadem etiam in conciliis ſubſequentibus pro norma obſeruari, ſi pro conciliis Chriſtianis eadem haberi vellent. *Adde Pufend. de hab. relig. §. 37. & 38.*

§. XXII.

§. XXIII. Seculo ſecundo ſub Imperatore Hadriano Chriſtiani occidentales prima fundamenta iecerunt controuerſiæ de Paſchate, quo ſcilicet die feſtum hoc celebrari debeat, ex qua controuerſia poſtea ſub Commodo apertum ſchiſma ortum eſt. *Hiſt. Eccleſ. Goth. l. 2. c. 3. ſect. c, 1. §. 8. & 11. Marcell. Tabb. Hiſt. Eccl. Tab. 2. AP.*

§. XXIV. Debebant vtique Chriſtianos eiusmodi rixatores ad ſtudium pacis & vnionem a diſſidiis, ſi non amor Dei, ſaltem graviſſimæ perſecutiones reducere. Quod enim Eccleſiam ſuam tam grauiter affligi paſſus ſit Deus, agnoſcit Euſebius *lib. 8. cap. 2.* (*H. E. G. P. II. p. 256.*) in cauſa fuiſſe ſecuritatem nimiam inter Chriſtianos, quodque profeſſio pietatis vita ſimili non fuerit ornata, præſertim ab ipſis cœtunm præſidibus, qui principatus Eccleſiarum tanquam tyrannides ambire cœperant, & contendendi prauo ſtudio inter ſe exarſerant. Hæ Antiſtitum contentiones, inuidiæ, æmulationes pepererunt ſcandala, & ſchiſmata in Eccleſia Romana inter Cornelium & Nouatianum, in Alexandrina inter Demetrium & Originem, in Africana inter Feliciſſimum & Cyprianum *H. E. G. pag. 253. 255. 256.* Et quia Nouatus ſuos rebaptizauerat, etiam quæſtio inter Catholicos orta fuit, an hæretici ſint rebaptizan-

di, qua in re grauiter diſſentit Cyprianꝰ a Stephano *H. E. G. p. 260. 261. 263.* vbi quod Hieronymus ſequatur ſententiam mediam. *Conf. Marcell. A Q. B. D. Sculteti Medull. patr. p. 326. 345. 348. 350.*

§. XXV. Ante Conſtantinum vero Chriſtianos certis ſymbolis confeſſionem incluſiſſe non conſtat. Symbolum Apoſtolicum ab Apoſtolis confectum non eſſe, ſed diu poſt introductum, late oſtendit Gerardus Iohannes Voſſius *diſſert. 1. de trib. Symb.* Quæ vero inter Patrum in his tribus ſeculis ſcripta a nonnullis referuntur expoſitiones aut confeſſiones fidei, ab aliis iam oſtenſum eſt, habendas eſſe pro ſpuriis. Huc pertinent Iuſtini expoſitio fidei, ſiue de confeſſione rectæ fidei, quam Iuſtini eſſe ambigit Bellarminus *de ſcript. Eccleſ. p. m. 37.* fuſius autem probat Iuſtini non eſſe, Sculteus *Med. Patr. p. m. 25.* quos etiam vide de expoſitione Symboli Apoſtolici a nonnullis Cypriano tributa, ſed cuius Ruffinus autor eſt. *Bell. p. 47. 48. Sculr. p. 353.* Tribuitur equidem & Gregorio Tavmaturgo confeſſio fidei, ſed præterquam quod confesſio vnius non ſit ſymbolum Eccleſiæ, & de hac confesſione ſubeſſe dubia apud Bellarminum *p. 44. 45.* videre licet.

§. XXVI. In ſpecie vero ſummum Chriſtianiſmi myſterium de Trinitate ante Conſtan-

ſtantinum ad nullam formulam, & terminos technicos erat redactum, & Patres primitivæ Eccleſiæ phraſibus vtebantur, quæ poſt Conſtantinum non fuiſſent toleratæ. Ideo enim expoſitio fidei, quæ Iuſtino tribuitur, pro genuina non habetur, quia in eo occurrunt voces *μόναδος*, *τρίαδος* &c. quæ tum nec in Eccleſia erant vſitatæ, nec in ſcriptis aliis Iuſtini occurrunt; & quæ multum feciſſent ad controuerſias ſeculi quarti definiendas, ſi ab Euſebio, Hieronymo & aliis, pro conceptibus Iuſtini fuiſſent agnitæ *Scultetus Med. Patr. p. 25.*

§. XXVII. Liber Tertulliani de Trinitate ideo pro ſuppoſitio habetur, quia nominatim mentionē facit Sabellianæ hæreſeos, cum tamen Sabellii nomen tempore Tertulliani in Eccleſia non fuerit auditum. *Bellarm. p. 40. Scultet. p. 166. 249. ſeq.* In libro vero aduerſus Praxeam ita de Trinitate diſſerit Tertullianus. *Eſſe vnitatem in trinitate. Tres autem eſſe non ſtatu, ſed gradu; nec ſubſtantia, ſed forma; nec poteſtate, ſed ſpecie; vnius autem ſubſtantiæ, & vnius ſtatus, & vnius poteſtatis, quia vnus Deus, ex quo & gradus iſti & formæ & ſpecies in nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti deputantur. Scultet. p. 215. 216.* qui *& p. 289.* hæc verba inter orthodoxas ſententias Tertulliani refert. Item aduerſus Hermogenem: *Deus Pater*

 quo-

quoque & Iudex eſt, non tamen ideo pater & iudex ſemper, quia Deus ſemper. Nam nec pater potuit eſſe ante filium, nec iudex ante delictum. Fuit autem tempus, cum ei delictum & filius non fuit, quod Iudicem, & qui patrem Dominum faceret. Scultetus. *p. 213.* qui & de hoc dicto nihil inter næuos Tertulliani adnotauit.

§. XXVIII. Gregorius Taumaturgus in confeſſione ſua fertur poſuiſſe: *Patrem & filium hypoſtaſi eſſe vnum, & ſola animi cogitatione diſtingui.* Vnde ſuſpicio orta erat a Gregorio foueri hæreſin Sabellii, & Baſilius laborat, vt Gregorium a Sabellianiſmi ſuſpicione liberet. Alii vero Hieronymum ſecuti voluerunt, Gregorium per hypoſtaſin intelligere voluiſſe ſubſtantiam ſeu eſſentiam. *Bellarm. p. 45.*

§. XXIX. Inter næuos Lactantii Theologicos, quos Scultetus recenſet, ſunt etiam p. 428. nonnulli, qui pertinent ad myſterium Trinitatis.

§. XXX. Scio equidem ex patribus Eccleſiæ ante Conſtantinum, eos qui non orthodoxe locuti ſunt; potisſimum autem Tertullianum & Originem inter hæreticos referri. Sed hic in genere notandum, pleroſque Catalogos hæreticorum, ac in ſpecie illos qui iſtos patres priorum ſeculorum hæreticis adſcribunt, demum poſt Conſtantini tempora

eſſe

eſſe conſcriptos, adeoque non ſolum deberi ſtudio hæretificandi tum introducto, ſed & ſæpisſime reſpexiſſe ad opiniones certæ ſectæ ſuorum temporum, vnde ex illis non magis potuit inferri, eam opinionem de patribus iſtis, fuiſſe illis temporibus, quibus vixerunt, ac ſi quis ex næuis quos Sculretus in medulla patrũ poſt ſingulos Patres recenſet, ſibi imaginari velit, olim etiam, & ab omnibus iſtos næuos in patribus illis fuiſſe notatos, aut pro næuis habitos.

§. XXXI. Ergo vel & eiusmodi libri Tertullianum & Originem inter hæreticos referunt, vel ex eiusmodi libris, qui inſecuti ſunt, id hauſerunt, vel qui etiam anterioribus temporibus male de iſtis patribus ſenſerunt, ſuſpicioni locum dant, quod non tam ex amore veritatis, quam ex affectu ſcripſerint. Igitur v. g. ex Euſebio, Hilario, Baſilio, Philaſtrio, Epiphanio, Hieronymo, Auguſtino, Theodoreto & ſimilibus ſcriptoribus non adeo quid firmi afferri poterit,

§. XXXII. Quod in ſpecie Tertullianum attinet, Hieronymus & Hilarius vt eius accuſatores allegantur a Bellarmino *p.39.* Sculterus *p. 166.* ex Auguſtino refert, in hæreticorum catalogum ideo relatum eſſe, quod tranſierit ad Cataphryges, i. e, Montani ſectatores, quos ante deſtruxerat. Et in libro de ieiu-

nio Montaniſtarũ ieiunia, xerophagias, ſtationes aperte defendit. *Scult. p. 284. ſeqq.* Alios næuos recenſet idem *p. 299.* Nos vti ſententias Tertulliani omnes non probamus, ita arbitramur, virum de orthodoxia variis ſcriptis (de præſcriptione aduerſus hæreticos cuius excerpta tradit Sculret. *p. 187. 189.* aduerſus Marcionem ap. Scultetum *p. 189. 201.* Valentinianum *p. 189. 215.* Hermogenem, *p. 212.* Praxeam *p. 215.* Gnoſticos *p. 167. 271.*) optime meritum, inter hæreticos ex hypotheſi Apoſtolicæ Eccleſiæ, de qua ſupra §. *IX. & X.* non eſſe referendum.

§. XXXIII. Quamuis autem Montani partes ſecutus fuerit, tamen & hic non deeſſent, quæ vel ex D. Ittigii tractatu *de Hæreſiarchis ſect. 2. cap. 13.* pro ipſius Montani defenſione excerpi poſſent, ſi noſtra intentio id permitteret. Etſi enim præfatus Autor Montanum inter Hæreſiarchas ibidem referat, & aduerſus Tertullianum quod ad Montaniſtas tranſierit ſcribat, cuilibet tamen partibus non addicto mirum id videbitur, quomodo videlicet concluſiones iſtæ præmiſſis plane oppoſitæ in calamum venire potuerint, cum, ea quæ pro Montano *d. capite* §. *2. 3. 4. 13, 15. 16. 17. 21.* erudite differint, iure ſuo poſtulent concluſionem, quod Montanus per mendacia ſit in-

inter Hæreſiarchas relatus adeoque ſimilis iniuria fiat Tertulliano.

§. XXXIV. Id adhuc obſeruare licebit ex hiſtoriis illorum temporum, quod ieiunia, ac vita ſobria & caſta ſeculo quarto & quinto ita pleriſque orthodoxis fuerint exoſa & ſuſpecta, vt omnibus modis operam dederint, quo defenſores eius, v. g. Montanum, Tertullianum, Originem, &c. catalogis hæreticorum inſcriberent. Tales mores & hodie regnant.

§. XXXV. Origenem accuſant iterum Baſilius, Epiphanius, Hieronymus, *Bellarm. p. 42.* damnat quinta Synodus generalis, & in reuelatione quadam in Prato ſpirituali Origenes dicitur cum Ario & aliis hæreticis ignibus gehennæ torqueri. *Bell. ibid.* Nugæ ex affectibus ortæ, & olim ex inuidia Demetrii, Origenem excommunicantis & erronea quædam dogmata libris eius prætexentis. *H. E. Goth. p. 255.* Vnde non immerito eum defenderunt Euſebius, Ruffinus, Iohannes Picus, & Gilbertus Genebrardus, *Bell. d. l.* vt & Sculterus, *p. 163. ſeq.* acerrimus alias næuorum in Patribus obſeruator in meliorem hanc ſententiam inclinat. *Conf. eund. p. 151. & H. E. G. p. 243. ſeq. 247. 250, ſeqq.*

§. XXXVI. Porro quamuis Praxeas & Hermogenes, item Metangismonitæ in doctrina

de Trinitate peculiariter ſenſerint, *Marcell. Tab. CBI. CBV CCG.* horumque opiniones poſtea repetierint Sabellius & Paulus Samoſatenus, *Marcell. CCM. H. E. Goth. p. 168.* tamen initio opiniones hæ diu toleratæ ſunt, (etſi Tertullianus contra Praxeam & Hermogenem ſcripſerit,) ac circa finem ſeculi tertii demum Paulus Samoſatenus in Concilio Antiocheno II. depoſitus & excommunicatus eſt, *Marcell. BF. H. E. Goth. p. 264. ſeq.* ita tamen vt vltra excommunicationis terminos non fuerit proceſſum. Annon vero hæc depoſitio alias cauſas, quam puritatis doctrinæ conſeruationem habuerit, iure quis ſuſpicari poſſet. Si quis Nepotianos, Hieracitas, & Manichæos ſeculo eodem tertio floruiſſe conſideret *H. E. Goth. p. 266. ſeqq.* & tamen non obſeruet, quod tum ſimul in concilio aliquo fuerint damnati, cum tamen communis ſententia ſit, Manichæa dogmata fuiſſe peſtilentiſſima. Vt taceam in Lactantii libris a nonnullis obſeruatas eſſe Manichæi erroris maculas *H. E. G. p. 279.*

§. XXXVII. Scilicet inuidia & ambitio Clericalis potisſimam occaſionem dabat excommunicationibus & depoſitionibus eiusmodi. De Origenis excommunicatione modo notauimus. Similis excommunicatio fuit Felicisſimi, quam ei Cyprianus procu-

curauit. *H. E. G. p. 255. 256. Marcell. B D. & Sculte̲tus p. 135.* Victor ex communicabat eos, qui in celebratione Paſchatos ab ipſo diſſentiebant; *Marc. A B.* vnde & excommunicatio Theodoti ſuſpecta ſit, quod autore Victore hæc ſit facta, & ſi cauſa excommunicationis alia afferatur. *Marc. C B T.*

§. XXXIIX. Modum autem diſputandi cum hæreticis quod attinet, is iam ante Conſtantinum in Eccleſia Chriſtiana multum receſsit a ſimplicitate veteri. Olim doctrina veritatis quidem ſcripto proponebatur, cum aduerſariis autem magis diſputabatur per quæſtiones viua voce, quam ſcripto, & primi Chriſtiani Chriſtum imitati magis veritatem reſpondendo defendebant, quam vt hoſtibus veritatis opponendo eos irritauerint, ſcientes non opponendo iis, qui veritatem oderunt, ſed docendo quærentes promoueri veritatem. A ſuis vero quæſiti, vel ad ſuos adhortando & dehortando, quandoque etiam in ſcriptis reſpondebant. At ſucceſſores Apoſtolorum pedetentim ſimplicitatem iſtam immutabant, non ſolum aggrediendo aduerſarios, ſed & in ſcriptis contra ipſos diſputando, initio Dialogis, tum oratione ſoluta, ſed oratorie magis & coloribus vndecunque quæſitis, ac commotione affectuum, quam placida propoſitione veritatis.

§. XXXIX.

§. XXXIX. De primis patribus Latinis ita Scultetus *de Tertull. cap. I. Venimus ad Latinos Græcis doctrina non impares, eloquentia etiam ſuperiores, ad Tertullianum, ad Cyprianum, ad Arnobium, ad Lactantium.* Tertulliani libros contra Marcionem, Hermogenem, Gnoſticos ſupra §. XXXII. iam memorauimus. Iudice Hieronymo Tertullianus creber eſt in ſententiis, addit Lactantius, & minus comtus & multum obſcurus. *Scult. p. 166.* Libros tamen eius tanti Cyprianus fecit, vt nullum diem ſine eius lectione præterire ſineret, eumque magiſtri nomine dignaretur. *Ittig. de hæreſiarch. p. 245.* Ita vero Cyprianus Carthagine animum omni liberali eruditione poliuit, vt adultus Rhetoricæ profeſſor declararetur, *Scult. p. 305.* ac poſtea ob ardórem propagandæ veritatis a Carthaginenſibus Presbyter, nec multo poſt Epiſcopus renunciatus, & denique Orientis & Meridiei & Septentrionis Præſes & Chriſtianorum omnium Papa iudicatus fuerit.. In ſcriptis vero eius, ipſo Lactantio teſte, magnus ſermonis ornatus, perſpicuitas & potentia perſuadendi. *Scult. p. 305. 306. 307.* Fuit & Arnobius Profeſſor Rhetorices, & Minucius Felix inſignis Fori Romani Cauſidicus ſeu Orator. *Scult. p. 371. 388.* Denique Arnobii diſcipulus Lactantius tantum in eloquentiæ ſtudio profecit, vt

præ-

præceptorem ſuum orationis elegantia & ſuauitate vinceret ác ſuperaret, qui & oratorias literas in Bithynia docuit, & cum videret religionem Chriſtianam diſertis & facundis defenſoribus deſtitui, calamum ipſe arripuit. *Scult. p. 393.*

§. XL. Quamuis autem & hodie ob modum iſtum diſputandi Rhetoricum maxime æſtimentur a falſæ ſapientiæ amatoribus Patres iſti, in tantum, vt Lactantius Chriſtianorum Cicero & lacteus eloquentiæ Pater audiat; tamen quod methodum inquirendi veritatem & defendendi attinet, ſi reliqui iam memorati Patres (quos euoluere nunc non vacat) non meliori ratione vſi fuerunt, quam Lactantius, ſane iam tum ſatis miſera fuit Eccleſia. Tot enim fuci Rhetorici, tot erroneæ opiniones, tot male cohærentes ſententiæ, tot calumniantes expoſitiones doctrinæ aduerſariorum, tot veſtigia odii & amoris in ſcriptis Lactantii latent, vt dubium ſit vtrum veritates inibi contentæ næuos eiusmodi ſint ſuperaturæ. [a])

a) Specimina huius rei in Academia Lipſienſi varia dedit B. Pater anno 1673. ſeq. in lectionibus publicis v. g. dum Lactantius *lib. 3. c. 9.* dictum Anaxagoræ reprehendit, ſtatuentis, quod cœli & ſolis videndi cauſa natus ſit, dum *lib. 6. cap. 10.* reprehendit Philoſophos qui miſericordiam ſuſtulerant, item alios, qui nihil cuiquam impertiendum eſſe putauerunt, dum

dum *l. 6. c. 14. ſeq.* contra *ἀπάθειαν* St°.corum diſputat. &c. Aliud ſpecimen dedi *Part 2.* der Sitten lehre *cap. 13. n. 42. ſeq.* vbi oſtendi Lactantium miſerrime adſtruxiſſe indifferentiam iræ.

§. XLI. Scilicet hi ſunt fructus Rhetorices ſiue Oratoriæ gentilis. Eſt illa ars perſuadendi Auditoribus, quæ quis velit, ſiue de laude & vituperio agatur in genere demonſtratiuo. (Huc pertinent laus Neronis, Febris &c. Ita Iulianus Imperator, cum adhuc Chriſtianum ſe mentiretur, oratorie diſputauit contra dogmata Chriſtianorum, tacentibus & approbantibꝰ id Epiſcopis, quaſi id exercitii gratia fieret) ſiue facta honeſta pariter aut inhoneſta perſuadenda ſint in genere delieratiuo *Quint. Inſt. Or. l. 3. c. 8. p. 152.* ſiue Iudex ad ſententiã ſit diſponendus in genere Iudicicali. *Quint. l. 2. c. 15, p. 93.* Media potisſima hunc finem obtinendi ſunt colores quæſiti. *Id. dd. ll.* id eſt, vt præfatus autor paſſim explicat fuci & cōmotio affectuũ in animis auditorũ, vt verum falſũ, falſum verum, honeſtum turpe, turpe honeſtum, iuſtum iniuſtum, iniuſtum iuſtum appareat. Demus etiam aliquando, imo ſæpe oratores intendere perſuaſionem veritatis, honeſtatis, iuſtitiæ, in eo tamen abeunt a genuinis Philoſophis, quod hæc omnia per verba fucata & per commotionem affectuum efficere tentent, cum Philoſophus contra animum quietum quærat

rat, & verbis ſimplicibus veritatem inſinuare ſtudeat. Vnde & Athenienſes ac Græci in genere vetabant, ne quis coloribus & affectuum commotione vteretur, (*Quintil. l.2. c.17. p.98.* vbi fruſtra fucos Romanos Græcis præfert) & propterea Cicero *ad Brutum c. 8.* aſſerit, eloquentiam Oratoris temperari a prudentia Auditorum, & *lib. 2. de Orat. c. 83.* animum quaſi Oratoris eſſe aures multitudinis. At veritas, honeſtas, Iuſtitia fucata, non ſunt veritas, honeſtas, iuſtitia, ſed vitia quæ laruis virtutum ſuperbiunt.

§. XLII. Congesſit equidem multa Quintilianus, vt doceat, oratorem neceſſario debere eſſe virum bonum, ſed integræ eius Inſtitutiones, imo vel ipſa defenſio Oratoriæ, quam ſuſcipit *lib. 12. c. 1.* oſtendunt, paradoxum hoc, nonniſi oratorie, id eſt falso defendi poſſe. Eſto, virum bonum ſe applicare debere ad animos auditorum, hos vero ſæpe tam imbecilles eſſe, vt veritatem timeant, & iuſtitiam abhorreant, tamen fucis propterea oratoriis, & commotione affectuum non eſt opus. Amore opus eſt. Amor docebit omnia absque arte. Amor nec fucis, nec aliis affectibus vtitur quibus autores decipiuntur. Vti ergo in amore hominum ſuſpirium ſincerum, oculus ſincere langui-

dus

dus plus perſuadent, quam oratio artificioſiſſima; ita & in propoſitione veritatis ſinceritas infucata plus efficiet, quam colores quæſiti.

§. XLIII. Ignorabat igitur artem oratoriam ſimplicitas Chriſti & Apoſtolorum, vti ſemper ignorauit veritas. Et poſtquam adeo Oratoria introducta fuit in Chriſtianiſmum, omnis doctrina ſapientiæ corrupta fuit. Quid Theologiæ nocuerit artificium Oratorium, ex effectu patet, cum ab illo tempore ad noſtra nonniſi fucati Chriſtiani, & affectibus indulgentes, h. e. hypocritæ & hæretifices inde euaſerint. Damnum quod Iurisprudentia ab Oratoribus paſſa eſt, peculiari diſcurſu Methodo Iuris Ciuilis loco præfationis præmiſſo docuit ICtus Germaniæ celebris Nicolaus Vigelius. Et vel Agyrtarum exemplum oſtendit, quid in Medicina apud plebem poſſit Oratoria.

§. XLIV. De fulcro reliquarum facultatum, Philoſophia, & de fulcro Philoſophiæ ſcientia ratiocinandi quid dicam? Communiter inculpatur Petrus Ramus, quod corrigendo Logicam Ariſtotelicam loco Logicæ effecerit Rhetoricam. At praxis doctrinæ vbique in Academiis noſtris vigentis oſtendit, quod & apud non Ramiſtas pro optimis doctoribus & diſputatoribus vulgo habeantur

tur, non qui veritatem ſimplici perſpicuitate & methodo naturali proponunt, aut tuentur, ſed qui oratorie pronunciant aut ſcribunt, vt exclamationibus, interrogationibus, ironiis, proſopopœiis &c. Auditores aut Lectores in ſui admirationem rapiant, & publico elogio oratores excellentes audiant.

§. XLV. Vti vero querela hæc non ferit oratoriam hodiernam noſtrarum Academiarum, vt cui parum cum Rhetorica veterum conuenit; [a]) ita non commendo obſcuritatem aut ſoloeciſmos. Prodeſt ſibi & aliis, qui pure & perſpicue cogitationes mentis proponere nouit, & veritas ita commodiſſime docetur. Contra fucum & ornatum ſcribo. Puritas & perſpicuitas veritatem ſufficienter ornant. Has virtutes orationis debebant docere præceptores in ſcholis triuialibus pariter & vniuerſalibus, ſed negligitur id communiter vitio an docentium, an diſcentium, an vtrorumque, definire nolo.

a) Si conferas Inſtitutiones Oratorias veterum cum Inſtitutionibus Rhetoricis hodiernis, deprehendes has nil minus, quam Oratores efficere. Nomina ſaltem figurarum & aliorum terminorum docentur. Vſus & modus eas in praxin deducendi negligitur, vti in reliquis Philoſophiæ partibus. Si confera exercitia Antiquorum & v. g. Declamationes Senecæ & Quintiliani, cum exercitiis Oratoriis hodiernis, obſeruabis exercitia noſtra illorum reſpe-

ctu pueriliratem oratoriæ, illa autem maſculam e-
iuſdem ætatem teſtari.

§. XLVI. Iam in viam. Vidimus ſemina corruptionis Eccleſiæ Chriſtianæ ante Conſtantinum partim per diſceptationes de ritibus, partim per modum diſputandi cum hæreticis. Nunc genium religionis Chriſtianæ ſub Conſtantino conſideremus. Perſuaſio communis inter nos eſt feliciſſimum Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatum ſub Conſtantino viguiſſe, ipſumque fuiſſe Principem omnibus virtutibus magnum, & maxime Chriſtianum; ſanctiſſimos viros & Zelo diuino feruidiſſimos Eccleſiis tum præfuiſſe, qui hæreticis peſtilentiſſimis laudabili more ſe oppoſuerint, vnde pax & tranquillitas Eccleſiæ per Conſtantinum & Epiſcopos hos in Concilio Niceno per Symbolum fidei fuerit reddita, atque diuinitas Saluatoris noſtri contra eius hoſtes feliciter aſſerta, atq; hæreticis os fortiter obturatum. Tam firmiter hæc omnia etiam à noſtris fuerunt credita, & adhuc creduntur a plurimis, quin a plurimis inculcantur, vt maximo cum periculo adhuc coniunctum eſſe videatur, ſi quis iſta ſaltem in dubium vocare auſus fuerit.

§. XLVII. Quod ſi vero quis eo vlterius velit, vt contraria omnia pro veris venditet, & aſſerat, infelicitatem Eccleſiæ Chriſtianæ ab

ab illis temporibus palpapilem factam fuiſſe, & tempora prima viſibilis regni Anti-Chriſti a Conſtantini Imperio eſſe numeranda; ipſum Conſtantinum fuiſſe Principem maiorem vitiis quam virtutibus, & omnium minime Chriſtianum; ambitioſiſſimos & malitioſiſſimos Antiſtites Eccleſiis præfuiſſe, qui cum hæreticis more in orbe chriſtiano hactenus inaudito relegationibus & pœnis diſputare inceperint; Concilium Nicænum longe abiiſſe a regulis ſancti Concilii Hieroſolymitani; fidem tum certis verborum formulis cœpiſſe includi; & partum humanarum cogitationum, voces ac literas, fuiſſe pro norma credendorum plusquam ethnica crudelitate conſcientiis obtruſum; atque ita hæreticis viam contra ſæuiendi monſtratam eſſe; Saluatorem quotidie per ſæuitiam, ambitionem, luxum, etiam ab orthodoxis fuiſſe crucifixum, & inde militarem ac plane ſophiſticum diſputandi modum ortum ſumſiſſe &c. quid putas, quantum ille crabrones ſit irritaturus?

§. XLIIX. Atque hic quidem vti temerarium foret pro adſtruendis aſſertis tantum prouocare velle ad Conſtantini hoſtes Aurelium Victorem, Eutropium, Zoſimum, Iulianum, *vide Ezech. Spanhemii notas ad Iuliani Cæſares p. 278.* (quamuis non videam, quo iu-

re Eutropius & Victor laudantes vbi par eſt, Conſtantinum, ex eo ſolum quod ethnici fuerint, pro inimicis Conſtantini venditentur, & Zoſimi ſuſpectam fidem eruditiſſima apologia ſtabiliuerit Iohannes Leunclauius) aut ad Socinianos vel Arianos, Zwickerum & Sandium, contra quos pro Concilio Nicæno diſputauit D. Baierus; ita & nimis aperte regulis ratiocinandi repugnaret, ſi pro communi ſententia defendenda quis ſolum prouocaret ad ſcriptores Chriſtianos, & amicos Conſtantini, eiusdemque Panegyriſtas, aut etiam ex ethnicis ad Libanium Rhetorem, *Spanheim. d. l. p, 307.* cum omnes Rhetores, maxime vero Panegyriſtæ, ſiue Chriſtiani ſiue ethnici præter dicta ſuperius *§. XLI. ſeq.* vel ideo ſint ſuſpecti, quod non veritatem dicere, ſed laudare, h. e. vitia occultare, aut per colores pro virtutibus venditare, indifferentia aut minora exaggerare, actionibus externis ſpeciem internæ bonitatis dare, vno verbo adulari, eo ipſo, quo Panegyriſtæ ſunt, ſibi propoſuerint, & Panegyrici in genere nil aliud ſint, quam adulationes publicæ.

§. XLIX. Officium vero Philoſophi in medio Panegyriſtarum & hoſtium de veriſimilitudine hiſtorica ſolliciti potiſſimum eſt, ex iis circumſtantiis, in quibus iſti conueniunt, hoc eſt, ex teſtimonio de virtutibus, quod

quod & hoſtes dant, & ex confeſſione vitiorum, quæ amici diſſimulare nequeunt, Panegyriſtæ vero ineptis coloribus obducere & excuſare intendunt, ideam hominis aut negotii geſti ſibi formare, & inde porro videre, quid in iis circumſtantiis, in quibus amici & inimici diſſentiunt, ideæ illi hominis aut negotii, de quibus agitur, ſit conuenientius.[a]) Hoc obſeruabimus & nos, ſed paucis & quaſi per indicem.

a) In hoc conſiſtit ſumma diiudicandi omnes hiſtorias. Præcepta ſunt facillima, ſed difficillima praxis, quia requirit iudicium Politicum, hoc vero præſupponit iudicium Ethicum, ſeu exactam ſui notitiam. At huic quis ſtudet?

§. L. Feliciſſimum Eccleſiæ ſtatum ſub Conſtantino fuiſſe exclamat merito Franciſcus Balduinus *in Conſtantino ſuo l. 1. p. 52.* Scilicet, quatenus, vt ipſe ait, *euecta erat ad ſummum honoris gradum, omni genere felicitatis aucta, omnibus bonis ac prope etiam deliciis cumulata, ac denique omnes res illi ad voluntatem fluebant.* Sed, quod ait, *videri exinde ad eum euaſiſſe beatum, florentem, ſuauemque ſtatum, cuius ſplendorem & gloriam olim deſcripſerant Prophetæ*, id nimis Rhetoricum eſt, prope dixerim Anti Chriſtianum. Ex antiquis multa excerpit Caueus in erſten Chriſtenthum *p. I. c. 3. p. 43. 49. 51. ſeq.* honorem & diuitias magis

gis nocere Eccleſiæ, quam prodeſſe. Vnde mirandum, quod ipſe poſtea *P. I. c. 6. p. 165.* commendet ſtudium Conſtantini in promovenda vtilitate & honore Eccleſiæ.

§. LI. Sed ipſe mox explicat modum, quomodo honor & vtilitas Eccleſiæ fuerint a Conſtantino promotæ. Nempe quod Conſtantinus ex ærario ſuo certam portionem Eccleſiæ & Clero aſſignauerit; quod Eccleſiam voluerit deficientibus hæredibus legitimis ante fiſcum ſuccedere; quod libertatem dederit teſtatoribus Eccleſiæ relinquendi, quantum voluerint, vnde poſtea reditus Eccleſiarum mirifice aucti fuerint, cum pii homines alii exemplum optimi Imperatoris ſecuti, iudicauerint, etiamſi amorem & liberalitatem ſuam Eccleſiæ teſtarentur, tamen hæc omnia non ſufficere ad teſtandam obligationem, qua Deo eſſent obſtricti.

§. LII. Eadem beneficia Eccleſiæ a Conſtantino induta, & ſimilia alia, cum recenſuiſſet autor Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Gothanæ *l. 2. c. 3. ſ. 3. n. 4. p. 295.* ſubiungit, his rebus effectum eſſe, vt breui ſpatio Eccleſia nuper vaſtata non coaleſceret tantum, priſtinæque redderetur formæ, ſed & magnis acceſſionibus augeretur, cum infiniti indies ad fidem redirent.

§. LIII. Ego vero puto, aperte Papiſmum ſa-

ſapere, ſi quis felicitatem Eccleſiæ ex honore & opibus æſtimare velit. Vti enim pax Eccleſiaſtica ſpiritualis eſt, & non pax mundi, conſiſtens in vnione fidelium cum Chriſto; ita & felicitas Eccleſiæ ſpiritualis eſt, non mundana. Nec intelligo, quam *priſtinam Eccleſiæ formam* intelligat Autor Hiſt. Eccl. Goth. Non vtique hæc eſt forma Eccleſiæ Apoſtolicæ, quam ſolam Eccleſiam genuinam priſtinam agnoſco; neque eos, qui ob eiusmodi beneficia Chriſtianiſmum profeſſi ſunt, *ad fidem rediiſſe* dixerim, ſed, ſi ſcapha dicenda eſt, ad hypocriſin.

§. LIV. Qualis ipſe Conſtantinus fuerit, iam fuſius explicuimus, *Tom. I. obſerv. 22. 23. 24.* vbi vt puto, ſatis perſpicue oſtendimus, fuiſſe Principem maioribus vitiis quam virtutibus præditum, moribus parum Chriſtianum, vel nunquam baptizatum vel Arianum. Quod vero mores Antiſtitum Eccleſiæ attinet, videtur initio primus Conſtantinus nomen Cleri commune antea toti Eccleſiæ ad ſolos Antiſtites reſtrinxiſſe *l. 2. Cod. Theod. de Epiſc. & Cler. lib. 16. t. 2. ibique Iac. Gottofred.* Conf. Caueum *P. I. c. 8. p. 232.* qui non ſincere quoad oſtendendam originem procedit. Huic reſpondet in idiomate Germanico vox: Geiſtliche / quam ideo recte adhibuit inter-

pres Cauci, ſed de qua eadem notari debent quæ de voce Clerus.

§. LV. Ipſos igitur Antiſtites & maxime Epiſcopos, qui Concilio Niceno intererant, viros, quos inter dona plane Apoſtolica multos commendauerint, appellat Theodoretus *l. 2. c. 7. p. 200.* & Conſtantinus ipſe, cum alter alterum accuſaret, ſibi tanquam homini non conuenire ait, vt de Dei miniſtris & ſacerdotibus Dei iudicium ferret. *Sozom. l. I. c. 16. Theodor. l. 1. c. II. p. 207. Nicephor. l. 8. c. 16. p. 380.* Sed vel ipſum illud factum, & accuſationes mutuæ oſtendunt; quam contentioſi fuerint iſti Patres, quanta inuidia, ambitione, & ira præditi, *Sozom. Theodor. Niceph. dd. ll.* quantaque indulgentia, politica quidem ſed parum Chriſtiana erga ipſos vſus fuerit Conſtantinus. *Balduin. Conſtant. p. 48. 49. Cave part. 3. cap. 3. p. 693. Sueur. Hiſt. Eccleſ. p. 510.*

§. LVI. Miſeriam Eccleſiæ & potiſſimum Cleri grauibus verbis ex antiquis ſcriptoribus depinxit Geſſelius *Hiſt. Eccleſ. p. m. 377.* Sed audiamus Pontificium ICtum Franciſcũ Balduinum, Conſtantinum alias ad nauſeam extollentem. *At erant fortaſſis*, ait de *legib. Conſt. p. 6. Eccleſiæ paſſim Antiſtites, qui ſe Conſtantini collegis fortiter opponerent, & omni labore leuarent Conſtantinum. Vtinam fuiſſent;*

Vti

Vtinam laborantem, non dico, adiuuaſſent, ſaltem non interturbaſſent. Diu multumque luctatus eſt cum Maxentio & Licinio, ſed grauiorem illi fuiſſe luctam, maioremque moleſtiam cum multis Epiſcopis, cumque eorum vel disſidiis, vel factionibus, vel ambitione quis neſcit? Certe offenſum eorum vitiis & intolerabili malitia magnum eo tempore virum Audiam, diſceſſionem ab Eccleſia feciſſe multosque homines, alioqui non malos propterea eum ſecutos eſſe, cum mores non ferrent eorum quorũ alioqui doctrinam non improbabant, Epiphanius ſcribit. Et alibi *lib. 1. p. 53. Certe per Antiſtites pleroſque non ſtetit, quo minus peſſum iret Chriſti ſolium; factumque eſt eorum culpa, vt, qui locus quietis & tranquilitatis pleniſſimus & eſſe debere & fore videbatur, in eo maximæ & turbulentiſſimæ tempeſtates extiterint, & ex quo malorum remedium atque leuatio ſperari potuiſſet, ex eo mala omnia redundarint.* Conf. Niceph. *l. 8. c. 54. p. 450.*

§. LVII. Ne vero putes, querelas illas de Antiſtitibus pertinere ſaltem ad Arianos aut alios eius temporis hæreticos, videamus de ipſis Patribus Nicenis. Initio nihil impertinentius fuit, & quod maius teſtimonium de inuidia & ambitione eorum dare poſſet, quam quod mutuis iſtis altercationibus modo memoratis petebant importuno tempore. Etſi enim nouisſimus ſcriptor Gallus

Hiſtoriæ Concilii Nicæni factum hoc ad Epiſcopos Arianos ſolos referre, & aduerſam orthodoxorum partem ab eo liberare velit, *voyez l'Hiſtoire du Concile de Nicée pag. 53. & la note 30. p. 115.* tamen iſtus autoris primaria ratio, quod non ſit præſumendum, quod orthodoxi controuerſias ſuas ad forum impertinens ſeculare trahere voluerint, inepta ſatis & hiſtoriæ illorum temporum parum conueniens eſt, & per ea quæ diſſerit Franciſcus Balduinus *lib. 1. Conſt. p. 48. 49.* ſatis refutatur vt taceam, circumſtantias, quibus iſta narrant Sozomenus *l. 1. c. 16. p. 20.* & Theodoretus *l. 1. c. 11. p. 207.* iſti explicationi repugnare.

§. LIIX. Deinde tumultu ſi non pleraque, multa tamen ab iſtis Patribus orthodoxis in concilio Nicæno eſſe acta, teſtantur, quod Theodoretus *l. 1. c. 8, p. m. 202.* refert, Euſebii Epiſtolam quandam in ipſius præſentia fuiſſe diſcerptam, & paulo ante confesſionem fidei Arianorum magna vociferatione ſimiliter diſcerptam, eosque ingenti tumultu excommunicatos eſſe. (*Theod. l. 1. c. 7. Hiſt. du Conc. de Nic. p. 62. & not. 35. p. 117.* vbi neſcio quis locus Euſebii eſſe debeat quem ibi refutat.) Ita ſpiritus iræ præfuit concilio, non Spiritus Sanctus.

§. LIX. Denique quicquid Autor iſte Gallus de Epiſcoporum illorum triumphis in diſpu-

ſputationibus cum Paganis glorietur, *p. 81. & 82.* (ſed maximam partem ex Gelaſio, autore merito ſuſpecto) omnes illi orthodoxi Epiſcopi non potuerunt diſputationibus & dialecticis ſuis id præſtare, quod Laicus quidam indoctus per gratiam Spiritus Sancti obturando os Philoſopho ſubtiliſſimo præſtitit. (*Hiſt. du Conc. de Nic. p. 83. & not. 40. p. 120.* vbi oſtendit, non probabile eſſe, quod iſte Laicus fuerit Spiridion, quod tamen dicunt Niceph. *l. 8. c. 15. p. 379.* & Sueur *part. 2. p. 506.* Plura de Spiridione vide apud Socratem *lib. 1. c. 8.* & Sozom. *l. 1. c. 11. & 13.* Hiſtoriam de Laico vide apud eund. Sozom. *l. 1. c. 17.* vbi tamen ſimile quid factum eſſe ab Alexandro, Epiſcopo Conſtantinopolitano refert. Reliquos autores vide citatos apud Scriptorem Gallum d. p. 83. & 120.)

§. LX. Ipſum Alexandrum, Patriarcham Alexandrinum, Arii primarium aduerſarium quod attinet, non ſolum occaſio rixæ, *Hiſt. du Conc. de Nic. p. 6.* ſed & modus conferendi cum Ario in conuentu Alexandrino, *ibid. p. 8. 9. 10. 11.* & geſta ab eo in concilio Nationali Alexandrino contra Arium, *ibid. p. 14. 15.* potiſſimum relegatio Arii nouo exemplo iuncta excommunicationi Arii, & Epiſtola circularis eius a Socrate recenſita, *ibid. p. 15. iunct. p. 124. Socrat. l. 1. c. 3.* & ſi verum eſt, quod in

in Concilio Nicæno præſederit, (proteſtantes id ſtatuere, dicit Scriptor Gallus *p.41.*) ſatis oſtendunt, Socratem haudquaquam erraſſe, dum oſtentationis & iracundæ exardeſcentiæ characterem ipſi tribuit, *d.l.* quicquid etiam contra prætendat Hiſtoricus Gallus *p.12.* adulatoris aperti potius perſonam in deſcriptione Alexandri, quam Hiſtorici ſuſtinens. Neque impartialibus ſatisfacient ea, quæ alius ex noſtris *contra Zwickerum p.56.* ad iſtum locum Socratis excipit.

§. LXI. Adde, quod Socrates alibi, *ſcil. d. l. 1. c. 25.* dum Alexandrum miſſas feciſſe argutias dialecticas, & ad ieiunium ſe conuertiſſe memorat, ingenium Alexandri ad argutias Dialecticas pronum, ſatis indicet. Quamuis & formula illa, qua Alexander in precibus contra Arium vſus eſſe memoratur Socrati *d. l. 1. c. 25.* & Theodoreto *l. 1. c. 14.* ſit contra formam precandi Apoſtolicam, nonniſi Zelo carnali & vindictæ cupidisſimo repleta, & inſuper lætitia eius ob mortem Arii, nimis etiam carnales affectus ſapiat, etſi eam palliare intendat Theodoretus *d. l.*

§. LXII. His moribus igitur cum præditi fuerint plerique Epiſcoporum orthodoxorum, facile patet, ex rudimentis Chriſtianiſmi, malas arbores non potuiſſe bonos fructus ferre, & adeo acta Concilii Nicæni longe

ge abiiſſe a Conuentu Apoſtolico Hieroſolymitano, quem tamen normam eſſe debuiſſe conciliorum fatentur, credo, communiter Proteſtantes. De fructibus autem virtutum loquor, non de fructibus doctrinæ. Non enim ſolum teſtatur quotidiana experientia & natura hominum ex omnibus ſtatibus, orthodoxiam conſiſtere poſſe cum vita maxime carnali, ſpiritui Sancto, & eius ſanctis motibus repugnante, ſed & non difficulter quilibet concipere poteſt, Iudæ proditoris orthodoxiã, etiã in ipſo proditionis actu ſalvam manere potuiſſe, cogitantis videlicet, vel Chriſtum per miraculum ſe liberaturum eſſe, vel Phariſæos eo vsque non eſſe proceſſuros. Quodſi quis contra in ea ſit perſuaſione, quaſi orthodoxia neceſſario perdatur cum perdita vitæ ſanctitate, & quod diſtinguendum ſit, inter hypocriticam confesſionem oris, & ſanctam cordis approbationem doctrinæ, is videat, quomodo orthodoxiam Patrum & Actorum Concilii Nicæni defendat, & obiectionibus Dominorum Theologorum ſatisfaciat. Nos enim de Hiſtoria rerum geſtarum, & collatione morum cum moribus Eccleſiæ Apoſtolicæ ſumus ſolliciti. Interim Lutherus nobiscum facit, *de conciliis f.449.* Die Biſchöffe müßen nicht von nothwegen alle heilig ſeyn/ die recht lehren/ oder rech-

rechte Lehre erhalten / den Balaam weißaget auch recht / und Judas iſt auch ein rechter Apoſtel ꝛc.

§.LXIII. Igitur Concilium Nicænum 1. non conſtabat ex toto populo, ſed ex ſolis Clericis; certe Laici non habebant ius votandi, *Sozom. l.1. c.16. 18. 19. Socrat. l. 1. c.4. p.m.5. & 9. item c.6. p.15. 16. 17. Theodor. l.1. c.7. p.200. 202. 203.* 2. Decretum Concilii Nicæni non communi conſenſu factum eſt, ſed per votorum pluralitatem, *Theod. d. p.202. 203. Sozom. l.1. c.19.* Non obſtant ea quæ habet Socrates *ex Euſebio l. 1. c. 5. p.10. & c. 6. p. 14. 15. 16.* reſpondetur enim ex Epiſtolis Conſtantini *d. p. 15. 16. Adde Euſeb. lib.3. c.18. p. 270.* & hic vsque ad finem omnia per turbas acta ſunt. *Sozom. l.1. c.19. Socrat. l. 1. c.5. Theod. l. 1. c. 7. & 8.* 3. Decretum Concilii Nicæni aduerſæ parti per modum imperii & legis obtruſum fuit, non ſponte ab ea ſuſceptum. *Sozom. d. l. Socrat. d. c. 5. & 6.* quæ ſingula aliter, & quidem ex indole Religionis Chriſtianæ in conuentu Hieroſolymitano obſeruata eſſe notauimus *ſupra §. XXII.*

§. LXIV. Adde, quod ibidem omiſimus, quod Concilium Hieroſolymitanum non definiuerit controuerſiam pertinentem ad myſteria fidei, aut formulam confesſionis, aut ad credenda, (quatenus hæc faciendis opponuntur) ſed ad facienda ab iis, qui humi-

lem

lem & ſimplicem fidei confesſionem (de qua ſupra §. 8. 9. 19.) ediderant. *Conf. Sebaſt. Franckens Chronica f. 315. 316. 317.* Et recte quidem, cum myſteria diuina eorumque conceptus non ſubiiciantur arbitrio humano, ſed omnem intellectum humanum ac voluntatem, adeoque & determinationem hominum, (etiam regenitorum, quorum intuitu adhuc myſteria manent) tranſcendant. Sed concilium Nicænum, quatenus contra Arium votis humanis (nemo enim, noſtrorum certe, Patres concilii Nicæni pro Theopneuſtis habet) definiuit controuerſiam ad credenda reſpicientem, a primis Chriſtianorum moribus, & Chriſtianiſmi principiis longe abiit; quatenus vero in factis de celebrando Paſchate quid definire ſuſtinuit, & Quartodecimanos pro hæreticis declarauit, *Sozom. l. 1. c. 20. Socrat l. 1. c. 6.* eatenus iterum in libertatem Chriſtianam tyrannicum imperium exercuit, & conceptum genuinum hæreticorum ſupra indicatum valde mutauit.

§. LXV. Scio equidem, a Socinianis & nouis Arianis, præſertim autem à Zwickero & Sandio Concilium Nicænum & eius acta ex profeſſo fuiſſe oppugnata, & Concilii defenſionem a quibusdam noſtratibus aduerſus ipſos, ex profeſſo etiam fuiſſe ſuſceptam. Sed quemadmodum bona fide teſtari poſſum

ſum, neminem iſtorum Monarchianorum a me in colligendis actis Conſtantini fuiſſe inſpectum, ſed bona fide absque affectu, vt genuinum Philoſophum decet, omnia ex antiquis hiſtoricis fuiſſe collecta; ita & præſens labor ab illorum libris in eo differt, quod illi Arium defendere tentarint, & Theologicas controuerſias plures de confesſione iſta & Symbolo immiſcuerint, a quibus nos tanquam a lectionibus noſtris alienis, abſtinuimus; nos vero ex circumſtantiis hiſtoricis plura & quandoq; fortiora argumenta contra ſanctitatem & integritatem Concilii protulerimus, a defenſione tamen Arii abſtinuerimus.

§. LXVI. Atque hic optaremus ſimul, vt noſtrates, qui Zwickerum & Sandium refutare aggreſſi ſunt, in reſponſionibus ad horum argumenta hiſtorica (Theologica iterũ ſequeſtramus) Dañhaueri ideam boni diſputatoris & malitioſi ſophiſtæ melius obſeruaſſent, & non potius omnis generis fallacias in ſingulis paginis adhibuiſſent, modo mutando ſtatum controverſiæ, modo conuertendo propoſitiones non conuertibiles, modo miſcendo officia reſpondentium & opponentium, modo ſeparando loca Hiſtoricorum ab antecedentibus & conſequentibus, modo captando ſignificationes vocum & oppo-

ponendo ex Lexicis Etymologicis ſenſui ex circumſtantiis aliis deducendo, modo ſupponendo id, quod in quæſtione erat, & exinde interpretationem ſumendo, modo circumſtantias multas, de quibus hiſtorici tacent, textui eorum licentia plusquam Poetica inferendo, modo conuitia & iniurias loco reſponſionum euomendo, modo harum defectum exclamationibus, interrogationibus & aliis fucis Rhetoricis ſupplendo.

§. LXVII. Quemadmodum autem hoc pacto effecerunt, vt aduerſarii taciturnitate ſua non ſine cauſa oſtenderint, talia reſponſione non indigere; ita nec mihi vitio quis vertet, quod tempus in purgando Augiæ ſtabulo inſumere nolim, & pro calumnia habeam, ſi quis doctrinas noſtras vt Monarchianas & Arianas, (publice a nobis deteſtatas) ex illa ratione, quod in quibusdam iisdem ratiocinationibus cum illis vtamur, publice vel priuatim, directe vel ex inſidiis traduxerit, præprimis, ſi id fiat in abſentia noſtra, & iſti obtrectatores detrectent placidam collationem, & expetitam a nobis, iuſtæ collationis legibus obſeruatis, informationem, ac in violentis remediis & ſi hæc ad placitum procedere nolint, aufugientes alibi calumniarum aſyla quærant.

§. XLIIX. Ex dictis autem facile eſt oſtendere, quæ porro paradoxa ſupra §. 47.

poſuimus. Fidem tum certis verborum formulis cœpiſſe includi, ſupra §. *25. ſeq.* iam fuſius probatum eſt. Si enim ante ſymbolum Nicænum nullum aliud ſymbolum ex hiſtoria Eccleſiaſtica poterit oſtendi, haud dubie id primum fuit.

§. LXIX. Ex hoc vero ſua ſponte ſequitur, partum humanarum cogitationum, voces ac literas fuiſſe pro norma credendorum plusquã ethnica crudelitate conſcientiis obtruſa, quamuis id prima fronte durius ſonet. Diximus patres orthodoxos concilii Nicæni a noſtratibus pro theopneuſtis non haberi; (nam quæ apud Socratem, Sozomenum, Theodoretum &c. *v. g. ap. Socrat. l. I. c. 6.* ſubinde occurrunt, prædicata, diuinam inſpirationem ſupponentia, non curamus) diximus eos in concilio ipſo parum Chriſtianis affectibus fuiſſe repletos; ergo non poteſt non confectio ſymboli ad partus humanarum cogitationum, (ſalua inſuper eius orthodoxia) referri.

§. LXX. Circa voces & literas patres multum fuiſſe occupatos, ex illis quæ circa conuictionem Arianorum per vocem *homouſion* vbiuis narrant, conſtat. At vero obtruſionem conſcientiis factam docent relegationes Arianorum, & quod v. g. Conſtantinus

ius-

iuſſerit Arii libros cremari, & occultatores eorum capite plecti.

§. LXXI. Fuiſſe hanc crudelitatem plusquam gentilem exinde conſtat, quod gentiles contenti fuerint, ſi quis ritibus externis ſe gentilem declaraſſet, interna vero cordis libera reliquerint, atque ſuis diſſenſionem circa theogoniam & alia ad theoriam fidei ethnicæ pertinentia, permiſerint, certe doctrinam fidei illius theoreticæ nullo incluſerint ſymbolo, tantum abeſt, vt id aliis obtruſerint. Vnde ſi Chriſtiani aut Iudæi Diis ſacrificarent, & templa frequentarent, id ſufficiebat. *Confer omnino Limborch. Hiſtor. Inquis. lib. I. c. 3.*

§. LXXII. Diximus porro §. 47. hoc pacto ab orthodoxis viam monſtratam fuiſſe hæreticis contra ſæuiendi. Res plana. Nam in controuerſia contra Arianos orthodoxi primam victoriam obtinuerunt, primi adeo ſævierunt in Arianos. Ariani contra, & poſt hos alii pro hæreticis declarati par pari retulerunt, quoties Imperatorem nacti ſunt ipſis fauentem. Rem fuſius exponit Limborch. d. lib. I. c. 4. qui & *cap. ſeq.* 5 & 6. id momentum magna diligentia expedit, quomodo poſt Conſtantini tempora ipſi Eccleſiæ orthodoxæ patres de perſecutione diſſentientium inter ſe diſſentire cœperint, poſtquam

Auguſtinus a ſe ipſo hac parte diſſentire incepiſſet.

§. LXXIII. Et ab illis temporibus ad noſtra peſſimo exemplo videtur invaluiſſe, vt orthodoxæ pariter & heterodoxæ religionis Clerici, quamdiu eorum religio premeretur, tamdiu contra perſecutionem ſcriberent, quam primum vero eadem regnare inciperet, mox vel perſecutionem defenderent, vel impudentius, & maximis licet ſæuitiis adhibitis, populo tamen perſuadere vellent, ſe nullam conſcientiis vim inferre. *Conf. iterum Limborch. d. c. 3. ſ. 6. & 7.*

§. LXXIV. Illud etiam, antequam vlterius progrediamur, hic non omittendum, quod Euſebius in vita Conſtantini *lib. 3. c. 61. 62. 63. 64.* memorat, quod nempe ſpeciali edicto interdixerit præter Arianos etiam aliis hæreticis illorum temporum, puta Nouatianis, Valentinianis, Marcioniſtis, Paulianis, Cataphrygibus, vt omnibus conuentibus abſtinerent, tam in publicis ædibus, quam priuatis, vtque ademtis ita locis, ad Eccleſiam redirent, præceperit; hoc autem pacto multos per hypocriſin ad Eccleſiam ſe contuliſſe, & ab Epiſcopis excluſos eſſe aut relegatos, retentis paucis ſerio exploratis.

§. LXXV. Hic illa obſeruari velim. 1. mirandum, quod nondum ſub Conſtantino M.

in

inManichæos hoc obſeruatum fuerit,nec illi iamdum prohæreticis peſtilentibus ſint habiti, cum tamen ſubſequentia tempora Manichæos vt peſtilentisſimos & ſceleratiſſimos hæreticos damnauerint. (*Conf. ſupra* §. *36.*)
2. Mirandum, quod omiſſis Manichæis, Novatiani & Cataphryges ſeuMontaniſtæ ob vitam rigidiorem & exceſſum in caſtitate & ſobrietate tam exoſi & tam ſeuere præ reliquis hæreticis caſtigati fuerint, (*Conf. ſupra* §. *34.*)
3. Mirandum, quod Autores Edicti Conſtantinianei *apud Euſeb. d. cap. 62.* iſtos hæreticos de variis quidem criminibus accuſauerint, ſed per figuramRhetoricam calumniantium potius more, quam, qui veritatem dicere ſolent; certe tali modo, quem, ſi iudex ſecularis, in quacunque ſententia, contra quemcunque reum adhiberet, calumniator & iudex iniuſtiſſimus audiret.

§. LXXVI. 4. Exinde vero grauis ſuſpicio oriri poſſet, annon crimina, a ſubſequentibus ſcriptoribus Valentinianis, Marcioniſtis & Paulianis impacta æque lubrico nitantur fundamento, quam quæ de Nouatianis & Cataphrygibus dicta ſunt, (*Conf. quæ diximus ſupra* §. *33.*) vt de Origenianis, Manichæis aliisque hæreticis iam tum exiſtentibus, nondum autem pro hæreticis declaratis, iam nihil dicam.

§. LXXVII. 5. Notetur effectus huius edicti. An vtilitatem attulit Eccleſiæ? Imo vero fatente ipſo Euſebio, hypocritis eam auxit, qui eſt effectus neceſſarius coactionum in religione. At inquis, 6. remoti ſunt hypocritæ, reliqui explorati retenti. Mallem audire criterium cognoſcendi hypocritas, & explorandi orthodoxos. An ſanctitas vitæ & fructus ſpiritus ſecundum normam Apoſtolicam ſeparauit fideles ab hæreticis, fructus carnis operantibus? Non videtur, cum de ſanctitate vitæ nulla inter ipſos fuerit controuerſia, & orthodoxi ipſimet hoc intuitu pro ſanctis ſe venditare, ac ita etiam carnales dignoſcere non potuerint. Ergo nihil remanet, quam quod eiusmodi conuerſis, (vt & hodie fit,) ad explorandam eorum fidem, laquei, captione verborum & literarum fuerint poſiti, atque eorum miſerrima fuerit conditio, poſt quam ſemel cogitata ſua, ad normam literarum & vocum ab aliis poſitarum examinari permiſerunt.

§. LXXIIX. His autem ſic demonſtratis, concluſio neceſſaria ſequitur: Saluatorem quotidie per ſæuitiam, ambitionem, luxum &c. etiam ab orthodoxis fuiſſe crucifixum. Epiſcopis enim, vitiis eiusmodi immerſis, & Imperatoribus ipſis quotidie inſignia eorum ſpecimina edentibus ac iis non obſtantibus, (ſi

ſi modo ad partes ambitionis & luxuriæ Clerum admitterent, & ſæuitia ſua truculentiam Cleri adiuuarent,) ab Epiſcopis publice & priuatim, pro Chriſtianis, & quidem eminentibus ac magnis commendatis, res ipſa loquitur, reliquam populi & Laicorum partem, exemplis illis & ſcandalis fuiſſe ad ſimilia perpetranda ſeductam, & adeo pietatem apud Chriſtianos in vniuerſum ex voluntate in intellectum aut opera externa fuiſſe translocatam, qui character Anti-Chriſti eſt.

§. LXXIX. Denique diximus, introductum fuiſſe illis temporibus, militarem & plusquam Sophiſticum diſputandi modum. Scilicet, & ſi ante Conſtantinum, vt ſupra §. *38. ſeqq.* notauimus, orthodoxi aduerſos heterodoxos Rhetorica quidem arte in ſcriptis ſuis vterentur, & magis, vt videtur, per ſcripta quam viua voce conferrent, licentiã tamen relinquebant aduerſariis, ad illa ſcripta, ſi placeret, reſpondendi, neque per violentiam libertatem illam tollebant, aut ſcripta aduerſariorum ex manibus legentium extorquebant, ſed potius operam dabant, vt ope doctrinæ & aliis ſcriptis ſententiam ſuam perſuaderent, & ad rationes aduerſariorum ac dubia reſponderent. At, ſi quis modum diſputandi, qui tempore Conſtantini M. in-

M. introductus fuit, conſulat, deprehendet, vel in diſputatione Alexandri cum Ario, & collatione Epiſcoporum in concilio Nicæno cum Arianis, Alexandrum dubiis ipſi ab Ario oppoſitis non reſpondiſſe; ſed obiectionibus contrariis & inuectiua in Arium atque violenta depoſitione ac relegatione eiusdem officia iudicis & doctoris, reſpondentis & opponentis miſere miſcuiſſe; (*voyez l'hiſtoire du Concil de Nicée p. 8. 9. 14. 15. 16.*) Epiſcopos autem Nicænos Arium vt reum, & quidem dum ſcripta eius, & eius aſſeclarum lacerassent, non ſatis auditum, damnaſſe, atque ope Conſtantini libellos Arianorum ſub pœna capitali interdicendo, carnificis & diſputatoris ſinceri ideas aperte confudiſſe.

§. LXXX. Pertinet huc elegantiſſimus locus ex Socrate *l. 1. cap.* 5. vbi notat, Laicum ſimplicem, & ſincero animo præditum, cum Dialecticis ex Clero congreſſum fuiſſe & ſic contra illos verba feciſſe: Chriſtum & Apoſtolos artem diſſerendi neutiquam nobis tradidiſſe, neque inanes fallacias, ſed mentem apertam & ſimplicem, quæ fide & bonis operibus integra ſeruari ſoleat: huius autem Laici monitum tum alios omnes, qui affuerint, & admiratos eſſe, & eius approbaſſe ſententiam, tum Dialecticos, vt primum ſincerum veritatis ſermonem audiuerint, æquo animo ac pla-

Digitized by Google

placido conquieuiſſe, & ſic tumultum illum ex differendi facultate concitatum, tandem penitus repreſſum eſſe.

§. XXCI. Nec potuit Euſebius næuos eiusmodi diſputationum ac declamationum obtegere, quin in mediis adulationibus oſtenderet, *lib. 4. de vita Conſtantini c. 29.* deſcribens Conſtantinum ita declamantem & cum ſuis congredientem, quod ſuarum eſſe partium exiſtimauerit Imperator, rationis freno imperio ſuo parentes regere, & vniuerſum regnum imperio ſuo ſubiicere, quapropter infinitam multitudinem ſolitam fuiſſe ad imperatoris nutum confluere, vt eum philoſophantem audiret. Quodſi, eo, dicente aliquando occaſio incidiſſet de Theologia loquendi, tum Imperatorem erecto corpore conſiſtentem, contractoque vultu, & depreſſa voce adhibita, ſumma prudentia & moderatione præſentium animos cœleſti diſciplina initiare ac deuouere viſum fuiſſe. Hanc rem inſecutam fuiſſe populi gratam acclamationem, ipſum vero nutu ſignificaſſe, vt cœlum ſuſpicerent, & vernaculis laudibus omnium Regem Deum admirarentur & colerent &c.

§. XXCII. Quam parum vero conuenerint & methodus illarum orationum, & argumenta, & ipſa elaboratio cum ſimplicitate

& ſanctitate docendi Apoſtolica, partim ex iis, quæ ibidem Euſebius narrat, partim ex ipſis duabus Orationibus ſubiunctis, vna Euſebii de laudibus Conſtantini, altera Conſtantini ad ſanctorum cœtum, pateſcit. Vt taceam, ipſas Orationes Conſtantini ab Epiſcopis fuiſſe confectas non ab ipſo. Id enim iam notarunt poſt alios Bœcklerus & Frid. Bened. Carpzouius in diſſertationibus peculiaribus, quibus contortam expoſitionem Bucolici Virgiliani de Chriſto, in dicta oratione Conſtantini contentam, refutarunt.

OBSERVATIO IX.
De IVSTINI MARTYRIS APOLOGIA II.

CONSPECTVS.

§. I. *Iuſtini Apologia IIda ſimilis primæ.* §. II. *Argumentum infirmum pro Chriſtianis a nominis Etymologia* §. III. *An Sacrates Deos Gentilium contemſerit?* §. IV. V. *Id negatur.* §. VI. *Platonica Iuſtini opinio de Creatione.* §. VII. *Locus quidam obſcurus.* §. IIX. *Rationes expenſæ de non neceſſario ſacrificiorum vſu.* §. IX. *Chriſtianiſmi cum Gentiliſmo confuſio.* §. X. *An Simon Magus Deus fuerit habitus a Romanis.* §. XI. & XII. *Obiectionibus Baronii reſpon-*

ſpondetur. §. XIII. *Iuſtini errores Chronici.* §. XIV. *Inepta explicatio verſ. 6. Eſ. cap. IX.* §. XV. *Acta Pilati.* §. XVI. *An dictum Platonis: Cauſa deligentis eſt: Deus autem culpa caret, ex Moſe mutuo deſumta ſit.* §. XVII. *Origo communis huius erroris indicatur.* §. XIIX. *Oracula Sibyllina.* §. XIX. *Cur Romani eorum lectionem prohibuerint.* §. XX. *Ea fuiſſe conficta oſtenditur.* §. XXI. *an a Patribus, dubitanter aſſeritur.* §. XXII. *Dæmones myſteria Chriſti ante aduentum Chriſti fabulis corrupiſſe negatur.* §. XXIII. *exempla Iuſtini reiiciuntur.* §. XXIV. *Theologi notantur* §. XXV. *Ridicula Iuſtini pro crucis ſigno argumenta.* §. XXVI. *Caſaubonus refutatur.* §. XXVII. *Platonis placita male applicata.*

§. I.

NOli meliora Tibi promittere B.L. ex ſecunda Iuſtini Apologia, quam iam tum vidiſti in prima. Eadem hic veſtigia ſunt; colores iidem; niſi quod ex Scriptura Sacra adducantur aliqua; ſed quæ aliunde petitis ac infirmis argumentationibus corrupta, tanti amplius non videntur, quanti videri potuiſſent, ſi ordine ſeruato, ſanctisſimo huic tramiti inſtitiſſet. At oleum ſic perditum eſt, atque opera. Corraduntur enim omnia, ne ni-

nihil plane dictum videatur: Conſcribuntur rationum quarumuis exercitus; quaſi vno impetu Chriſtiani nominis hoſtes profligandi forent; Mouentur copiæ, ſed niſi fallor, inutilis turba impedimento magis eſt, quam emolumento: Cumque peritisſimi Ducum Phalangem alias, aut fortisſimum exercitus robur primum opponunt; Noſter imbecillia in principio præſidia collocat; ipſis propterea Rhetoribus culpandus, qui leuiorem armaturam in media orationis parte conſtituunt, non in acie prima, vbi attendere maxime Lector, aut Auditor ſolet.

§. II. Igitur probari neutiquam poteſt, quod circa initium ſtatim huius Apologiæ Martyr adducit. Quantum, inquit p. 42. ad nomen ipſum attinet, quod criminis loco nobis obiicitur, optimi certe ſumus (χρηστότατοι ὑπάρχομεν) ac paulo inferius: Chriſtiani eſſe deferimur, atqui χρηστὸν odiſſe iniuſtum eſt. Quis non videt leuisſimum ab etymologia deſumtum argumentum? Romani Chriſtum Chreſtum appellabant, Chriſtianos Chreſtianos. Ergo Iuſtinus ſe non inueniſſe putat, quod pueri in faba, ſi nomine in rem ſuam verſo Gentilibus hoc modo perſecutionum in Chriſtianos motarum iniuſtitiam oſtenderet. Verùm pace Iuſtini dixerim, hæc parum ſibi, iisque quos defende-

debat, profuiſſe. Non enim Romani propterea horrebant Chriſtianos, quod tale nomen gererent, ſed quod ab his, qui ſe Chriſtianos appellabant, imperio ſuo metuerent, conſpirationes eorum extimeſcerent, Chriſtianos cum Iudæis, Svetonio teſte, *aſſidue tumultuantibus*, confunderent, nec quidquam in religione mutatum vellent. De nomine non erat ſermo, in quo tamen commode explicando multum ſudat Iuſtinus, ſed qui ad ſilentium facile redigendus fuiſſet, ſi quis Gnoſticorum furores, qui ab eximia rerum diuinarum intelligentia hoc ſibi nomen arrogabant, inſtantiæ loco attuliſſet. Quare neſcio, an non huc aptiſſime quadret illud Dionyſii Halicarnaſſæi ἐν τέχνῃ: εἰσὶ δὲ κακίαι λόγων ῥητορικῶν, τότε εὐδιάλυτα λέγειν καὶ τὰ ἀντίστροφα, ὧν τὸ μὲν ἀσθενείας, τὸ δὲ καὶ κινδύνου. *Sunt vero Sermonis Oratorii vitia dicere ſolutu facilia, & quæ facile inuertantur; illud quidem imbecillitatis eſt; hoc vero periculum affert.*

§. III. Nunc de Socrate diſpiciendum eſt, an ille *Mortales a Dæmonibus abducere fuerit annisſus.* Martyr noſter amore erga Socratem abreptus, poſteaquam ex eo, vti in ſuperioribus dictum eſt, Chriſtianum finxerat, iam illum etiam, quod mireris p. 43. cum Chriſto confert; *quodue inter Barbaros* (intelligit autem

tem Iudæos) *a Seruatore noſtro reprehenſum ac detectum*; id inter Græcos a Socrate non multum diſpari ratione præſtitum fuiſſe credit. Quæ quidem opinio non periculoſa tantum, ſed & a veritate penitus remota videtur. Nam licet ego inter ſapientisſimos mortalium, qui luminis naturalis auxilio ad humanæ ſapientiæ centrum proximi acceſſere, nunquam non Socrati etiam locum reliquerim, non potui tamen ſic animum inducere meum, vt cum Iuſtino aliisque Eccleſiæ Patribus ex aſſe ſentirem; quippe quorum præcipuus ſcopus fuit, Gentiles Chriſto lucrifacere, eorundemque obſtinationem quouis inſtrumento, quacunque machina expugnare. Sed deprehendent facile, quibus emunctæ nares ſunt, diuerſisſima hic miſceri, ac diſtinctisſima confundi.

§. IV. Verum equidem eſt, Socratem ab aduerſariis ſuis malitioſe inſimulatum fuiſſe, quaſi receptos in Republica Deos contemneret, nouosque inducere laboraret; quæ verba a Melito hunc in finem prolata adhuc apud Laertium extant, at an Socrates huic vnquam crimini reuera ſe obſtrinxerit; aut aliqua ſaltem ex parte nocens deprehenſus fuerit, alia plane quæſtio eſt, ac longe diuerſa disquiſitio. Ego, ſi quid coniicere poſſum in alia longe hic ſecedo. Ipſe enim Socra-

crates, cum Inimicorum ſuorum obtrectationes in publico Iudicio conſtantisſimamente confutaret, id imprimis egit, vt illam a ſe impietatem quam longisſime remoueret. Vnde ad conſueta quibus inter fuit ſacrificia prouocabat, ad dies quos obſeruauit, ſolemnes, ad publicas, quas celebrauit ferias; vix certe aut nunquam talia dicturus, ſi antiquum DEORVM cultum, ſi inueteratam ſuperſtitionem, Athenienſium ſuorum animis euellere tentaſſet. Quæ omnia maiori adhuc robore in honorem Apollinis ac Dianæ conſcriptus hymnus ſuffulcit; quem præmeditato animo inter mortis perpetuas cogitationes, ac circumſtantium amicorum gemitus non ſine inſigni omnium admiratione confecit. vid. *Themiſt.* orat. I. & *Diogenes in vita Socratis* n. 42. edit. Wetſtenianæ. quid? quod cum iam claudere oculos, & ad Elyſios exire campos cogitaret, Critoni adhuc amico iniunxit: *vt debitum Æſculapio Gallum offerret, huiusque officii certo memor foret.* vid. *La vie de Socrate par MS. Charpentier chap. 27. 28. & 29.*

§. V. Ex quo profecto videre eſt quam ficulneo fundamento tota Iuſtini traditio ſuperſtructa ſit, qua tanta Socrati ſapientia adſcribitur, tantus in oppugnanda Gentilium Theologia Zelus; ſed quem nec vltimamor-

mortis hora nec reliquum vitæ tempus in apricum ſatis deduxit. Nam quod de arcana Socratis mente dicitur; deque tempeſtiua eiusdem ſimulatione in medium profertur, id leue admodum eſt ac inane. Cum mors imminet, non ſimulamus, cum ſpiritum reddimus, metus omnis faceſſit. Crederemus talia, ſi in medio ætatis flore alia dixiſſet, nec repugnaremus, ſi ſaniora adhuc veſtigia ſupereſſent. At interna illa cognitio incerta eſt; de quo nihil temere affirmandum. Quod enim intus eſt, latet, quod latet, obſcurum eſt, de obſcuris autem omne iudicium videtur ſuſpendendum. Ergo externa rerum teſtimonia ſufficiant, ne *Platoni, Epicuro, Ariſtoteli*, cæterisque, quos Ethnicæ adhuc tenebræ circumfuderant, eandem indulgere libertatem teneamur.

§. VI. Ac ita quidem Iuſtinus ex Philoſopho Platonico factus Chriſtianus, non poterat Socratis, priorumque dogmatum penitus obliuiſci; non etiam cum ſana docuit ac Chriſtiana. Agnoſces ſemper ex vngue leonem; & maxime quidem cum de prima mundi Creatione p. 45. & p. 72. mentionem iniicit. Hic enim Platonica eum opinio torquet, nec nihilum, ſed *informis aliqua materia*, ἄμορφ⊛ ὕλη arridet, *ex qua hominum cauſa cuncta fuiſſe condita* arffirmat. Non mi-

mirum, ſi Platonis mentem intuearis; cuius *DEVS fabro ſimilis eſt; a Sylua ſua per vaſtam viarum intercapedinem diſtractus. Hic ergo quam diu voluit, quieuit, vbi cupido venit exercendæ artis, armatus aſcia mouit ſe ad ſyluam, & illi ſuas ideas, quantum permiſit eius aptitudo, impresſit.* vid. *Iacobus Thomaſius* de Stoica mundi exuſtione diſſert. 2. §. 10. Quanto igitur rectius philoſophatus *Tertullianus aduerſus Hermogenem: Deum,* inquit, *magis decuit, ex voluntate feciſſe, quam ex necesſitate, id eſt ex nihilo potius, quam ex materia. Et tanto magis ex nihilo videtur operatus, quanto nihil adhuc erat factum. Et ſicut Scriptura Sacra, ea quæ ex aliquo prolata ſunt, oſtendit vnde prolata ſint; vnde quæ non oſtendit vnde prolata ſint, ex nihilo prolata confirmat. In principio DEVS fecit cœlum & terram. Adoro Scripturæ plenitudinem, qua mihi factorem manifeſtat & facta. In Euangelio vero amplius & miniſtrum & arbitrum Rectoris invenio ſermonem. An autem de aliqua ſubiacenti materia facta ſint, nusquam adhuc legi.* Hæc Tertullianus.

§. VII. Et ne te perſpicuum ſcribendi genus Iuſtini noſtri lateat, ecce tibi ſimile quoddam ſubiicimus, quod niſi claudicet, ſanum eſt, atque rectum. *Sicut* ait p. 46. *paupertatē aut ærumnam, aut ignominiam paternam hæreditate cernere ſubterfugiunt omnes; ita*

quæ ratio dictauerit, non eſſe ſequenda, homo mentem obtinens non ſequetur. Ego tertium comparationis, vltra quod nec extendo, non cerno. Tu quisquis es, ſi vides, tanquam arcanum tibi ſerua, & in ſinu gaude.

§. IIX. Nos longius progredientes rationes Iuſtini examinabimus paululum, ob quas nec ſanguine, nec libationibus, nec incenſis DEVM venerentur Chriſtiani. Prima eſt (p. 46.) *quia his omnibus DEVS non indigeat*; Secunda, *quia ea quæ a Deo ad alimentum creata ſunt, non igne conſumenda, ſed indigentibus præbenda eſſent.* Lepidum commentum! DEVM non indigere ſacrificiis, verum equidem eſt; Sed annon ſpecialius ea Iudæis ad minimum fuerint iniuncta, nec Iuſtino obſcurum eſſe potuit, nec nobis, qui Veteris Teſtamenti decreta ſuſcipimus, Quod ſi ex ſola ratione cum gentilibus diſputaſſet; hæc forte tolerari ratio poſſet. At poſtquam de Iudæis ac veteri illo pacto non pauca commemorauit; non video ſane, cur non ampliori deductione fuerit vſus. Nam altera cauſa ridicula eſt. Quis enim piaculum fore dixerit, ſi conſumantur aliqua, quæ ad hominis alimentum facere quodammodo poſſunt? An tanta rerum in hoc mundo penuria eſt? an tantus defectus. Hoc credo, Iuſtinus non perſuaſit Romanis; quos tamen ſaniori cogni

gnitione imbuere potuiſſet, ſi legitimo ſacrificiorum ſcopo, aut fine oſtenſo, perfectiorem tandem cultum eosdem docuiſſet.

§. IX. Vnde colligi non difficulter poteſt, quam multa circa probationum ἀκρίβειαν in Philoſopho noſtro deſiderari poſſint. Etſi enim interdum ſana admodum, & doctrinæ Chriſtianæ conformia loquatur; ſtatim tamen, cum neque tempus eſt, neque occaſio, aliorſum rapitur, incongrua adiiciens & inconcinna. Exemplo ab vno diſce cuncta. Sermones Seruatoris noſtri referens, eiusque præcipuas doctrinas, ad immortalitatem animæ tandem deuoluitur; ad corporum reſurrectionem, mundique huius interitum. Quæ omnia ſi ad mentem Chriſtianorum, & ad ſenſum ſcripturæ ſacræ, quemadmodum reliqua, expendiſſet, nihil forte haberemus, quod eſſet monendum. At, quod Empedoclis, Pythagoræ, Socratis, & Platonis diſciplinas cum cœleſti illa doctrina confudit, & ad *Homeri* puteum, ad notiſſima illa oracula, ad *Sibyllam*, & *Hydaspen* temere prouocauit, non immerito forte ab eo diſſentimus. Tantum enim inter noſtras, & externorum, puta gentilium ſententias diſcrimen eſt, quantum inter tenebras & lucem; inter caſtiſſimæ virginis, & viliſſimi ſcorti pulchritudinem. Hæc methodus turpiſſimum nobis Syncretiſmum

induxit: hæc docendi ratio ex gentilibus ſemi Chriſtianos, ex Chriſtianis ſemi-gentiles effecit; & infinitam hæreſium, ſchismatum, portentoſarumque opinionum copiam peperit. vid. Iac. *Thomas: Schediasm. Hiſtor. p.* 47. Quorſum plane refero huncluſtini noſtri locum p. 51. *Cum*, ait, *a DEo omnia exornata ac creata eſſe dicimus, Platonis ſententiam referre videmur: cum autem exuſtionem fore, Stoicorum. Rurſum cum animas aſſerimus poſt mortem quoque ſenſu præditas eſſe, ac iniuſtorum quidem excruciari, bonorum vero ſuppliciis liberas feliciter agere; cum Poetis & Philoſophis eadem aſſerere exiſtimamur. &c.* Peſſimum factum! Platonis creatio toto cœlo a noſtra diuerſa eſt; Stoica mundi Exuſtio a ſenſu Chriſtiano aliena; quod & ipſe paulo ſuperius, quantum ad DEVM Stoicorum, agnouiſſe videtur: Poëtarum autem animæ immortalitas tot fabulis referta eſt; tot figmentis ac mendaciis obfuſcata, vt pudendum videatur homini Chriſtiano, noſtra vera dogmata ad gentilium ſenſus potius referre, quam ipſos ex noſtris refutare. Pergit tamẽ, nec enim magis ſana ſunt, quæ ſequuntur. Mox enim Chriſtum in cœlos aſcendentem cum *Mercurio* confert; cum *Baccho*, cum *Hercule, Dioscuris, Bellerophonte*; mox eundem *paſſum cum Iouis filiis* comparat; *mox virgine natum cum Perſeo, claudos ſanantem*

&

& mortuos reſuſcitantem cum *Aeſculapio*, more ſane ridiculo ac pene dixerim ſtulto; ſibi & vniuerſæ Religioni Chriſtianæ periculoſo; ſed qui & *Clementi Alexandrino* communis erat, & *Origeni*, & *Lactantio*, & *Minutio Felici*. Quorum tamen omnium auctoritate inſuper habita, nullo plane adſenſu, aut applauſu dignos eos iudico, quippe qui gentilibus hac ratione, non veriora, aut diuerſa, ſed ſimilia & pariter fortaſſis falſa perſuadere videbantur.

§. X. Eſt igitur hæc imprudentia maxima. Sed haud ſcio an minor ſit Boni Patris credulitas. *Simon*, ſcribit, p. 54. *quidam Samaritanus, in vico, cui Githon nomen eſt, natus, qui ſub Claudio Caſare efficacium Dæmonum arte in* Im*periali vrbe veſtra Roma, propter Magicas quas exhibuit virtutes, DEVS habitus eſt, & ſtatua apud Vos veluti DEVS honoratus, quæ ſtatua in amne Tiberi inter duos pontes eſt erecta, Latinam hanc habens inſcriptionem: Simoni Deo ſancto & Samaritani prope omnes, ex aliis autem Nationibus etiam perpauci illum quaſi primum DEVM eſſe confitentes adorant quoque.* Quibus adde, quæ inferius dicuntur p. 76. *Nam apud Vos prout diximus in Imperiali Vrbe Roma ſub Claudio Cæſare Simon fuit, & ſacrum ſenatum, populumque Romanum eo perduxit ſtuporis, vt DEVS haberetur, & ſtatua, veluti alii, quos colitis, Dii, cobo-*

neſtaretur. Quocirca vt Sacer quoque Senatus & Populus Romanus vna vobiscum poſtulata hæc noſtra cognoſcant, petimus, vt ſi quis inter eos doctrinis illius detineatur, vero cognito, fraudem erroris effugere valeat; & ſtatuam ſi vultis abolete, &c. Hic quot verba, tot fere etiam falſa referuntur. Simoni propter Magicas quas exhibuit virtutes ſtatuam fuiſſe collocatam iis non perſuadebit Iuſtinus, quibus ex *Suetonio*, & *Tacito* præcipue conſtat, quam inuiſa atque abominabilis res fuerit Romanis damnata Magia. Quis ergo probabile eſſe dixerit in iſta Vrbe, vbi & venefici exoſi erant; & qui eos cõnſulebant, ſtatuam Mago conſecrari, diuinosque honores decerni? Non certe latina iſta inſcriptio hoc euincet, in qua hallucinatũ fuiſſe Iuſtinum, Viri eruditiſſimi demonſtrarunt. Notum enim eſt eam ipſam non ad Simonem Magum, ſed ad *Herculem* pertinuiſſe, aliudque plane deſignare: *Semoni Sango DEo Fidio*; quam Simoni DEo ſancto. Samaritanos vero omnes adoraſſe eum vt DEVM, & *Sacræ ſcripturæ* aduerſum eſt, & *Ioſepho*, qui Samaritanos ab Idololatria abſoluit, & *Origeni qui lib. 1. contra Celſum vix triginta amplius ex Simoniana ſecta extitiſſe affirmat*, vt taceam, ſibi ipſi non cõnſtare Iuſtinum, dum hic paucos ex aliis nationibus, infra vero ipſum Populum Romanum ſtupore com-

commotum Simonem hunc coluiſſe temere dicit.

§. XI. Sed inquit *Baronius* lib. I. Annal. ad ann. Chr. 44. Edit. Ven. p. 236, *quonam pacto in his decipi potuit Iuſtinus, qui non tantum Gentilium Philoſophiæ, ſed & ipſorum Theologiæ eruditione non leuiter tinctus, vel mediocriter imbutus, ſed egregie excultus, & apprime eruditus fuerat? &c.* Deceptus ſane eſt, quo caſu ego neſcio; niſi quod penitus credo, Baronius hic impingat, qui immanem Iuſtino eruditionem tribuit, Patrum amore, communique præiudicio adhuc conſtrictus.

§. XII. *At quomodo*, pergit, *idem ipſe non ea de Simone Mago plus certo, Romæ diu multumque verſatus explorata habuit, quæ non in angulo, vel coram eius rei ignaris locutus eſt, ſed ad ipſum Romanum Imperatorem, nec non Senatum Romanum conſcripſit?* Mirarer ipſemet, ſi aut Romam veniſſe, aut commoratum ibidem fuiſſe Iuſtinum exploratum iam eſſet ac certum. At quo Authore hoc dicitur? quo teſte? quo Scriptore? An ſoli Baronio habenda fides eſt? Non puto: *Sed ſcripſit tamen ad Senatũ, Imperatoremque Romanum, qui harum rem ſcientiſſimi fuerant.* Bene! Ergo temere ſcripſit; ergo imprudenter, ergo inerudite, ſimili pene modo, quo ſe cellularum reliquias Alexandriæ vidiſſe, imaginatus ſibi eſt; quibus ſe-

niores illi aut LXX Interpretes incluſi dicebantur. vid. *diſſert. Iohannis van* Dale de *ſtatua Simoni Mago, vt prætenditur, erectæ &c.*

§. XIII. In quorum deſcriptione infelici admodũ ſtylo vſus videtur Iuſtinus, dum p. 56. *Herodem regnaſſe in Iudæa,* quando Ptolomæus Philadelphus libros legis vertendos curauit, firmiter ſibi perſuadet; qui *tantus eſt*, dicente Caſaubono exerc. V. §. 26, *ſiue prochroniſmus, ſiue metachroniſmus, vt oculis ſuis, cum illa legit, vix crediderit.* Cuius generis hallucinationes, cum innumeræ in Patrum ſcriptis occurrant, eorum ſane intoleranda ſuperſtitio videtur, qui ne Martyris noſtri auctoritas concidat, alium Ptolomæum, qui Herodi Aſcalonitæ σύγχρονος fuerat, confingunt, aliam & diuerſam plane ab hac verſionem nobis obtrudunt, digni propterea in quos calamus acuatur, ne dum Iuſtinum ab errore chronico liberare volunt, ipſimet tam imprudenter incurrant, & ſimul quæ *Kortholti etiam obſeruatio eſt* ad h. l. *verſionem Biblicam vniuerſæ antiquitati ignotam comminiſcantur.* Quare optandum potius eſſet, vt apertis oculis purgataque mente p. 56. Apologiæ noſtræ legant, in qua Chriſtus *quinquies mille annis priusquam apparuerit vaticiniis prædictus* præter hiſtoriæ fidem, omnemque collatam annorum rationem adſtruitur, aperto ſatis indicio, nihil

tam

tam leue fingi poſſe,in quo non pueriliter labi Philoſophus noſter potuerit. Quibus adiice ſi placet pag. 621, vbi ſimilis circa Dauidem error chronicus occurrit, niſi quod illic mille & quod excedit,hic quadringenti ſaltem anni abundent.

§. XIV. Sed veniamus tandem ad ipſas prædictiones, ad Veteris Teſtamenti dicta, quorum ingentem numerum Iuſtinus adducit,ſed vbi multa adeo notari, ac moneri merito poſſent, vt pluribus forte foliis indigeremus. Ne enim quidpiam dicamus ad illum ex Geneſeos cap. 49. v. 11. adductum locum: *Ligans ad vitem pullum ſuum;* iam age illam de Chriſto Prophetiam, quæ apud Eſaiam cap.9.v. 6. habetur,contemplabimur: *Puer natus eſt nobis, & adoleſcentulus datus eſt nobis; cuius ſuper humeros imperium eius.* Hoc inquit Iuſtinus p. 59. *Oraculum oſtendit virtutem crucis, quam humeris adplicuit in eandem actus.* At ſine vlla ratione ita inquit. Non antecedentia patiuntur, non conſequentia; de Principatu ſermo eſt, de cura, de regimine; non de ſupplicio, non de cruce. Hic enim gentibus quæ in tenebris ambularunt, veriſſima illa lux annunciatur, Princeps ille πορφυρογέννητος, cui tam mirabile nomen eſt; humerorum autem propterea mentio iniicitur, quoniam Magiſtratus humeris ful-

cire Rempublicam videntur; & Seruatori noſtro, vt Vatablus exponit, *omnis in cœlo ac terra data poteſtas eſt*. Apage ergo Iuſtini Interpretationem, quæ certe non aliunde defluxiſſe videtur, quam ex ſuperfluo illo additamento ad Pſalm 96. v. 10. *Dominus regnavit a ligno*, quod non tantum in Dialogo cum Tryphone Iudæo, ſed in hac etiam Apologia p. 62. fruſtra & intempeſtiue a Martyre vrgetur. Conf. *Glasſius Philolog. Sacr. p. 100.* & *Fullerus Miſcell. p. 313.*

§. XV. Iam quid de actis Pilati habendum, ad quæ bis prouocaſſe Iuſtinum p. 89. videmus, amplisſime declarari poſſet, niſi nunc quidem nota ſatis Martyris noſtri credulitas foret, nec *Iſaacus Caſaubonus exercit. 16. §. 154.* & *Iohannes van Dale in peculiari quadam diſſertatione* ab hoc nos labore liberaſſent.

§. XVI. Eo igitur Lectorem remittentes circa Platonem hic p. 63. ſubſiſtimus, qui aſſertum hoc: *αἰτία ἑλομένου, θεὸς δ' ἀναίτιος. Cauſa deligentis eſt; Deus autem culpa caret*, a Moſe acceptum protuliſſe dicitur; quaſi plumbeus adeo fuerit Plato; cæterique Græcorum Philoſophi, vt nihil rectæ rationi, bonæque menti congruum ſentire aut loqui potuerint. Deum enim culpa carere, tantum abeſt, vt ex Moſaicæ diſciplinæ fontibus hauſerint, vt illud potius ſuæ Philoſophiæ in totum

tum referant acceptum. Quis enim neſcit Philoſophorum pleroſque duo ſibi aduerſantia principia ſtatuiſſe, Deum puta ac Materiam? illum boni omnis, hanc mali cuiusque fontem? Quam ob rem ergo cum Deus vacare culpa dicitur ad Moſen ſemper recurrendum? cur ad Iudæos? ad Iſraelitas? Fruſtra certe talia dicuntur, cum hoc, quicquid eſt, domi doceat Philoſophia Platonica. Nam cum *crederent animam Dei, corpus materiæ ſobolem eſſe, ita ſe beatos fore collegerunt, ſi etiam in hac vita corporeis animum vinculis, hoc eſt, cupiditatibus prauis exſoluerent, cumque Deo per cæleſtium rerum iuges meditationes, tanquam principio ſuo, ac fonte coniungerent. Thomas Schediaſm.* Hiſt. p.32. Fac itaque animam illecebris corporis abreptam ad quandam vitæ turpitudinem proſiluiſſe, & Platonis axioma habebis: *αἰτία ἑλομένȣ.*

§. XVII. Quibus recte penſitatis, magis indies confirmor, magisque & veteres hic peccaſſe & recentiores, qui Platonem ex fontibus Hebræorum riuulos in hortos ſuos deriuaſſe unanimi conſenſu ſtatuerunt; illi vt oſtenderent Græcos fures eſſe, aut eadem plane cum Iudæis ac Chriſtianis docuiſſe; hi vt auguſtæ antiquitatis veſtigia premerent; quæ ob canitiem ſuam, auctore Baſilio, *habet*

ali-

aliquid reuerendum. vid. Clerici Epiſt. Crit. p. 229.

§. XIIX. Nos veritati vnice litantes nec Iuſtinũ reſpicimus, nec eiusdẽ aſſeclas, libere monentes, ſi quid improbabile nobis, aut temere ſuppoſitum, aut leue, aut falſum plane videbatur; quale niſi fallor, etiam illud eſt, quod de ſibyllinis oraculis ſancta Iuſtini ſimplicitas erudito orbi obtrudere conatur. *Opera* inquit. pag. 64. *& inſtinctu malorum Dæmonum mortis ſupplicium aduerſus librorum Hydaſpis aut Sibyllæ aut Prophetarum lectores conſtitutum eſt, vt per timorem homines ab illis, quo minus ſcripta ea legentes, rerum bonarum notitiam percipiant; ſed in ſeruitute eorum retineantur, abſterreantur, quod arte quidem efficere & ad finem ſuum perducere nequiuerunt. Non enim absque timore tantum huiusmodi ſcripta legimus; verum etiam vobis ad inſpiciendum quæ in iis traduntur vt videtis offerimus; grata acceptaque omnibus fore ſcientes &c.* Hic certe temeritatem Iuſtini mirari ſatis non poſſum; adeo audacter de rebus ſibi ignotis pronunciat, ac ſi in Senatu Romano præſens ipſos Patrum conſultantium calculos vidiſſet, aut Imperatorum arcana quæuis dies noctesque volutaſſet. Sibyllæ *lectoribus mortis pœnam fuiſſe irrogatam*, ne Chriſtianorum myſteria optimasque doctrinas perciperent, quis eſt, qui

cre-

credat? Neque enim hæc lex poſt Chriſtum demùm natum lata eſt; ſed multo iam ante triſti ſupplicio *M. Attilii ſancita, qui inſutus culeo in mare fuit coniectus; quod diceretur Oracula Sibyllina fidei ſuæ commiſſa Petronio Sabino deſcribenda dediſſe.* Vnde elucet aliam longe cauſam Romanos habuiſſe, cur fatidicos eiusmodi libros occultarent; quæ tamen nec alia fuiſſe videtur, quam vt ſic Nobiliſſimi ac maximi in Republica Viri Oraculorum publicorum ſoli cuſtodes eſſent; eaque tuto fingere, vel refingere, minuere, aut augere pro lubitu poſſent; quoties illud aut Reipublicæ vtilitas, aut proprium etiam commodum efflagitaret.

§. XIX. Quibus conſideratis multi ſane ad eam opinionem delati ſunt, *Tarquinium* vel alios forte ſub nomine *Tarquinii* hos libros confinxiſſe, ſparſa ſimul fabula de Anu libros iſtos venditante, ad modum *Numæ Pompilii*, qui ſe monitu Deæ Egeriæ omnia feciſſe ſimulabat, aut *Lycurgi*, qui *Rhetras* ſuas conſimili pene ratione adornarat. Cur autem *Auguſtus Tiberius*, imo *Nero* etiam ſeuere ſanxerint, ne quis eiusmodi Carmina priuatim haberet, ex eodem Reipublicæ Romanæ arcano deducendum eſt, aut intemperantia populi, *qui Tacito* teſte; *multa vana ſub nomine Celebri euulgauerat*, & verſus infinitos confe-

ce-

cerat, & quaſi ex veteri penu produxerat, non ſine leui rerum nouarum metu, ac notabili Romanæ Maieſtatis detrimento, quam Imperatores omnibus modis conſeruatam volebant. Hinc ergo tot de Sibyllinis verſibus decreta; hinc repetitæ prohibitiones; quarum cauſas exactius rimari debuiſſet Iuſtinus; antequam ad Imperatorem, Populumque Romanum tam ridicula ſcriberet, ac fabuloſa. Sed fugit eum ratio, dæmonumque culpa erat, quod Ratio ſtatus Romanorum poſtulabat, *Erroresque gentium, & inſanum dæmonum cultum vel confirmabat, vel noua etiam acceſſione augebat.* Conf. Caſaub. exerc. I. §. 10. II.

§. XX. At *de Chriſto*, inquis, *Oracula Sibyllina a Martyre citata multa clariſſima pandebant.* Non repugno; Sed hoc ipſum ſubleſtam eorum fidem confirmat. Quis enim dixerit clariorem gentibus lucem affulſiſſe, quam Iudæis populo illi περιούσίῳ? Quis Prophetas ſanctos & ſpiritu Dei actos denſioribus profunda myſteria tenebris quam Ethnicos illos Vates inuoluiſſe affirmauerit? Atqui Iudæos, ais, auctores habent. Nugæ! Quis hoc dixit? Non ſane Gentiles, quippe quibus alius de his rebus ſenſus eſt; Non ipſi Iudæi. Teſtimonia enim deſunt; deeſt etiam claritas, deeſt diſtincta myſteriorum cognitio,

quæ

quæ maior in his certe libris cernitur, quam in Veteri Teſtamento. Quare relinquitur, has Sibyllas iis originem ſuam debere, qui cœleſtem veritatem figmentis ſuis iuere adiutum, quod quidem commodius fieri vix potuit, quam ſub nomine Sibyllinorum Oraculorum, quæ Imperatorum decretis non obſtantibus, hinc atque illinc adſeruabantur, & interpolata ſæpe in lucem prodibant.

§. XXI. Vbi quidem me penitus miſeret eorum, qui imprudentiæ mihi crimen obiectant, quod Sanctos Patres, & potiſſimum Iuſtinum mendacii coarguam, aut mendacio fauentes. Iudicent enim, qui ſciunt interpretari, impudentiorne ſit, qui mendacium excogitat, an qui fideliter detegit, an qui excogitatum defendit? Patres ipſos talia confinxiſſe præfracte non affirmabo. Eſt tamen illud non penitus improbabile, iis præſertim, qui prima Eccleſiæ tempora aliquatenus habent perſpecta, vbi vera probabilia, falſa ficta promiſcue adhibebantur, dummodo facilius noua doctrina a gentium ſapientibus admitteretur. De quo diſpiciemus forte alias.

§. XXII. Nunc noua diſcutienda fabula eſt; videndumque an *Poëtæ Prophetica ſcripta corruperint, malique Dæmones eoſdem inſtigarint*, vt poſt ſimilia ab iis conficta *homines pro*

fa-

fabulis prodigioſis. poëticisque narrationibus res Chriſti aliquando venturi haberent. Iuſtinus noſter pro ea, qua eſt fiducia, ambabus manibus hanc opinionem p. 70. amplectitur, quam tamen ego nec eadem æſtimatione metior, nec metiri poſſum. Aliter catuli olent, aliter leones. Nemo enim eſt tam male in ſacris literis informatus, rerumque adeo imperitus, qui neſciat, exiles veritatis ſcintillas Populo Iudaico illuxiſſe, obſcurosque rerum futurarum typos nil niſi prima iisdem fidei elementa oſtendiſſe. Nam huc, niſi me totum decipio, ſpectant notabiles illæ Apoſtoli locutiones; dum tempora anteChriſtum appellat χρόνȣς ἀγνοίας Act. XVII. v. 30. doctrinamque de ſalute generis humani anteChriſti incarnationem vocat *myſterium abſconditum a ſeculis, & generationibus.* Coloſſ. I. v. 26. *abſconditum ab æterno in DEo.* Epheſ. III. v. 9. Quæ quidem ſi vera ſunt vti neceſſario ſtatuendum iis eſt, qui Chriſti doctrinam ſectantur, quo nam pacto quæſo conſiſtere queunt dicta Iuſtini? An forte cognitio Satanæ illuſtrior tum temporis fuerat quam Iudæorum *populi electi*? an maior quam Angelorum bonorũ, qui *deſiderarunt in hoc myſteriũ παρακύψαι?* (1. Petr. I. v. 12.) Non ſane dixerim. Sed pone tamen & finge non neſciuiſſe Diabolum aduentum Chriſti, aut Magni cuius-

dam

dam Prophetæ, an ſingulas propterea circumſtantias ſciuit? anMyſteria, quæ fabularum quarundam imaginibus dicitur præfiguraſſe? Atqui probabilius multo eſt vim atque efficaciam mortis Chriſti, eiusque conſequentia ei penitus ignota fuiſſe:Nunquam enim alias tantis ſtimulis concitaſſet Iudæos ad eum in crucem agendum; nunquam tot machinas adhibuiſſet ad cædem illius procurandam, quæ in propriam ipſius ignominiam, & perniciem tendebat.

§. XXIII. Iam vero ſi inſpiciamus exempla Iuſtini,bone DEus, quot inconuenientia deprehendemus, quam incerta, quam dubia, quam diuerſa? Ecce! *Dionyſium Inuentorem vitis, aſinumque in arcanis eius ſacrum*, poſt auditam Iacobi Prophetiam: *Ligans ad vitem pullum ſuum.* Sed quid ſi dixerim id omne, non eſſe capiendum de Chriſto, aut Iudæos ad minimum de eo non intellexiſſe? Quid ſi negem, ante verſionem LXX Interpretum de Moſe & Prophetis in eo comprehenſis quidpiam innotuiſſe gentilibus, aut quid ſi denique non aſinum ſed hircum animal ritibus inimicum ſacrum huic DEo fuiſſe probauerim? vid. *Pomey Pantheum Mythicum p. 54.* An fabula ſub vna tres latitare poſſunt perſonæ diuerſæ? an ſub Dionyſio Chriſtus, vti vult *Iuſtinus*? Sub Baccho Nimrod, vt tradit

Bochartus? Sub Lyæo Moſes vt exiſtimat *Voſſius*? At quilibet ſua ſomnia rationibus ſuſtentat, & quandam ſimilitudinem ex fabuloſis circumſtantiis oſtendit, illuſtri admodum documento, rem totam, quanta quanta eſt, infirmiſſimis coniecturis, lepidiſſimæque quorundam hominum imaginationi inniti. Paria ſunt, quæ de *Hercule* habentur, de *Perſeo*, de *Æsculapio*, de *Bellerophonte*; quorum, tamen vltimus abſurdiſſime omnium adſcenſionem Chriſti præfiguraſſe dicitur; cum ex ipſis Poëtarum fabulis manifeſto conſtet, Bellerophontem felici rerum ſucceſſu elatum, dum in cœlum euolare cum Pegaſo niteretur, oeſtro a Ioue immiſſo correptum, equoque excuſſum in campum decidiſſe. Nulla adeo ex parte Chriſto ſimilis, niſi eadem, improbiſſime de ſanctiſſimo Seruatore noſtro affirmare auſis.

§. XXIV. Quamobrem maxime me movet Theologorum quorundam curioſitas dicam, an vana induſtria, qui manibus pedibusque obnixe omnia faciunt, vt gentilium ſacra a Iudæis mutuo deſumta, eorumdemque DEos Iſraeliticorum Heroas fuiſſe, oſtendant, quaſi ſcilicet tam leue foret, cum, vulpibus congregare leones. Sponderem ſane, ſi eadem mihi licentia daretur ex Apocalypſi Iohannis vel ſimiles, vel magis paradoxas

xas defendere opiniones: nec difficile adeo crederem inuenire in ea Regem Poloniæ, aut bellum, quod nunc geritur in *Holſatia*, aut quod aliquando occaſione ſucceſſionis Hiſpanicæ geretur. Sed pertinacia laborant ſancta capita: vbi ſemel pedem fixerunt, dimoueri non poſſunt. Cum Patres præeuntes habent, ſequuntur. Coniectura demonſtratio eſt; leuis circumſtantia perfecta ſimilitudo; etiamſi nullius aut gentis, aut nationis pauciora veſtigia in veterum monumentis, quam Iudaicæ deprehendantur. Sapienti ſat!

§. XXV. Iam enim rideamus, ne ridicula Iuſtini argumenta pro crucis ſigno allata ſine riſu transmittantur. *Conſiderate*, ſcribit p. 70. *vobiscum res in orbe cunctas, an absque forma illa adminiſtrare quidquam, aut commercium aliquod habere homines queunt. Mare certè quidem non ſcinditur niſi tropæum hoc, quod antenna ſiue velum vocatur, in naui integrum maneat. Terra absque hoc non aratur. Foſſores autem opus non faciunt, neque itidem manuarii artifices, niſi figuram hanc habentibus inſtrumentis. Præterea vero facies humana non alia re ab animalibus ratione carentibus magis differt, quam quod rigida directaque ſit, & extenſionem manuum habeat, atque invultu a fronte prominentem proferat naſum qui dicitur, per quem reſpiratio eſt animanti; non*

 aliud

aliud quam crucis formam oſtendentem &c. Quibus demum abſurdiſſime accommodat illud Prophetæ: *ſpiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus.*

§. XXVI. Hic equidem exiſtimat *Caſaubonus* exercit. contra Baronium 16. §. 78. multa Patres, quibus cum gentilibus crucem Domini irridentibus res erat, ingenioſe excogitaſſe, ſcriptisque ſuis *inſeruiſſe os obturare paganis idonea*; quin in ea etiam opinione eſt, *tot ſigni huius effigies, quas ipſi tum in naturalibus, tum arte factis obſeruant, obſcura quædam fuiſſe documenta, venturā mundo ſalutem per veram crucem; quæ tamen nec a Iudæis eſſent intellecta, nec a Paganis.* Sed putat tantum Patrum quodam amore adhuc detentus Caſaubonus; in quorum gratiam id ſibi perſuadere aliquantum videtur. Nos I. *Lipſium* de Cruce lib. 1. cap. 9. ſecuti id omne laſciuiam ingeniorum & ſtyli reputamus, dignum propterea obelo, & ad conuincendos gentiles parum aptum. Fac enim Paganos ſibi aliam delegiſſe figuram, quam aut magni facerent, aut plane colerent, an defuturas fuiſſe credis infinitas tam in naturalibus, quam arte factis imagines, imo finge, poſſibile fuiſſe, vt Chriſtus ipſe alio mortis genere quam crucis ſupplicio afficeretur; an ſterile adeo humanum tibi ingenium proponis, vt ſimilia ex rerum na-

natura aut artium humanarum fabricis petita, inueniri nequiuiſſent? De quo ſi dubitas ad Pontificios merito te ablegamus, quibus ampliſſima talium rerum ſeges eſt, ad dogmata ſua pallianda. Ergo Oratoria ſunt quæ vel *Iuſtinus*, vel *Tertullianus*, vel *Hieronymus* aliique hanc in rem ſcripſere; aut ſi mavis argumenta dialectica; quæ tam facile negantur, quam affirmantur; quæue non probant ſed deſtruunt; non illuſtrant, ſed confundunt; ſed quibus tamen Patres veluti baculo in angulo ſtante vtebantur, ad pluuiæ iam factæ effectus oſtendendos. Cuius rei potiſſima cauſa videtur, quod ea ſæpe demonſtrare conarentur, quæ aliunde, quam ex reuelatione hauriri non poterant; & ad quam prius manuducendi fuiſſent pagani, quam ad myſteria humanæ rationi abſcondita fieret progreſſus.

§. XXVII. Sic enim Platonis præſidio non fuiſſet opus; Sic illa *Trinitas*, de qua multa adeo garrit Iuſtinus exeſſe potuiſſet, quæ quidem ſono dogmatibus Chriſtianis conformis, re autem ipſa difformis plane erat ac ab iisdem diuerſa. Quod ipſum oſtenſu non diffficile foret ex ipſo Platone; niſi id iam abunde ſæpe laudatus *Clericus* præſtitiſſet Epiſt. Crit. epiſt. VIII. p. 241. ſeq. Vno verbo; *DEVS Platoni erat ſummum Numen aut*

Pater; *Mens mundus intelligibilis, aut filius*; *Anima ſpiritus huius vniuerſi adſpectabilis.* Iam vero iudicet æquus Lector, an tenuis illa ſimilitudo, quæ in verbis ſolum prima fronte deprehenditur, ita animum Iuſtini afficere debuerit; vt illico Trinitas Chriſtiana Patris, filii, & Spiritus S. exinde foret deducenda? Sane, aliorum conſenſus non ſufficit; non bona intentio, non innocuus ſcopus. Chriſtiana religio ſana expoſcit, ſibi conſtantia, non contradictoria, non abſurda; qualia ſine dubio ſunt, quæ Martyr noſter de æneo ſerpente crucis ſanctiſſimæ typo ex Moſe producit pag. 23. vnde demum illud Platonis: ἐχίαζεν αὐτὸν ἐν τῷ παντί. *Decuſſauit eum in Vniuerſo.* Adſeueranter talia dicuntur, non ſapienter. Neque enim Romanis adeo ignota erant Platonis ſcripta; vt quiduis ſibi obtrudere paterentur; aut fumum receptarent, aut quiſquilias. Ipſe Cicero hunc locum adhuc integrum refert Fragm. de Vniuerſ. quem illi credo ampliori inſpectione dignum iudicabunt, quibus Iuſtini auctoritas magna eſt; & nondum ſatis perſpecta audacia, inſcitia, credulitas, ſimplicitas. Hæ enim optimi Patris virtutes ſunt; hæ laudes, quas deprehendi. Si cui alia mens eſt, non iraſcor. Guſtus varii ſunt; de iis non di-

ſputo. Iuſtinus CONSTANTISSIMVS MARTYR fuit. Hoc ſolum lector in eo mirare, mihique admirabundus fauorem tuum imperti.

OBSERVATIO X.
APOLOGIA PYTHAGORAE, PRAESERTIM CONTRA EPISCOPVM WORCESTRIENSEM.

Σύνοψις.

O*Ccaſio huius commentationis.* §.I. *Indicantur qui non præclare admodum de Pythagora exiſtimarunt.* §. II. *Fabula de Pythagora per ſeptem annos deliteſcente* §.III. *Refellitur.* §. IV. *De Metempſychoſi Pythagoræa quinque quæſtiones proponuntur.* §. V. *Metempſychoſin iſtam proprie intelligendam eſſe probatur.* §. VI. *Ad rationes quæ in contrarium afferri poſſunt, reſpondetur,* §. VII. *Ex mente Pythagoræ animas hominum in bruta quoque migraſſe, probatur.* §. VIII. *An ſententia hæc ceu abſurda ſit reiicienda, poſtulata quædam præmittuntur.* §. IX. *Negatiua probatur ex eo, quod metempſychoſis naturæ animæ non repugnet.* §. X, XI. *Item ex eo, quod eſſentia animæ incognita ſit & obſcura,* §.XII. *Idem euincitur ex conditione illorum, qui huic ſententiæ adſtipulati ſunt.* §. XIII. *Si errauit hac in re Pythagoras, id ei vitio verti non poſſe,* §. XIV. *Quod per*

hanc ſententiam immortalitas animæ non euertatur oſtenditur. §. XV. *Quid Pythagoram induxerit ad hanc ſententiam defendendam?* §. XVI. *A mendacii ſuſpicione liberatur Pythagoras* §. XVII. *vt & a ſuſpicione fraudis* §. XVIII. *Quem in finem hæc diſputata ſint, indicatur* §. XIX.

§. I.

PRodiit anno ſuperiori Londini Chronologica recenſio vitæ Pythagoræ virorumque illuſtrium, qui eodem, quo Samius Senex, tempore vixerunt, Anglicana lingua a doctisſimo Worceſtrienſium Præſule conſcripta. Hunc vt accuratius mihi perluſtrare liceret, vehementer quidem optaui, ſed nec libri iſtius mihi copia facta eſt, & eo inſuper idiomate ſcriptus eſt, cuius pauci forte in Germania ſunt periti: adeoque contentum me eſſe oportuit recenſione huius operis, quam inſtituit vir clariſſimus Iacobus Bernhardi *dans les nouuelles de la Republique des lettres menſe Decembr. A. 1699. Artic. III. p. 647. ſeqq.* Ex ea autem intellexi doctiſſimum præſulem in Epiſtola ad Bentleium operi huic addita, inter alia hoc agere, vt Pythagoram, ſapientiæ, modeſtiæ, ceterarumque virtutum, quæ in Philoſophum cadere poſſunt, no-

nomine adeo celebratum, ceu hominem impoſtorem & abſurdisſimis ineptisſimisque opinionibus ſuorum animos imbuentem, nobis ſiſteret.

§. II. Nec tamen primus fuit Worceſtrienſis Antiſtes, qui de Pythagoræ & vita & doctrina minus præclare ſentiret, aut eius dicta & facta in malam interpretaretur partem. Ipſe Xenophon in iis quæ ad Æſchinem Socraticum ſcripſit, ſapientiam huius philoſophi extollens ſic loquitur: Ἀιγύπτου γὰρ ἠράσθησαν καὶ τῆς πυθαγόρου τερατώδους σοφίας *adamarunt* (*Plato & Ariſtippus*) *Ægyptum monſtroſamque Pythagoræ ſapientiam*, apud Theodoretum *lib. II. Græcarum. Aſſert. Monſtroſam* eius *ſapientiam* vocat, ſine dubio ob dogmata quædam Pythagorea a receptis opinionibus diſſentientia. Pythagoram γόητα καὶ τερατουργὸν fuiſſe, Timon Phliaſius aſſeruit, vt auctor eſt Plutarchus in *Numa*. Apud hunc enim eiusmodi extat Timonis de Pythagora effatum:

Pythagoramque tuere magum, qui nomine flagrans,
Pergeret eloquiis homines captare venuſtis.

add. Diogenes Laërt. p. 590. Theodorus Studita de Pythagora ita ſentit, vt ſi ſceleſtiſſimus mortalium nomine quodam inſigniendus eſſet, eum Pythagoram eſſe vocandum autu-

met. *Non oportebat te*, inquit, *o ſceleſtiſſime omnium hoc nomine* (Iohannis) *nuncupari*, *ſed potius Pythagoram & Saturnum vel Apollinem vel alium quempiam profanorum illorum deorum, quorum vitam es imitatus, eorum impudicitiis delectatus.* ap. Ioh. Schilterum de *diſciplina Pythagor. cap. XI.* Sed & ex recentioribus Beſoldo *de lingu. immutat. cap. XI. p. 54.* H. Conringio *de Hermet. Med. cap. XI. p. 108. cap. XIII. p. 166.* it. *Orat. II.* de laudibus Ariſtotelis, Idemque Dionyſ. Petauio *Rat. Temp. p. 129.* a Magiæ crimine ſuſpectus eſt: allegante hos auctores Schiltero *l. c. §. XI.*

§. III. Sed videamus, quibus demum rationibus inductus doctisſimus Worceſtrienſis Epiſcopus tam ſeuere de Pythagora pronunciet. Inter miracula, quæ de ſummo philoſopho referunt Iamblichus & Porphyrius, hoc quoque eſt, *quod ad inferos deſcenderit redieritque ſeptennio elapſo.* Hoc Worceſtrienſis Epiſcopus eo interpretatur, ac ſi Pythagoras ambitionis oeſtro percitus, in antro quodam ſubterraneo ſe abdiderit, ibidemque delituerit, nemine niſi matre eius, huius rei conſcio: quæ cibum potumque ne fame aut ſiti periret, ſubminiſtrare debebat, idque hunc in finem, vt ſuis perſuaderet ſe deſcendiſſe ad inferos, aut in alium orbem miraculo quodam raptum nunc demum rediiſſe. Simi-

mile fere quidpiam de Guilielmo Poſtello in primo harum obſeruationum tomo obſeruauimus. Certe hæc ſi ita ſe haberent a fraude atque impoſtura Pythagoras non poſſet abſolui. In ſummi autem hypocritæ idem merito abiret exemplum: quippe qui in eo totus eſſe videri volebat, vt ſuam aliorumque vitam moresque ad virtutem ac honeſtatem componeret, & ambitione tamen eousque ſe abripi paſſus eſſet, vt turpisſima fœdisſimaque impoſtura fœdum ſane vitiisque conſpurcatum animum proderet; facileque intelligebat, ſi tandem fraus detegeretur, æternum ſe famæ ſuæ inuſturum dedecus.

§.IV. Sed vellē ſane vt firmiori fundamento has coniecturas ſuas doctisſimus Auctor ſuperſtruxiſſet. Primo enim an vnquam Pythagoras eiusmodi quid fecerit, dubitari posſit. Certe Porphyrii, Iamblichi & eiusdem farinæ ſcriptorum teſtimoniis hic non eſt ſtandum. Fatetur Auctor eos inſigni Chriſtianorum odio flagrantes ad imminuendam miraculorum a Chriſto & Apoſtolis patratorum gloriam ſimilia de Pythagora eiusque ſectatoribus tradidiſſe. Imo finxiſſe, addere debebat. Quis ergo non in eam ingrediatur ſententiam, eos ad reſurrectionis Chriſti gloriam imminuendam ſimile quid de Pythagora commentos eſſe. Præſertim cum aliis quoque

que Chriſtianæ religionis impugnatoribus haud infrequens fuerit, Chriſto ad vitam reſurgenti opponere qui itidem reuixerint, aut ab aliis ſint reſuſcitati, vti prolixe *Origenes* docet lib. II. & III. *contra Celſum*, & recte quoque obſeruat *Petrus Daniel Huetius in quæſtionibus Alnetanis* lib. II. cap. XIX, §. VIII. Deinde eſto: abdidiſſe ſe Pythagoram in antro & ibi per ſeptem annos delituiſſe, num ſtatim id fecit ambitione permotus ad fucum aliis faciendum? Nonne potuerunt aliæ cauſæ eum permouere, vt turbæ hominum ſe ſubduceret & ſolitudine delectaretur? Iamblichus refert eum patriam reliquiſſe, quod *fugeret politica negotia & Samiorum negligentiam in litteris; & in Italiam diſceſſit*, ita pergit, *patriam reputans, quæ quamplurimos haberet bene erga litteras affectos. Cap. VI.* Quidni ergo ſimilis cauſa ad receſſum quærendum eum permouere potuit, ſi vera ſunt, quæ hac de re creduntur. Porro vt veritas ſemper odium parit, ita dubium non eſt, quin Pythagoras nunquam tot ſui admiratores habuerit, quin & plurimos haberet oſores. Plutarchus ſane prodidit Pythagoram viuum fuiſſe a Cyloniis exuſtum: Diogenes autem Laërtius factum hoc in Milonis Crotoniatæ domo dixit a quodam quem in diſciplinam admittere abnuiſſet. vid. Ludov. Coel. Rhodiginus *Lection*

ction. Antiq. Lib. X. cap. LXVII. Potuit ergo & ſubinde aliorum inſidiis peti, vt ad has euitandas neceſſe ei fuerit conſpectui hominum tantisper ſe ſubtrahere & latebras quærere. Atque niſi me omnia fallunt, totius fabulæ hæc eſt origo atque ſeries. Subtraxit, (ſi coniecturis indulgere licet, licet autem, vti credo, omnino in re dubia atque obſcura) ſe tantisper Pythagoras hominum conſpectui ſiue ſolitudinis amore, ſiue metu inſidiarum, ſiue alia quacunque, honeſta tamen, cauſa adductus. Diſcipuli autem eius, vel eorum etiam ſucceſſores, vti ad quiduis credendum aliisque perſuadendum proni admodum ſunt mortalium animi, cum nullam occaſionem honorem magiſtri augendi prætermitterent, facile ſe induci paſſi ſunt, vt exiſtimarent reconditam quandam diſceſſus huius fuiſſe cauſam. Poſtquam autem ſemel via aperta eſt eiusmodi figmentis, difficile eſt ſtatuere modum. Porphyrius autem ceterique Chriſtiani nominis hoſtes cum viderent, rem iſtam egregie ad cauſam Ethniciſmi agendam facere, mendacio addiderunt colophonem & ea ſtrenue prodiderunt, quæ hodie in ſummam maximi philoſophi ignominiam vertuntur.

§. V. Alterum quod Pythagoræ obiicit Worceſtrienſis Præſul, eſt doctrina iſta famoſiſſima de metempſychoſi.

Qua

Qua de re vt rite pronunciari queat, de quatuor hic nobis capitibus paucis eſt diſpiciendum: 1) an metempſychoſin proprie ſic dictam Pythagoras intellexerit? 2) num bruta etiam in metempſychoſeos vocauerit ſocietatem, vt animas hominum in bruta, & brutorum in homines migrare doceret, an vero ſolum in homines hominum animas migrare autumauerit? 3) an metempſychoſis iſta pro doctrina inepta, abſurda & a ratione plane aliena ſit habenda? & denique 4) an metempſychoſis doctrinæ de immortalitate animæ, vti Worceſtrienſis Præſul autumat, e diametro aduerſetur? 5) Quibus omnibus quinto demum loco addi quæſtio poſſit, quæ demum cauſæ Pythagoram ad metempſychoſin ſtatuendam induxerint?

§. VII. Nimirum breuisſima ad defendendum Pythagoram & abſurda quæ illi obiiciebantur amolienda, via nonnullis viſa eſt, ſi dicerent dogma hocce Pythagoræum neutiquam proprie eſſe intelligendum, ſed latere ſub eo συμβολικόν τι. Nimirum ſi quis impuris voluptatibus delectetur, perinde eum ſe gerere ac ſi in porcum ex homine degeneraſſet, viderique animum in porcum migraſſe: Sic & ſi quis inuidia laboraret, cane non multo eſſe meliorem eodemque habendum loco eſſe, ac ſi in corpus caninum anima eius

eſſet

eſſet deuoluta; & ſic porro. Atque hoc aut ſimile quid lepido hocce commento ſibi voluiſſe Pythagoram. Nec deſunt iis rationes, quibus ſententiam ſuam ſtabiliant. Primo enim a ſapientia tanti viri prorſus abhorrere tam abſurdi dogmatis aſſertionem putant. Deinde, non infrequens fuiſſe Pythagoræ exiſtimant ſub eiusmodi ſymbolis dogmata ſua occultare, Sed falluntur hi magnopere, oſtenſumque iampridem eſt a doctisſimis viris Pythagoricam animarum transmigrationem eſſe intelligendam proprie. Extat Ambroſii Rhodii Dialogus de *transmigratione animarum Pythagorica. Haffniæ 1635.* editus, in quo id euincit luculenter, vt nunc Paganini Gaudentii, Iacobi Carpentarii, aliorumque hac de re commentationes taceam. Etenim, vt nunc alias rationes prætermittam, conſtat, aſſeruntque diſerte Herodotus, Diodorus Siculus, Porphyrius, aliique, accepiſſe Pythagoram hanc ſententiam ab Aegyptiis. Iam vero Ægyptios proprie hanc animorum transmigrationem intellexiſſe, apud omnes poſitum eſt extra controuerſiam. Accedit quod reliquæ gentes quamplurimæ ſane, cũ longe lateque hæc ſententia, maxime per orientẽ diffuſa ſit ac diſſeminata, in quas aut ab Pythagora ipſo, aut ab Ægyptiis hocce dogma deriuatum eſt, itidem proprie ſic dictam μετεμ-

τεμψύχωσιν admiſerint. Nec apud Auctores qui doctrinam Pythagoræ litterarum monumentis conſeruarunt, aut eius quoque diſcipulos, vllum hac de re occurrit veſtigium, quod μεταφορικῶς hoc intellexerit, imo contrarium ex omnibus elucet.

§. VIII. Rationes autem quibus contrarium euincere nonnulli allaborant, nullius plane ſunt momenti. Namque ad illud quod attinet, quod dicunt a ſapientia tanti viri tam abſurdi dogmatis aſſertionem plane abhorrere, ſupponunt, quod nondum probatum eſt, tam abſurdum hocce dogma eſſe, vt qui illud defendit, ſapientis viri tueri nomen nequeat. Diſpiciemus hac de re deinceps. Præterea ſi ſapientis titulo ſtatim indignus eſt, qui μετεμψύχωσιν ſtatuit, eadem indignus erit Plato, cuius tamen ſapientiam omnes admirantur. De eo ſane diſerte Cicero: *Plato de animorum æternitate non ſolum ſenſiſſe idem quod Pythagoras, ſed rationem etiam attuliſſe fertur. lib. I. Tuſc. Quæſt.* Proponit hanc doctrinam Plato *Lib. X. de Republ. p. 620.* vbi aſſerit per iſtam migrationem nouam animabus accedere formam. Hinc & Diogenes Laërtius in vita eius dicit ex Platonis mente continuata illa atque iterata transmigratione τὴν ψυχὴν πολλὰ μεταμφιεννυμένην σώματα, *animam multis ſuperindui corporibus.* add. Athe-

thenæus *lib. XV. Dipnoſ. cap. VII. Arnobius lib. II. contra gent. p. 54.* Hieronymus *tom. 1. Apol. aduerſus Ruff. c. X.* Ceterum Pythagoram ſymbolico docendi genere vſum eſſe conſtat, teſtaturque præter Porphyrium Iamblichus itidem ab Aegyptiis eum hoc accepiſſe: *vtebatur*, inquit, *modo ſymbolico in tradendis doctrinis ſuis, plane ſimili ei, quo in Aegypto ipſe fuit eruditus. lib. I. c. V.* Sed quid inde? Ergo & μετεμψύχωσις alterius doctrinæ forte moralis fuit ſymbolum? Ita ne per dialecticorum ſcita colligere licet? Poteſt ſane aliquis interdum ſymbolis certis vti, vt tamen non omnia quæ profert, pro ſymbolis aliarumque & latentiorum quidem rerum involucris atque tegumentis ſint habenda. Aſt, inquis, cum ſymbolico docendi genere vſus ſit Pythagoras, qui certus eſſe poſſum metempſychoſin iſtam etiam συμβολικόν τι non continere? Diſcrimen manifeſtum eſt. Symbola ſua Pythagoras ita proferebat, vt ea ſymbola eſſe indigitaret, hanc doctrinam non item. Namque de ſymbolis ſuis propagandis parum ſollicitus erat, modo diſcipuli rem ſub iis latitantem tenerent: aſt dogma de migratione animarum ipſe ad Græcos & ſic porro ad alias gentes propagauit. Φαίνεται, inquit, Porphyrius, πρῶτος εἰς τὴν ἑλλάδα τὰ δόγματα κομίσαι ταῦτα πυθαγόρας. πρῶ-

τον μεν ἀθάνατον εἶναι τὴν ψυχὴν, εἶτα μεταβάλλȣσαν εἰς ἄλλα γένη ζώων: *Videtur primus omnium Pythagoras hæc dogmata in Græciam intuliſſe, primo quod anima ſit immortalis: deinde quod diuerſa animantium genera ſubeat.* Sed ſuperuacaneum erit plura addere.

§. VIII. Nullum ergo in metaphorica μετεμψυχώσεως explicatione præſidium defenſores Pythagoræ inueniunt. Sed cum excuſari vtcunque Pythagoras poſſit, ſi hominum animas in alios homines transmigrare docuit, minime autem, ſi & in brutorum corpora eas deuolui aſſeruit, operæ pretium fuerit, paucis hanc in rem inquirere. Equidem ſi ad ea attendimus quæ de ſeipſo narrat Pythagoras quod in Aetalide primum anima ſua hoſpitata fuerit, tum vero in Euphorbum, ex Euphorbo in Hermotimum, ex hoc in Pyrrhum Delium Piſcatorem, & tum demum in Pythagoram commigrauerit, facile in eam ingredi quis poſſet ſententiam, priorem ſententiam Pythagoræ fuiſſe propriam. Hominum enim tantum, neutiquam autem brutorum in iſta ſerie mentio iniicitur. Sed meminiſſe oportet ex Pythagoræ & Aegyptiorum mente proborum hominum hanc demum eſſe felicitatem, vt in aliorum hominum corpora illorum animæ transfundantur; improborum autem animas in brutorum

cor-

corpora migrare. Præterea Aegyptii, a quibus Pythagoram hanc doctrinam hauſiſſe, ſupra diximus, bruta hinc non excludebant. Ita enim diſerte illorũ ſententiam exprimit Herodotus: *Primi quoque fuerunt Aegyptii qui dicerent animam hominis eſſe immortalem. Si enim corpus interiret, eam in animal aliud quod gigneretur commigrare, ac poſtquam omnia & terreſtria, & maritima & aëria eſſet peruagata, tandem reuerti in humanum corpus. Atque ſunt ex Græcis qui hanc doctrinam tanquam ſuam propoſuerunt, alii primum, alii poſtea, quorum licet ſciam nomina, prodere hic tamen nolo. lib. II. c. 123.* Addit idem Herodotus, *circuitum hunc* (περίελησιν) *ab anima fieri intra tria annorum millia.* Credebant porro Aegyptii ſanctorum animas deſcendere in animalia ſancta, reproborum autem in reproba & abominanda, velut in crocodilos, aſinos, hippopotamos, piſces, vti de Typhone & Ocho narrant, pro merito vniuſcuiusque. vid. Kircherus in *Sphinge Myſtagoga de Mumiis part. I. cap. I.* & Hermannus Witſius in *Aegyptiacis lib. I. cap. IV.* Videtur itaque, ni fallor, ſententia Aegyptiorum a ſententia Pythagoræ in eo differre, quod illi ſtatuebant omnium hominum animas in brutorum corpora migrare, & cum fatalem circulum trium millium annorum abſoluerunt, tum demum redire in cor-

pora hominum: hic autem eiusque diſcipuli, ni fallor, exiſtimarunt, quorundam hominum animas ſine medio in alios homines, aliorum autem in brutorum corpora migrare: in eo autem conueniebant, quod brutorum corpora hinc non excluderent. Et de Pythagora quidem hoc conſtat etiam ex Porphyrii teſtimonio ſupra allato. Dicit enim eum primum in Græciam intuliſſe hæc dogmata, primo quod anima ſit immortalis, εἶτα μεταβάλλουσαν εἰς ἄλλα γένη ζώων, *deinde quod diverſa genera animantium ſubeat.* Ceterum Herodotus dicit, quosdam ex Græcis *hanc doctrinam tanquam ſuam propoſuiſſe*, cum tamen eam ab Aegyptiis accepiſſent. Quibus verbis, iudice Io. Scheffero de *Nat. & Conſtitut. Philoſoph. Italicæ cap. V. p. 22.* Pherecydem Pythagoræ præceptorem, & ipſum quoque Pythagoram pungit. Ecce! ergo plagii crimen Pythagoræ obiectum! Sed dubito an hac in re Herodoto fides ſit habenda. Et ſane ſi Pherecydes eiusmodi quid apud Græcos iam docuit, non video ſane qui Pythagoras a ſe demum hanc ſententiam inuentam eſſe gloriari potuerit. Accedit, quod obſcurum adhuc ſit atque incertum, an Pythagoram his verbis innuat Herodotus. Quicquid huius ſit, in brutorum quoque corpora ex ſententia Pythagoræ animas migrare, teſtis quoque

eſt

eſt Lactantius; *Pythagoras*, inquit, *tranſire animas in noua corpora diſputauit, ſed inepte, quod ex hominibus in pecudes, & ex pecudibus in homines, & ſe ipſum ex Euphorbo eſſe reparatum. lib. VII. de præmiis diu. cap. XXIII.* add. idem *lib. III. de Falſ. Sap. Cap.* XVIII. Quodſi ex diſcipulorum placitis iudicandum eſt de mente ſententiaque magiſtri; nouis adhuc argumentis ſtabiliri hæc ſententia poteſt. Empedocles namque Pythagoræus apud Diog. Laërtium ita de ſe ipſo pronunciat:

Ἤδη γὰρ ποτ᾽ ἐγὼ γενόμην κοῦρός τε κόρη τε
θάμνος τ᾽ οἰωνός τε καὶ ἐξ ἁλὸς ἔμπυρος
ἰχθύς.

Nam (memini) fueram quondam puer atque puella,
Plantaque & ignitus piſcis pernixque volucris.

§. IX. Satis, vt opinor, candide cum Præſule Worceſtrienſi agimus, iis dum nos nudauimus præſidiis, quibus alii quam maxime ad defendendum Pythagoram innituntur. Nunc ergo iſtud quæritur, an hæc metempſychoſis, quam hunc in modum Pythagoras aſſeruit, abſurda ſit, & viro ſapiente indigna. Quæ res vt rite definiatur, poſtulata quædam præmittam: primum illud eſt, nihil dicendum eſſe abſurdum, niſi quod rationi tam euidenter repugnat, vt quilibet homo vel me

diocri ingenio pollens, ſtatim ac cogitationes ſuas ad illud conſiderandum confert, errorem ac falſitatem deprehendat. Secundum hoc eſt, de rebus quarum natura recondita eſt & abſtruſa, vt aut plane non, aut difficulter cognoſci queant, ſi quis ſententiam ſingularem foueat, eam abſurdam dici non poſſe, quamdiu non clara & diſtincta rerum iſtarum detur cognitio. Tertium hoc eſt, fieri non poſſe, vt ſententia vere abſurda plurium virorum mediocri ſaltem ingenio pollentium & ratione ſua vtcunque vtentium applauſum promereatur: quartum denique hoc eſt, poſſe aliquem virum ſapientem eſſe, licet in quibuſdam a veritate aberret.

§. X. Hæc poſtulata non tantum æqua, ſed & tam manifeſta eſſe puto, vt nemini temere de illorum veritate dubium ſuboriri poſſit. Quod ſi autem alicui ſuboriatur, ad illud tollendum & veritatem horum aſſertorum luculentius demonſtrandam promtum me paratumque eſſe profiteor. Proinde, miſſis ambagibus, ad illud quod nobis demonſtrandum eſt, inde eliciendum, me confero. Primo itaque nullo modo rationi repugnare aſſero, vt anima de corpore in corpus migret, nedum vt tam euidenter repugnet, vt quilibet, vel mediocri ingenio præditus hoc ſtatim

tim intelligere atque animaduertere queat. Subſcribere huic aſſerto recuſas? agedum conſidera naturam animæ, conſidera metempſychoſin & demõſtra naturã animæ per metempſychoſin deſtrui atque euerti, & victas dabo manus. Quod ſi facere nequis, fatearis ſane neceſſe erit, animarum metempſychoſin rationi non repugnare. Sed propius ad rem accedamus. Animam eſſe ſubſtantiam intelligendi, volendi aliiſque facultatibus præditam, apud omnes in confeſſo eſt. Materialis autem ſit an immaterialis, nobis quidem nunc tantiſper perinde eſt: nec enim philoſophi in eo ſatis conueniunt. Per metempſychoſin autem primo aſſeritur, quod *anima exiſtat ante corpus*. Hoc ſi abſurdum putas, oſtende rationem, cur anima exiſtere ante corpus nequeat. Tu credis animam poſt hominis mortem ſine corpore exiſtere poſſe: cedo ergo rationem cur etiam ante hominis generationẽ ſola exiſtere nequeat, aut oſtende cauſam diuerſitatis. Anima, inquis, tum a Deo creatur, cum homo generatur, aut per traducem propagatur, ergo ante hominis generationem non exiſtit. Sed ponis aliquid quod non eſt euictum. Ego ſi diuinarum litterarum tantiſper ſeponamus auctoritatem, inuertere hoc argumentum poſſum: anima exiſtit ante corpus, ergo nec tum creatur, cum homo generatur, nec per tradu-

cem producitur. Quid autem obſtat, quo minus Deus omnes animas ſimul vno eodemque tempore vti angelos creauerit, quod recentiores Platonici aſſerunt? Non dico hæc ita ſe habere: hæc enim alia quæſtio eſt: ſed ſaltem aſſero in his omnibus nihil quod rationi repugnet, inueniri.

§. XI. Sed pergimus. Per metempſychoſin porro aſſeritur, quod *anima poſt corporis deſtructionem ſit ſuperſtes & quod corpori alii iungatur*. Hoccine abſurdum cenſes? cedo rurſus rationem. Animam poſt corpus ſuperſtitem eſſe, ipſemet aſſeris. Hoc ergo non eſt abſurdum. Concedo, inquis: aſt hoc abſurdum, quod *iterum alteri corpori iungatur:* ſed dabis veniam quod nihil ſine ratione credam. Enimuero ſi ſemel a Deo anima corpori iungi potuit, cur non & altera, & tertia, & quarta vice. Nullam video quæ obſtet, rationem. Quod enim ſemel a Deo fieri poteſt, id ſæpius poteſt. Forte vnaquæque anima peculiare ſuum requirit corpus? Aſt probandum hoc eſt, non ſaltem ſimpliciter aſſerendum. Atque hæc cum facillime procedant de corporibus humanis, nunc nullam cauſam video, cur non & de corporibus brutorum concedi queat. Præcipuum quod obſtat dubium, hoc eſt: anima hominis intellectu & voluntate prædita eſt: ſi ergo in bru-

ta

ta migraret, ſequeretur aut iſtud brutum tum quoque ratione præditum eſſe, aut animam facultates ſuas præcipuas amittere. Vtrumque autem abſurdum videtur. Sed videtur: res ſalua eſt. Certe brutis rationem tribuit Pythagoras, tribuerunt & Stoici, & alii præſtantisſimi philoſophi. Nec ex modernis deſunt, qui cognitionem brutorum a cognitione hominum, non ſpecie, ſed gradu differre volunt. Quicquid huius ſit: lubentes fatemur, longe imperfectiorem eſſe brutorum cognitionem, quam hominis: ſed hoc non obſtat, quo minus anima, quæ olim in homine fuit, iungi corpori bruti queat. Namque hoc ipſo dum corpori brutorum iungitur, ſimul impeditur, quo minus operationes & facultates ſuas eo modo exerere queat, quo eas exerit, cum corpori hominis iuncta eſt. Quo ipſo etiam patet, quid ad alterum membrum, quod ceu abſurdum obiiciebatur, reſpondendum ſit. Anima ſane corpori bruti iuncta anima manet, ſuas facultates retinet, ſed eas exercere nequit. Eodem modo hic ſe res habet, ac ſi homo ad perpetuum includatur carceri, vbi nec aurium nec oculorum aliquis vſus illi conceditur. Licet enim eiusmodi homo nec videat nec audiat quicquam, inde tamen non eſt colligendum, eum nec oculos habere nec aures, aut viden-

di pariter ac audiendi facultate eſſe priuatum. Aſt, inquis, contra hominis dignitatem eſt, ſi anima eius in brutorum corpora migret. Reſpondeo: forte aliam hominis dignitatem tibi imaginaris, quam qua revera gaudet: forte & maiorem credis eſſe diſtantiam inter naturam bruti & hominis, quam quæ reuera eſt. Sed meminiſſe quoque te oportet, ex mente Pythagoræ atque Platonis in pœnam deliĉtorum a ſe perpetratorum animas hominum ſubire corpora brutorum. Quod enim Aegyptii de animarum reuolutione docebant, id altioris eſt indaginis, & alibi accuratius excuti meretur. Iam vero ſi quis magnorum criminum reus in carcerem eſſet coniiciendus, & is vero multis verbis conqueri vellet carcerem iſtum ſuæ quam gesſiſſet, perſonæ minus conuenientem eſſe, cum tamen per crimina ſua omnibus dignitatibus excidiſſet, ſummamque contraxiſſet infamiam, nonne is riſu atque cachinnis ab omnibus exciperetur? Pari profecto ratione ſe gerunt, qui hominis dignitati hanc migrationem repugnare clamitant, non cogitantes hominem ſceleribus variisque prauarum cupiditatum generibus ſe polluendo, omni dignitate ſua excidere, ſeque ipſum infra brutorum conditionem proiicere.

§. XII.

§. XII. Nouo nunc contra te inſurgo argumento, & metempſychoſin abſurdam non eſſe, inde euinco, quod quicquid fere de anima aſſeritur, dubium eſt, incertum, obſcurum. Vis rationem? Subſtantiæ omnes hominibus ignotæ ſunt. Magna hæc eſt veritas. Vtinam omnes illam caperent. Deducemus tamen eam alibi. Corpus hominis adſpice vides accidentia, ſtaturam, magnitudinem, partium diſpoſitionem, colorem, motum &c. Quicquid vides, quicquid cognoſcis, accidentia ſunt. Subſtantiam ipſam ſi te aut viſu aut intellectu aſſequi putas, erras: hæc mihi æque ac tibi ignota eſt. Iam vero ſi in rebus, quas ſenſibus vſurpare licet, hoc ita ſe habet, multo magis ſane in rebus quæ ſenſus omnes fugiunt, hoc procedet. Sane quidem ad animam noſtram quod attinet, quod intelligat, velit, &c. experientia omnes docet. Sed præterea nihil de anima ſcimus. Accidentia quædam & operationes animæ nobis cognitæ ſunt; quid anima ipſa ſit, nemo mortalium expedire poteſt. In hiſce itaque omnibus vt ſumma eſt temeritas & ſtultitia ſuas de eiuſmodi rebus opiniones pro demonſtrationibus venditare: ita non minor eſt ſtultitia temeritasque aliorum ſtatim opiniones vt abſurdas reiicere. Pone duos cæcos de colore iudicantes: & ſi vnus

ni-

nigrum pro rubro, alter autem pro viridi aut cœruleo venditaret, vnusque alterius ſententiam pro abſurda reputare vellet, quem is, putas, adſtantium concitaturus eſſet riſum? Eodem ſane modo ſe res habet in omnibus ſubſtantiis rerum diiudicandis. Ergo concludo, cum natura animæ eiusque ſubſtantia ſaltem ſi rationis ductum ſequamur, abſcondita nobis ſit atque obſcura, non magis Ariſtotelici ſententiam Pythagoræorum ceu abſurdam, hoc eſt naturæ animæ manifeſto & euidenter repugnantem reiicere poſſunt: quam Pythagoræi ſententiam Ariſtotelicorum. Accedit, quod ſtatus animæ ante coniunctionem cum corpore, & poſt ſuam a corpore ſeparationem omnes æque lateat, ſi rurſus diuinarum litterarum tantisper ſeponamus auctoritatem. Quis ergo alterius hac de re ſententiam ceu ineptam aut abſurdam reiicere poterit, qui ſuam, ſi omnes rationes probe circumſpexerit, profiteri ignorantiam neceſſe habet?

§. XIII. Scio equidem, quanti facienda ſint in philoſophicis argumenta ab aliorum exemplis petita. Lubens quoque fateor, eum rationem omnem eiuraſſe mihi videri, qui ideo ſententiam aliquam veram exiſtimauerit, quod multis, iisque forte ſapientisſimis aut doctisſimis viris ſit recepta. Nullus

lus enim mortalium hoc priuilegio, quod non errare poſſit, gaudet: imo facilius error plurimos defenſores & aſſeclas etiam inter ſapientisſimos inuenit, quam ipſa veritas. Nihiloſecius & hoc apud omnes, ſaltem æquos rerum exiſtimatores in confeſſo poſitum eſſe puto, fieri non poſſe, vt multi viri docti rem abſurdam & vere quidem abſurdam conſtanter pro vera reputent. Abſurdum autem, vti ſupra demonſtraui, hoc voco, quod rationi tam manifeſto repugnat, vt ſi quis vel mediocri ingenio pollens ſententiam iſtam cum re ipſa conferat, ſtatim illam huic repugnare deprehendat. In metempſychoſi itaque cum ita ſe res habeat, vt illa a plurimis iisque ſapientisſimis & diuerſarum præterea ſectarum viris, imo integris ſane gentibus, longo admodum temporis ſpatio ſit aſſerta, concludo inde hanc ſententiam neutiquam pro abſurda eſſe habendam. Enimuero ſi naturæ animæ humanæ metempſychoſis iſta tam aperte repugnaret, vt quilibet mediocri ſaltem ingenio pollens hoc deprehendere poſſet, quis crederet Pythagoram, Platonem, tot eruditos inter Ægyptios atque ipſos Ebræos viros hoc non perſpicere potuiſſe? Næ! neceſſe eſt hos omnes pro fungis aliquis habeat, aut illud etiam quod demonſtrare ſuſcepimus, concedat.

§. XIV.

§. XIV. Regeris: concedo, quod non ſit abſurda, aſt negari tamen nequit, quod ſit erronea. Nulla hac de re inter nos eſt controuerſia. Pythagoræ autem, ſi vel maxime pro erronea habeatur, hoc fraudi eſſe nequit. Primo namque eſt equidem hæc ſententia erronea, ſed ex ratione hoc probari nequit. Vtrumque enim ex hactenus dictis conſtat, & quod hæc ſententia pro abſurda non ſit habenda, & quod ex ratione demonſtrari nequeat, eam eſſe falſam. Ex ſcriptura hoc probari poſſe fateor: ſed nemo puto philoſopho Ethnico vitio vertet, quod ſcripturæ ſacræ conſentanea non doceat. Præterea tamen ſi & ex ratione demonſtrari poſſit hanc ſententiam eſſe erroneam, gloriæ tamen & exiſtimationi Samii Senis parum inde decederet. Namque errare humanum eſt: & nemo mortalium, quantumuis ſapiens & eruditus vnquam vixit, qui omnis erroris fuerit expers. Aut ergo concedendum eſt, nullum vnquam inter homines extitiſſe ſapientem, cum nemo extiterit, qui non in quibusdam errarit, aut fatendum etiam Pythagoram ſapientis viri nomen tueri poſſe, licet vel maxime hac in re a veritate aberrauerit.

§. XV. Ad quartum nunc accedimus noſtræ diſquiſitionis caput, ſupra itidem propoſitum. Exiſtimat enim Worceſtrienſis

Præ-

Præſul, ſi recte mentem eius retulit Iacobus Bernhardi, metempſychoſin Pythagoræam & doctrinæ Chriſtianorum de reſurrectione mortuorum, & immortalitati quoque animarum e diametro aduerſari. De priori facile hoc conceſſerim. Etenim ſi vna anima pluribus corporibus iungitur, ſequitur aut vnum ex ipſis corporibus tantum reſurrecturum, quo cum anima iterum vniatur, aut reliqua corpora ſi reſurgunt, ſine anima fore. Quodſi quis aſſerat, quæ etiam nonnullorum eſt ſententia diuinis tamen litteris vt ego puto repugnans, non idem corpus, quod dum vixit homo, animæ coniunctum fuit, ſed aliud quodcunque in reſurrectione cum anima vniendum, conciliari forte vtcunque etiam mortuorum reſurrectio cum metempſychoſi poſſit. Sed quicquid huius ſit, non repugnamus, ſed fatemur, conſiſtere metempſychoſin cum reſurrectione mortuorum non poſſe: aſt quod Pythagoræ hoc vitio verti queat, non video. Ethnicus fuit, non Chriſtianus, adeoque quod ſtatuerit, quæ Chriſtianorum ſcitis aduerſantur, in eo minime eſt reprehendendus. Quod vero idem epiſcopus aſſerit, metempſychoſin Pythagoræam immortalitatem quoque animorum deſtruere, id me capere non poſſe lubens profiteor. Certe diſſentiunt hic omnes antiqui, qui vel hanc

hanc ob cauſam, vt animæ immortalitatem aſſereret, doctrinam de metempſychoſi a Pythagora receptam defenſamque fuiſſe, innuunt, ſaltem inter præcipua philoſophiæ Pythagoricæ capita dogma de animæ immortalitate, referunt. *Pythagoras*, inquit Cicero, *diſcipulus Pherecydis opinionem de immortalitate animarum maxime confirmauit. lib. I. Tuſcul.* Ex quo hoc repetit Lactantius: *Pythagoras eiusque præceptor Pherecydes fuerunt, quos Cicero tradit primo de æternitate animarum diſputaſſe. lib. VII. de præm. Diu. c. VIII.* Et alibi: *Pythagorici & Stoici non naſci animas, ſed inſinuari potius in corpora & de aliis in alia migrare dixerunt: non putarunt aliter fieri poſſe, vt ſuperſint animæ poſt corpora, niſi videantur fuiſſe ante corpora lib. III. de Falſa Sap. Cap. XVIII.* Diſerte innuit, vt animorum immortalitatem aſſererent, inductos eos fuiſſe, ad illarum ante corpora προύπαρξιν ſtatuendam. Sic & Diogenes Laërtius inter præcipua Pythagoræ dogmata hoc refert, τὸ μὲν φρόνιμον ἀθάνατον *partem animæ prudentiæ capacem* (h. e. animam rationalem) *eſſe immortalem, cetera vero mortalia.* Et Plutarchus: *Pythagoras ſcilicet dixit ratione præditam partem non interire: eſſe animam quippe non Deum, ſed opificium æterni Dei: brutam eſſe obnoxiam interitui. de Placit. Philoſ. lib. IV. c. VII.* Et ſane quod illi qui me-

tem-

empſychoſin ſtatuunt, non poſſint non animarum immortalitatem admittere, per ſe patet. Et inde confirmari poteſt, quod Ægyptii, dum dogma metempſychoſeos excogitarunt, pro inuentoribus etiam ſententiæ de animarum immortalitate habiti ſint. Hinc Herodotus: Aegyptii primi fuerunt, qui dixerunt, *ὡς ἀνθρώπου ψυχὴ ἀθάνατός ἐστι, animam hominis eſſe immortalem; loc. ſupra cit.* Sed quid opus afferre in re non incerta nec dubia, argumenta non neceſſaria. Id ſaltem addimus, rationem, qua ſententiam ſuam ſtabilire videtur Worceſtrienſis, tam infirmam eſſe, vt ſe ipſum refutare videatur. *Si*, inquit, *anima in homines æque ac bruta migrat, ſequitur nullum intercedere diſcrimen inter animas brutorum & hominum: ac quemadmodum illæ intereunt & mortales ſunt, ita has quoque interitui eſſe obnoxias.* Miratus ſane ſum atque obſtupui, cum hoc legi: nec enim putaui fieri poſſe, vt vir doctus tam aperte in leges ratiocinandi peccare poſſet. Namque in hac ratiocinatione nexum atque ſequelam omnes deſiderabunt. Cur enim non inuerti poſſit argumentum, *ſi inter animas brutorum ac hominum nullum intercedit diſcrimen, ergo immortales erunt animæ brutorum, vt hominum animæ ſunt immortales.* Et ita quoque iuxta Pythagoræ mentem concludendum erat, quippe de quo

P ſatis

ſatis conſtat, quod animas hominum immortales ſtatuat, imo & animas brutorum, ſaltem eas, quæ ex hominibus in bruta migrant. Et ſane ſi Pythagoras ſtatuit, vti omnino ſtatuit, animas quæ in bruta migrarunt, iterum in alia bruta, aut etiam ſi tempus illorum pœnis deſtinatum iam effluxerit, in alios homines deuolui, qui aſſerere potuit, aut has brutorum aut etiam hominum animas eſſe mortales? Nihil ergo hac argumentandi ratione contra Pythagoram efficitur.

§. XVI, Iam ſi quæras, quid ergo demum induxerit Pythagoram ad doctrinam iſtam de metempſychoſi aut amplectendam, aut aliis inſtillandam, Worceſtrienſis quidem Præſul reſpondebit, ad gloriam quæ nouarum ſententiarum inuentores comitari ſolet, captandam, decusq; aliquod nomini ſuo conciliandum, eum hoc feciſſe. Quod quo pacto cum moribus viri, cuius tanta fuit modeſtia, vt ne ſapiens quidem vocari voluerit, ſed ſaltem philoſophus h. e. amator ſapientiæ, conueniat, non video. Nec coniecturis ſaltem hic ſtandum, quæ cum nullis plane rationibus innituntur, & ad imminuendam innocentium virorum exiſtimationem comparata ſunt, non poſſunt non improbæ & rationi contrariæ reputari. Accedit vero, quod iam Pherecydes hanc ſententiam ab Aegyptiis

tiis hauſtam apud Græcos diſſeminauerit; vnde quo pacto Pythagoras aut eius inuentionem ſibi aſſerere, aut ex ea gloriam captare potuerit, non video. Quod autem ex Herodoto hic opponi poſſet, ad id iam ſupra a nobis reſponſum eſt.

§. XVII. Aſt mendaciis tamen & figmentis plusquam puerilibus hanc ſententiam ſuam ſtabilire aggreſſus eſt Pythagoras. Dixit enim Aetalidæ animam in Hermotimum, huius in Pyrrhum, Pyrrhi in Pythagoram migraſſe. Quo ſane an imprudentius quicquam aut fingi aut dici potuerit, dubitat Worceſtrienſis Præſul. Sed dicam breuiter, quæ animo meo hac de re ſedeat ſententia. Nunquam induci poſſum vt credam, Pythagoram aut ſibi aut aliis perſuadere voluiſſe, quod eiusmodi quid reuera contigerit. Sed cum exemplo quodam declarare vellet, quo pacto forte metempſychoſis iſta perageretur, dixit Aetalidæ animam forte migraſſe in Hermotimum &c. Aſt diſcipuli eius & ſectatores, vt fieri ſolet, magiſtri mentem non recte percipientes putarunt eum dixiſſe, quod reuera iſta migratio eum in modum contigerit. Nonnulli autem ex illis ne magiſtro viderentur eſſe inferiores, aut minorem de metempſychoſi certitudinem habere, ſimile quid deinceps de ſe ipſis finxerunt. Atque

ita hocce commentum in orbis eruditi ſcenam productum eſſe non inficiabitur, qui ſecum reputauerit, quam ſolenne ſit, vt diſcipuli magiſtrorum ſuorum peruertant mentem. Cuius rei noua quotidie eduntur exempla. Accedit autem, quod ipſo obſeruante Worceſtrienſi Epiſcopo non omnes eodem modo feriem iſtius metempſychoſeos referant, ſed alia ſubinde pro aliis ſubſtituant nomina. Id quod, ni fallor, documento eſt, ipſum Pythagoram, cum in exemplum ſaltem eiusmodi quid ſupponeret, non ſemper eodem modo hoc propoſuiſſe: adeoque nunquam illum aſſeruiſſe, quod reuera eiusmodi quid contigerit.

§. XVIII. Aſt fictis miraculis famam gloriamque captauit Pythagoras: quod philoſopho ſane indignum. Ita rurſus inſtat Worceſtrienſis Epiſcopus. Sed ſine ratione. Optarem equidem, vt per inſtituti rationem mihi liceret ad ſingula deſcendere, & ſeorſim cuncta diſcutere. Nunc autem ſatis fuerit ſummatim quæ ad defendendum Pythagoram ſpectant, complecti. Primo itaque manifeſtum eſt, a Iamblicho, Porphyrio aliisque ad miraculorum a Chriſto & Apoſtolis editorum gloriam imminuendam multa miracula fingi, & Pythagoræ & Pythagoræis tribui: id quod ipſe Worceſtrienſis Epiſcopus concedit.

dit. Sed quid hæc ad Pythagoram? Deinde plane arbitror virum iſtum ſapientiſſimum ab Aegyptiis aliiſque gentibus, apud quas ſapientiæ ſtudia olim floruerunt, multa accepiſſe arcana, & profundius in naturæ receſſus penetraſſe, quam hodie quiſquam penetrare poteſt Ergo & per magiam naturalem efficere quædam potuit, quæ præſtare hodie nemo poteſt. Ea autem eſt hominum indoles vt ſi ab aliis præſtari videant, quæ ſuas vires ſuperant, ſtatim concludant, hæc aut ficta eſſe, aut vim quandam præter aut ſupernaturalem concurrere. Quod iudicium quam ſtultum, quamque temerarium ſit, non neceſſe eſt vt pluribus ediſſeram. Quibus omnibus & hoc addo, caute legendos eſſe veteres & circumſpecte, ne eorum ſententiam minus recte percipientes fraudem faciamus Pythagoræ. Exemplo hoc ſit. Exagitat Worceſtrienſis Præſul Pythagoram, quod concentum corporum coeleſtium ſuauiſſimum auribus ſe percipere dixerit. Iam notum quidem eſt, quod Pythagoras de totius mundi corporumque cœleſtium harmonia multa verba fecerit, aſt quod ſuis perſuaſerit, ſe auribus corporum cœleſtium concentum percipere, id an unquam aſſeruerit Pythagoras, valde dubito. Nec ſuccurrit ex veteribus qui eiuſmodi quid de Pythagora memoriæ pro-

 di-

diderit, bene tamen contrarium colligitur ex Cenſorino: *Sonitusque varios reddere* (ita de hoc concentu docuit Pythagoras) *pro ſua quamque altitudine ita concordes, vt dulciſſimam concinant melodiam. Sed nobis inaudibilem, propter vocis magnitudinem, quam capere aurium noſtrarum anguſtiæ non poſſunt. de die Nat. cap. XIII.* Diſerte hic ex mente Pythagoræ melodiam hanc cæleſtem inaudibilem vocat: ergo ſane Pythagoras docere non potuit, quod auribus eam perceperit. Interim cum vniverſi huius ſyſtema variis ſchematibus exhiberi atque repræſentari queat, nihil ſane obſtare video, cur non & ſub harmoniæ Muſicæ ſchemate poſſit concipi. Saltem nihil in eo eſſe abſurdi, affirmare audeo: idque ſi per inſtituti noſtri leges liceret, pluribus nunc comprobare poſſem.

§. XIX. Cui, inquis, bono hæc diſputantur? Quid noſtra intereſt, qualis Pythagoras fuerit, erraueritne, an vera docuerit. Aſt intereſt profecto. Primo namque veritas per ſe magni facienda eſt: nec temere committendum, vt aliis magnos viros, eosque innocentes impune laceſſere liceat. Deinde iis, quæ ad mores formandos pulchre & cordate a Pythagora dicta ſunt, robur additur, ſi & in ceteris nihil quod a ratione virique probi munere abhorreat, eum feciſſe aut docuiſ-

ſe

ſe conſtet. Tertio denique petulantiæ eorum; qui ſapientiſſimis viris pro lubitu inſultant, hoc ipſo frenum aliquod iniiciatur.

OBSERVATIO XI.

PARABOLANI AN MEDICI, AN MEDICORVM MINISTRI?

SVMMARIA.

Textus iuris ex l.17. & 18. C. de Epiſc. & Clericis, §. I. II. *Intentio noſtra.* §. III. *Autores inſpecti aut inſpiciendi* §. IV. *Vocis conſtitutio & tentatæ quorundam emendationes.* §. V. *Partitio dicendorum. Quid ſint Parabolani, ſententiæ duæ* §. VI. *Occaſio diſſentiendi.* §. VII. *Occaſio tot etymologiarum.* §. IIX. *Sententia prior: Parabolanos eſſe Medicos, & Autores pro ea.* §. IX. *An Medici boni iuxta ac mali intelligantur?* §. X. XI. *In ſequiorem ſenſum loci duo. Vnus Petrarchæ* §. XII. *Alter Panormitani.* §. XIII. *In meliorem ſenſum locus Villanouani* §. XIV. XV. XVI. *Etymologiæ variæ variorum a Parabola*, §. XVII. *quæ inter ſe comparantur* §. XIIX. *& recenſentur* §. XIX. *Ipſius vocis parabolæ homonymia, denotantis proprie ſimilitudinem*, §. XX. *ſynecdochice verbum quoduis* §. XXI. *Parola, Parole, Palabra, Paralare, Parlare*, §. XXII. XXIII. *Phraſes: ha-*

habere parabolas, verba ſeu parabolas dare, parabolis vti, §.XXIV. *Inquiſitio in rationes deriuandi, quas habuit Accurſius*, §. XXV. XXVI. *Autor vocabularii* §. XXVII. XXIIX. *Arnoldus Villanouanus.* §. XXIX. XXX. & *Turnebus* §. XXXI. *Comparatio harum quatuor ſententiarum inter ſe.* §. XXXII. *Alia Etymologia parabolanorum a παραβάλλειν,* §.XXXIII. *quam dedit Reucblinus, qui ſimul vult ſcribi parabalonos* §. XXXIV. XXXV. *Alia a βάλανος Tiraquelli, qui vult ſcribi parabalanos.* §.XXXVI. *Sententia poſterior: Parabolanos eſſe non Medicos, ſed miniſtros ægrotantium, cuius autor Alciatus,* §. XXXVII. *quem poſtea ſecuti ſunt alii,* §.XXXIIX. *ſed diuerſimode, vt alii eos miniſterium hoc ex paupertate, alii ex voto ſuſcepiſſe dicerent.* §.XXXIX. *Parabolani inter ordines Eccleſiaſticos ab Althuſio relati.* §.XL. *Etiam Gomezius hanc ſententiam de miniſtris medicorum defendit.* §.XLI. *An & Turnebus?* §.XLII. *Noua etymologia parabolani a βῶλος, gleba Alciati, quam & ſeqvuntur alii,* § XLIII. *alii vero reiiciunt, vt Turnebus* §. XLIV. & *Martinius.* §.XLV. *Alia etymologia a παράβολος, periculo ſubiectus, cui adſtipulantur plurimi.* §.XLVI. *Hac occaſione diſcutiuntur vocabula græca, παραβάλλειν, παράβολον,* §. XLVII. *παράβολος, παραβόλως,* §. XLVIII. πά-

ρα-

ϱαβολεύεϑαι, vbi locus Philipp. 2. expenditur §.XLIX. *Παϱάβολος ſenſu ſynecdochico, pro beſtiario*, §. L. *Latine parabolus, parabalanus, & parabolarius* §.LI. *Parabolani ægrotis inſeruientes, ſic nominati, ne res in vitium audaciæ referatur.* §. LII. *Duplex periculum ſuſtinebant, a morbo contagioſo, & tempore peſtis.* §. LIII. *Vnde denominatio hæc parabolanorum a quibusdam etiam ad Medicos extenſa fuit*, §.LIV. *Duplex ſententia Tiraquelli de etymologia parabalanorum* §. LV. *Locus Tiraquelli integritati reſtituitur.* §.LVI. *Senſus Tiraquelli* §.LVII. LIIX. LIX. *Plautinus locus de Menarcto Medico quodam* §.LX. *Conciliatur Tiraquellus cum aliis.* §.LXI. *Maior difficultas iudicii Critici, quam Philoſophici*, §.LXII *Concluſio & repetitio ſummaria dictorum.* §. LXIII.

§. I.

PArabolanorum vox legitur aliquoties in Codice Iuſtinianeo. Adducemus exempli cauſa ipſa legum quorundam verba. Ac primo quidem loco *l.17. C.de Epiſcopis & Clericis* ſic ſe habet. *Placet noſtræ Clementiæ, vt nihil commune Clerici cum publicis actionibus, vel ad curiam pertinentibus; (cuius corpori non ſunt annexi) habeant. Præterea his, qui PARABOLANI vocantur, neque ad quodlibet pu-*

publicum ſpectaculum, neque ad curiæ locum, neque ad iudicium accedendi licentiam permittimus, niſi forte ſinguli ob cauſas proprias & neceſſitatem iudices adierint, aliquem pulſantes lite, vel ab alio ipſi pulſati, vel in communes totius corporis cauſas Syndico ordinato ſub ea definitione, vt ſi quis eorum hæc violauerit, & breuibus PARABOLANIS eximatur, & competenti ſupplicio ſubiugetur, nec vnquam ad eandem ſollicitudinem reuertatur.

§. II. Sequentis ſtatim *legis 18. C. eod. tit.* verba ſunt iſta. *PARABOLANOS, qui ad curanda debilium ægra corpora deputantur, ſexcentos conſtitui præcipimus, ita vt per arbitrium viri Reuerendisſimi; antiſtitis Alexandriæ & vrbis, de his qui antea fuerant & qui pro conſuetudine curandi gerunt experientiam, ſexcenti* PARABOLANI *ad huiusmodi ſollicitudinem eligantur, exceptis videlicet honoratis & curialibus. Si quis autem ex his naturali ſorte fuerit abſumtus, alter in eius locum, pro voluntate eiusdem ſacerdotis (exceptis honoratis curialibus) ſubrogetur, ita, vt hi ſexcenti viri reuerendisſimi ſacerdotis præceptis ac diſpoſitionibus obſecundent, & ſub eius cura conſiſtant, reliquis, quæ dudum latæ legis forma complectitur, ſuper his* PARABOLANIS, *vel de ſpectaculis, vel de iudiciis, cæterisque, ſicut iam ſtatutum eſt, cuſtodiendi.*

§. III. Leges ipſas interpretari iam non

vo

vacat. Ipſam tantum parabolani vocem exponere non erit alienum a re literaria. Cum autem huic alii alium ſenſum tribuant, de origine vero ipſius vocabuli maxima ſit opinionum varietas, iuuabit controuerſiæ huius velut hiſtoriam contexere, & alia inſpergere, a ſtudio rei literariæ non aliena.

§. IV. Vſi autem ad hanc rem ſumus autoribus non paucis, quorum ſequuntur nomina. Inſpeximus autem ex Lexicographis, (qui quidem alias non omnes hanc vocem exponunt, vtpote latinitatis non vetuſtisſimæ) Calepinum *f. 1021. Ed. Baſil. An, 1605*. Buchnerum *f. 1069*. Carolum Stephanum *p. 1525. dictionarii hiſtorici*, (qui quidem nouo exemplo, appellatiuum hoc propriis immiſcet nominibus) Ioh. Meurſium *p. 510. gloſſarii Græcobarbari*, (vocem enim hanc origine Græcam Græcis exarat literis, παραβολάνοι) Matthiam Martinium *f. 2487. Lex. Etym. Edit. Bremenſ. 1623.* Voſſium *f. 369. Etymologici*, quod poſt obitum eius prodiit, (quem & conſule *lib. IV. Inſtit. Orat. cap. 11. ſect. 6. p. 216.*) e Lexicis vtrivsque iuris, *Lexicon* Antonii Nebriſſenſis, Petri Gromorſi & Alexandri Scoti, (coniuncta enim hæc ſunt) *p. 612. Lexicon* Pardulphi Prateii *f. 378. Commentarium de verbis iuris* Hottomanni *f. 254*. Ex aliis ſcriptoribus Andr. Alciatum *lib. 4. diſpunct. cap. 9. Tom. IV. oper.*

oper. f. 235. Cælium Rhodiginum *l. 29. antiq. lect. c. II. f. 1626. edit. Geneu. 1620.* Adrianum Turnebum *lib. 13. aduerſ. c. 23. f. 404.* Tiraquellum, *c. 31. de nobilitate n. 415. ſeq. f. 157.* e quo videtur excerpſiſſe Matthæus Tympius *parte altera Menſæ Theolophiloſophicæ c. 53. p. 152.* Brodæum *lib. 10. Miſcell. cap. 21.* apud Gruterum *Tom. IV. Lampad. pag. 70. b.* Balthaſarem Gomezium *lib. 2. de poteſt. in ſe ipſum c. 17. n. 1. & 26. f. 157. & 160.* Ioſephum Laurentium *lib. II. Polymath. diſſert. 21. f. 127. 128.* Alſtedium *Paratitl. Theol. p. 319,* ſcripſit hac eadem de re & Lælius Biſciol. *Vol. I. hor ſubſcis. lib. 13. c. 10. f. 978.* ſed ille nunc non eſt ad manus, nec ſatis recordor, an ſingulare quidpiam ab hactenus citatis, quorum & multi eadem afferunt alicubi, non allatum, ipſe attulerit.

§. V. Initio monemus, tametſi pro Parabolanis in Theodoſiano Codice, quod Meurſius obſeruauit, legantur *Parabalani* vel *Parabaiani*, pleroſque tamen omnes in Parabolanorum vocabulum conſentire, niſi quod Tiraquellus *parabalonos* legere mauult, qui idem & docebit, Reuchlino placuiſſe, vt Græce παραβαλῶνες legantur potius. Voſſius quoque in Etymologico autor eſt, a Iulio Firmico, *parabolarios* vocari. Sed hæc ſuis locis copioſius explicabuntur poſtea.

§. VI. Iam ſumma eorum quæ dicenda ſunt

ſunt nobis,hæc eſt. In controuerſiam duo maxime veniunt, vnum, quid ſint parabolani, alterum, vnde nomen iſtud acceperint. De priore duæ ſunt ſententiæ capitales. Alii enim parabolanos fuiſſe volunt Medicos, horumque ſaltem certum aliquod genus; alii plebeios homines ægrotantium famulitio addictos,quæ quidem poſterior ſententia peritiorum eſſe videtur.

§. VII. Disſidendi occaſionem præbuiſſe putes ambiguam phraſin,quæ habetur in *d. l. 18.* vbi parabolani dicuntur ad *curanda debilium ægra corpora deputari. Curare* enim ægrum corpus & medicus dicitur, cum pharmaca præſcribit, & ille,qui asſidet ægrotanti, & miniſtrat.

§. IIX. Porro, vt quisque alteram ex his duabus ſententiam amplectitur, aut de ea ſollicitus eſt, & de ipſius vocabuli originatione, quæ ſuo ſenſui apta foret, cogitauit. Atque hic maiora ſunt opinionum diuortia. Proferuntur enim pro quolibet ſenſu etymologiæ vna plures. Eſt & aliqua etymologia, quæ plures vna expoſitiones habet. In vno conſenſus eſt, eſſe vocem originis Græcæ & compoſitam quidem ex præpoſitione παρά.

§. IX. Vetuſtior eſt illa ſententia, parabolanos dictitans eſſe Medicos. Ac ſolet, ſi vltimum Autorem requiras, tribui Accurſio, quem

quem anno ſalutis 1220. docuiſſe conſtat ex Pancirollo *lib. 2. de clar. leg. interpr. c. 29. p. 147.* Sic enim de eo Alciatus: *Accurſius, qui nihil ſe prateriiſſe videri voluit, tanquam rem maxime haberet in promtu, ſtatim pronunciauit, parabolanos eſſe Medicos.* Vide & Tiraquellum, atque Voſſium. Secuti Accurſium & alii ſunt poſtea, vt Albericus de Roſate Tiraquello citatus. E veteri vocabulario Martinius hoc profert: *Parabolani ſunt Medici, qui ad curanda ægra membra vel corpora debilium deputantur.*

§. X. Itaque & in gloſſas iuris hæc irrepſit interpretatio, vbi inuenies ad leges initio recenſitas, *Parabolani,* id eſt *Medici.* Item: *Nota, quod collegium Medicorum debet ordinari per Epiſcopum loci.* Et in his quidem parabolanos exponi putes Medicorum omne genus.

§. XI. Rurſus alibi putes, vocem parabolanorum tantum illis accommodatam ab interpretibus, qui ſunt empirici meri, paſſimque vagabundi per circulos & compita clamando ſuam artem exercent. Etenim *lib. 6. ff. de excuſ. tut.* quæ eſt Modeſtini, mentio fit Medicorum, qui περιοδευταὶ, i. e. circulatores (alii circitores legunt, item circuitores, circumforaneos e Græco reddit Anton. Auguſtinus) vocantur. Hic ergo Gloſſator ait, eos vocari parabolanos. Qua de re & Rhodiginum vide, ac Laurentium.

§. XII.

§. XII. Atque ex hac ratione parabolani vocabulum valuit in contemtum. Et ſic vſurparunt Franciſcus Petrarcha, & ſcriptor facetiarum Alphonſi. Petrarchæ verba *lib. 3. Inuectiuarum contra Medicum quendam p. m. 335. 336.* hæc ſunt. *Nec a caſu Virgilius Medicinam mutam vocat. lib. 12. Aen. v. 397. Sed quoniam muta debet eſſe, non loquax. Vos autem*, (alloquitur triobolares & nihili medicos) *eo rem deduxiſtis inpudentia veſtra, vt de mutis parabolani dici merueritis. Hoc nomen iure ciuili vobis impoſitum nunquam cadet. Solebant Medici veteres taciti curare: vos perorantes, & altercantes & conclamantes occiditis. Hæc Medicina, hæc Rhetorica Veſtra eſt, & cum nulla pars magis Rhetoricis floribus nuda ſit, nulla minus illis indigeat, tamen Rhetorici & Oratores, & Poetæ & Philoſophi, & Apoſtoli ac ſuſcitatores corporis dici vultis, & penitus nihil eſtis, niſi verba inania, nugæque volatiles.*

§. XIII. Scriptor facetiarum Alfonſi Arragonum Regis, (quem Antonium fuiſſe Panormitanum e prologo patet Æneæ Syluii, qui recenſuit,) hæc de iſto Rege narrat, *facetia 23. Ægrotabat Rex Capuæ, & multi multa, pro ſuo quisque ingenio ac ſtudio oblectamenta ac munera ægro Regi cum excogitarent, ego quoque ex Caieta accerſitus ſtatim aduolaui, deferens & ipſe mecum libellos, quos intelligebam ipſi*

quam

quam maxime placituros: in quibus Q. Curtium exhibui. Ille res geſtas Alexandri ea hilaritate, ea auiditate, ea denique felicitate cœpit audire, vt, quod medici obſtupeſcerent, eodem ipſo die, quo legere cœperamus, ægra omni valetudine leuatus, ac pene confirmatus euaſerit. Ex quo eo die frequenter in Medicos Rex iocatus, Auicennam velut parabolanum *parui facere, Curtium laudibus accumulare cœpit.* Ad eum locum Spigelius parabolanos interpretatur fallaces, ſeu verba dantes. Tympius hæc ſuis verbis referens, Auicennæ parabolano Curtium veriorem Medicum opponit. Huic ergo Parabolanus eſſet Medicus falſus, aut minus verus.

§. XIV. Viciſſim Parabolani nomen meliore ſenſu accepiſſe dixeris, deque Medicis etiam optimis exauditum cupiuiſſe Arnoldum Villanouanum, quem anno Chriſti 1300. natum ſcribit in eius vita Symphorianus Campegius. Scripſit ille inter alios libros *Parabolas Medicationis*, hic enim operis titulus eſt, ſeptem doctrinis diſtinctos, quarum *in vltima cap. vlt. quod tertium eſt*, hos ponit aphoriſmos, etiam Tiraquello deſcriptos. *1. Parabolæ Salomonis oſtendunt, quod, quæ ſapientes in conſiderationibus naturalibus protulerunt, convenienti metaphora moralibus adaptantur. 2. Doctor*

ctor gratioſus & efficax parabolis vtitur ad occulta per ſenſibilia declaranda. 3. Æterni Doctoris Euangelica lectio teſtatur, eundem fuiſſe Parabolanum. 4. Sapiens igitur ad exemplum ipſius præmiſſa reducet in parabolas opportunas.

§. XV. Citans hæc ex Arnoldo Tiraquellus *n. 418.* ait eum *huiusmodi appellationis ignominiam diluere voluiſſe, & in bonam partem transferre.* Tympius aphoriſmos Arnoldi ſuis verbis in pauciſſima contrahens docere ait ipſum, *medico more, Chriſti & Salomonis vtendum eſſe parabolis, vt quæ occulta ſunt, per ea, quæ ſub ſenſum cadunt, exponant.* Etiam nobis ita videtur, iſtum libellum ſcribenti Arnoldo in animo fuiſſe parabolani appellationem, quam ipſe ſic generaliter, vti reor, interpretatus eſt, vt notaret quemlibet in ſua arte bonum ac perſpicuum Doctorem, gratioſum ipſe & efficacem vocat, ita videlicet a parabolis dictum, tanquam aptis doctrinæ mediis. Parabolæ autem vocem huic ſcriptori ſenſu valde lato notare putes, etiam prouerbia ſeu ſententias, quales ſunt Salomonis, tum ſimilitudines atque allegorias, quales Chriſti ſervatoris, tum regulas, quales hoc toto opere proponit ipſe, ſicut ex titulo ipſius diſcimus: quas ita inſcripſit *parabolas medicationis*, eas medicos nominauiſſe *Regulas generales* cura-

tionis morborum, quomodo & Tiraquellus vocat *n. 415.*

§. XVI. Fortaſſe autem idem Arnoldus doctrinæ primæ aphoriſmo vltimo, dum Medicum vetat *loquacem eſſe*, (coram ægroto, puto fortaſſe,) *quia morbi non vocibus, ſed rerum eſſentiis aut viribus expelluntur*, tacite reſpexit ad parabolani medici ſiniſtro ſenſu acceptionem, qua Medicos ineptos a loquacitate parabolanos dictos eſſe Accurſius exiſtimauerat.

§. XVII. Quomodo vero Accurſius, vt ad hunc redeamus, ſignificationem loquacitatis inuenire potuit in vocabulo Parabolani? Expediendum hoc eſt ex Etymologia, ad quam hac occaſione progrediemur. Parabolanos Alciato, Tiraquello, Laurentio, Voſſio teſtibus, nomen ab eo ſumſiſſe dixit, *quod multas habent parabolas, quod videlicet , vt quisque loquacior eſt, ita doctior Medicus vulgi ſententia & opinione exiſtat.* A Parabolis etiam deriuat vetus vocabularium Martinio citatum, his verbis: *Dicti parabolani a parabola, quia plura promittant hominibus, quam faciant, & quia ſæpius vtuntur parabolis.* Caue tamen putes, eandem eſſe huius etymologiæ expoſitionem cum ea, quam dabat Accurſius. Eſt enim huius vnius etymologiæ, qua ſcilicet parabolani a parabolis deducuntur, oppido varia ex pla-

planatio. Nam & autor ipſe Vocabularii duas videtur afferre ab ſe diſtinctas, & habet quoque ſuam ſibi Arnaldus Villanouanus, cuius verba modo dedimus. Sic & ſuam Turnebus, dum ait: *Aliquando exiſtimaui a parabola Euangelica nomen habere, in qua quidam a Latronibus vulneratus, a Leuita neglectus, a viatore Samaritano fouetur, & curatur: præſertim cum Honorii & Theodoſii conſtitutione ſexcenti parabolani curandis debilium corporibus doputentur, quaſi æmuli illius Samaritani: neque dum me iſtius coniecturæ & opinionis pœnitet.*

§. XIIX. Conueniunt hi omnes in eo, quod parabolanum formant a parabola, quod item hoc nomine medicum intelligunt, niſi quod Turnebus excipiendus eſt nobis, quem potius cum Alciato famulos intellexiſſe Xenodochiorum oſtendemus infra. Viciſſim in eo diſcrepant, quod alius expoſitionem quærit Medicis ignominioſam, vt Accurſius & Autor vocabularii in expoſitione priore; alius honorificam, vt Villanouanus & Turnebus. Ambigua autem expoſitio illa videtur eſſe altera vocabularii.

§. XIX. Sunt autem hæ in vniuerſum expoſitiones quinque: Accurſii prima: Medici parabolani dicuntur a parabolis, *quia multas habent parabolas, i. e. ſunt loquaces.* Autoris vocabularii prior, ſecunda, *quia plura* pro-

mittunt, quam faciunt; Villanouani tertia, *quia parabolis vtuntur ad occulta per ſenſibilia declaranda, remque deducunt ad parabolas opportunas:* Turnebi quarta, *quia ſimiles ſe præbent Samaritano illi in parabola Euangelica*; Autoris vocabularii poſterior, quinta, *quia ſæpius vtuntur parabolis.*

§. XX. Miretur aliquis, ex vna etymologia tot ſenſus erui potuiſſe. Deſinet mirari, vbi animaduertet varias ambiguitates in vocabulo parabola, & phraſibus, loquendique modis inde deductis. Parabola græcum eſt absque controuerſia, παραβολὴ, ἁ παραβάλλω: quod cum inter alia ſignificet *comparare* ſeu *conferre*, factum inde, vt parabola ſimilitudinem notet, h. e. ſermonem eiusmodi, quo res vna comparatur alteri, ſiue vere exiſtenti, ſiue fabuloſæ aut fictæ; e. g: Sedulus api aut formicæ, auarus cani vmbram captanti. Inter ſchemata διανόιας ponunt Rhetores agitque de parabola Voſſius *lib. 4. partit. Orat. cap. 17. p. 372.* Hinc & ſimilitudines atque allegoriæ Chriſti vocantur parabolæ. Qualis etiam illa eſt de Samaritano. Atque hæc vocabuli acceptio eſt omnium vulgatisſima.

§. XXI. Hanc excipit altera, qua parabola per ſynecdochem ſpeciei pro genere ſignificat, verbum aut ſermonem quemuis. Atque

hanc debemus Italis, Gallis, & Hiſpanis, niſi malis dicere hos, cum per ea tempora nouæ & veteribus inſuetæ latinitatis, ſynecdochica hæc loquendi ratio inualuiſſet, eam ſuis linguis admiſcuiſſe. Hoc certum, quod alias latine loquentibus *verbum eſt*, id Italis eſſe Parola, Gallis *Parole*, Hiſpanis *Palabra*, quæ omnia ſunt corrupta ex illo *Parabola*.

§. XXII. Quanquam autem Franciſcus Alumnus in Lexico Italico putat *parole* dici, quaſi *parore*, opinor, quia parentur ore; tamen huic originationi non plus tribuendum dixerim, quam illi, quæ *parabolam* ſic dici putat, quia facilem ori *parat bolam*, quo facilius capiatur, vel quaſi *parares vela*, quia rem velat ac tegit, quam merito reiicimus cum Voſſio in Etymol. Nec illorum placet ratio, qui *parole* ac *parlare* deducunt ex παραλαλεῖν, quanquam hoc non contemnere videtur Voſſius *lib. 4. de vit. Serm. c. 16.*

§. XXIII. Dubitare nos quin ex parabola ſit parola, vix ſinit verbum *parabolare*, quod latinis æui barbari ſcriptoribus idem eſt, quod loqui, ſiue vt Itali dicunt, *parlare*, & Galli *parler*. Id verbi reperies, citante Voſſio *d. l.* in Capitulis Caroli Calui & ſucceſſorum. Vbi inter alia hoc legitur: *Quicquid cogitauit, parabolauit, & fecit*. Accedit Hiſpanica vox *palabra*, quam ex *parabola* per metatheſin &

ſyncopen haud inſuetam prodiiſſe vel ſonus arguat aurium. Quis autem non videt, etiam per ſyncopem ſed duarum literarum, factum ex parabola vocabulum, quo Itali vtuntur, *parola*, qui & per nouam ſyncopen parlare dixerunt pro *parolare* vel *parabolare*. Nec refert, quod hi penultimam in *parola* producant, quæ breuis eſt in *parabola*. Nam, vt vim ſyncopes, quam forte quis contractionem eſſe dixerit, non vrgeam, non inſolitum hoc eſt Italis. Ita ex *filiolo*, faciunt *figliuolo*.

§. XXIV. Veniamus a vocabulo ad phraſes & loquendi modos. *Habere parabolas multas*, phraſin ex Accurſio proferunt (*ſupra* §. 17.) quamque & in gloſſis tum Digeſtorum, tum Codicis reperio, nihil aliud eſt, quam multa verba facere, quaſique habere ſermones copioſos. Ideo de loquacitate interpretantur. Quod autem autor vocabularii (*eod.* §.) dicebat *plura promitti, quam fieri*, exponendum videtur e phraſi Latinorum, quibus *verba dare*, (ſemilatini iſti dicerent, *parabolas dare*) idem eſt ac fallere ſeu decipere. Quomodo paſſim loquuntur Comici, Plautus & Terentius. Atque hinc Spigelius, (quod *ſupra n. 13.* notabamus) parabolanos interpretatur, fallaces ſeu verba dantes. Quod autem idem vocabularii autor addit, Medicos parabolanos dici, *quia ſæpius vtantur parabolis*, ob-

obſcurum eſt atque ambiguum. Neſcias enim, an *ſæpius vti parabolis* idem ſit illi, atque *habere parabolas multas*, vt Accurſius loquebatur: quod ex ipſius mente vitium loquacis eſt hominis, ac nimium verboſi; an vero *parabolis vti* ſit in loquendo vti ſimilitudinibus, quod tametſi per ſe nec probrum habeat, nec laudem, (poteſt enim hoc in genere & ſeruari mediocritas & deſeri,) magis tamen, ſi nihil addas ad laudem valere videtur, quam ad dedecus. Arnoldus certe Villanouanus, (cuius verba retulimus §. *14.*) & nomine *parabolani*, & phraſi, *parabolis vti*, vſus eſt in ſenſum optimum. Vocat enim Chriſtnm parabolanum. Intellexit autem Doctorem, qui parabolis vtatur h. e. ſimilitudinibus iisque aptis & opportunis vel ſententiis etiam, aut regulis de hoc genere. Repete quæ diximus §. *15.*

§. XXV. Vt hæc omnia rectius intelligantur, iterum ab Accurſio ordiemur. Fuit ille Italus natione, patria Florentinus. Itaque ignorare non potuit, quem Etruſci parabolanum vocarent. Vocant autem, vt Ioſephus Laurentius & ipſe Italus teſtatur, virum linguacem & nugacem. Ergo cum parabolanos Accurſius reperiſſet in Codice Iuſtinianeo, eſſetque Medicos interpretatus, vix aliter nominis huius rationem edere potuit.

quam e genio ſuæ vernaculæ (niſi dicamus, ab Accurſii expoſitione hac demum parabolani vocem in linguam Italorum migraſſe) qui præſertim græcam ignoraret, nec latinam calleret, vltra morem barbari ſeculi, cui parabolare idem eſt ac loqui, vt ſupra dictum. Itaque putauit hoc vocabulum Medicis ex eo impoſitum, quia ipſis apud vulgus opinio doctrinæ quærenda eſſet ex verborum profuſione. Cumque, vt e Tiraquello diſcimus, hanc eandem expoſitionem ad vtramque legem afferat, tam ad illam duplicem Codicis, quã exaudiuiſſe videtur de Medicis gratioſis, quam ad alteram Digeſtorum, quæ ſatis aperte loquitur de circumforaneis Empiricis, ideo loquacitatis illud probrum referendum eſſe dixeris tum ad priuatum illum facundiæ exceſſum, quem ad ægrotorum lectulos exercent vrbani quidam ac ciuiles Medici, quam ad ſtentoream vocem, qua ſe circulatores publico cœtui ſub dio commendare cupiunt (niſi circuitorum vocem oppidanis quoque Medicis veteres illi dederunt interpretes, tanquam qui in ciuitate circumire ſolent, dum curant ægrotos, quod confirmari inſuper videtur poſſe ex eo, quod probabilis eſt, eos tam in legibus Pandectarum, quam Codicis, eosdem Medicos intelligere voluiſſe.)

§. XXVI, Etiam Tiraquellus, vbi locum hunc

hunc Accurſii tangit, de priore tantum illam, quam priuatam eſſe, & vrbanorum Medicorum dicebamus, garrulitate verba facit, quaſique in locum communem excurrit, & inter alia græcum huc accommodat ſenarium, e ſecundo Epigrammatum Græcorum libro;

ἰατρὸς ἀδόλεσχος νοσοῦντι πάλιν νόσος

Medicus garrulus ægrotanti iterum morbus.

§. XXVII. Cæterum quæ ſcripſit Accurſius, ea non odio Medicorum videtur ſcripſiſſe, ſed quod Parabolani vocabulum Italis non alio, quam garrulitatis ſenſu notum, huc eum pertraheret. Neque vero illa verborum prodigalitas, niſi quid aliud accedat, creare Medico maius aliquod malum debet, quam vt tædio eum exponat aurium. Sed poſtea ſuperuenere, qui Medicis, ipſorum ordini parum fauentes, aut etiam inimici, ex hac appellatione infamiam ſtruerent, phraſique qua verba dare dicuntur homines fraudulenti ac fallaces, qui magnificis promiſſis ſed inanibus alios decipiunt, abuterentur ad expediendum Parabolani etymon. Atque horum ſententiam Autor Vocabularii expresſit originatione priore. De poſteriore eiusdem, quoniam ambigua eſt, plura hic addere ſuperſedeo.

§. XXIIX. Interim ſiue Accurſium hac in re ſequaris, ſiue anonymum Autorem voca-

bularii, parum honorifica Medicis vtraque, eſt Parabolani expoſitio. Nam & fraus grauem culpam habet, & moleſta certe eſt loquacitas, id quod & græcus ille verſiculus profitetur.

§. XXIX. Doluit ea res Arnoldo Villanouano, Medico non incelebri, cumque & ipſe errore ſeculi perſuaſus crederet, Parabolanorum vocabulo medicos intelligi, cogitauit de abolenda nominis huius turpitudine. Ac neſcio, annon hæc ipſum cauſa mouerit, vt & regulis ſuis Medicinalibꝰ parabolarum inderet titulum, & de parabolis ea diſſereret, quæ ex eo deſcripſimus, omnia ſic adornata, vt in gratia potius & amore parabolanos ponant, quam relinquant in odio & contemtu. Igitur cum loquacem eſſe medicum ſuum vetaret, parabolani vocabulo abſtinuit, quaſi ſignificaturus hoc ſilentio, non eam eſſe in voce parabolani, cum latinis vſurpatur, notionem, vt garrulitatem deſignet. Neque vero ipſe vocabulo parabolæ alio ſenſu vtitur, quam honeſto, de regulis, ſententiis, ſimilitudinibus: Parabolani vero nomen in tanta habet veneratione, vt ipſi Chriſto, propter parabolas videlicet, quibus cœleſtem doctrinam inuoluit, accommodaret.

§. XXX. Nempe cum videret, parabolas in ſacris literis optimo ſenſu vſurpari, non tan-

tantum in Codice Novi Teſtamenti paſsim de ſimilitudinibus a Chriſto allatis, ſed & in veteri de ſententiis ſapientisſimi Salomonis, (vulgatus enim interpres *cap. 1. prouerb. v. 1. Parabolas* vertit, quæ ſunt in Græco textu παροιμίαι) cauſam ſibi viſus eſt reperiſſe, cur a Parabola in appellatione ſiniſtrum illum ſenſum abſtergeret, eamque honeſtisſimæ notioni vindicaret. Non multum his abſimile eſt, quod habet Ioſephus Laurentius, cum ait: *Parabolare olim, vt notat Sirmondus ad Capitula Caroli Calui, erat ratiocinari, vnde Parabolani, qui bene & multum ratiocinabantur; ita Medici debebant eſſe.* Sed vocem tamen parabolandi Vosſius in illis Caroli capitulis, & rectius opinor, de ſermone externo exponit, non de ratiocinio interno, vt ſit idem, quod parlare Italorum. Neque tamen, ſi quis maxime Parabolanum exponat ex genio Italicæ linguæ, quæ Parabolæ vocem in parolam contrahens verbum quoduis notare iusſit, ei deerit ratio interpretationis admodum honeſtæ. Seruare enim parolam, (quam phraſin & noſtram fecimus, ſeine Parol halten) illi dicuntur, qui quæ promittunt, eadem ſervant. Quo & illud noſtrum pertinet: Ein Wort ein Wort / ein Mann ein Mann. Eſt ergo ſecundum hæc Medicus parabolanus, qui, quod verbo promittit, opere præſtat,

pror-

prorſus illi contrarius, quem Autor Vocabularii, quia verba det, plura promittentem facit, quam præſtantem.

§. XXXI. Aliam grati ſenſus expediendi rationem Turnebus iniit. Retinuit in parabola ſignificationem ſimilitudinis] aut allegoriæ. Sed ab actu ſignato, vt cum Metaphyſicis loquamur, rem deduxit ad actum exercitum, vt parabolanus eſſet, qui ſimilem ſe præſtaret illi in Euangelica parabola Samaritano.

§. XXXII. Quæ hactenus ita prodierunt expoſitiones manifeſtæ (quintam enim illam & obſcuram Autoris Vocabularii hic iterum omittemus) ita inter ſe comparari poterunt. Duæ Medicis ſunt ignominioſæ, prima Accurſii, quæ vitium garrulitatis, altera dicti Autoris Anonymi, quæ fraudulentiam accuſat. Viciſſim duæ honorificæ, tertia Villanouani, quæ a virtute docendi, & quarta Turnebi quæ ab officioſitate Samaritani ſiue Medicum ſiueMiniſtrum ægrotorum laudat. Cumque omnes deriuentur a vocabulo parabolæ, prima & ſecunda parabolam pro verbo vel ſuperfluo vel fallaci accipit, tertia & quarta pro ſimilitudine aut doctrina, ſiue generali, ſiue illa, quæ Samaritanum inducit, ſpeciali.

§. XXXIII. Superſunt aliæ duæ expoſitiones

nes, quæ ipſa quidem Parabolanum Medicum eſſe ſinunt, ſed aliunde potius, quam a voce *Parabolæ* originem arceſſunt, ac præterea mendam ſibi aliquam in voce videntur reperiſſe. Harum altera Reuchlini eſt, altera Tiraquelli.

§. XXXIV. Reuchlini verba ex eius epiſtola, quam præmiſit libro Hippocratis de præparatione hominis á ſe traducto, fide Tiraquelli, cum epiſtola ipſa careamus, proferenda ſunt nobis. Eum autem hæc propemodum ſcribere Tiraquellus ait, inter alia: *Poſſent tamen, fateor, inueniri ex eiusmodi Iudæis baptizatis malæ beſtiæ, qui ſe ipſos, reiecta omni verecundia partim veſtrates in* parabolanorum *id eſt manus applicantium conſortio ingerere non ceſſent*. Et paulo poſt: *Quos certe nemo ſapiens & non illorum ſimilis recte medicos appellauerit ſed græce* παραβαλῶνας *potius, & Latine mutata declinatione, vt alioqui creberrime in aliis fieri ſolet*, parabalonos *antepenultima per a, & penultima finalique per* o. Non quidem ſatis emendate videntur hæc eſſe deſcripta; ſenſus tamen, opinor, hic eſt, illos homines, qui Medicorum nomine indigni Medicos tamen ſe gerant, (quales Iudæi ſunt quidam, de quibus Reuchlino eſt ſermo) παραβαλῶνας eſſe Græcis, ita dictos ab applicatione manuum videlicet ἀπὸ τȣ͂ παραβάλλειν, quod eſt appli-

plicare, admouere ſubaudi τὰς χεῖρας, manus. Ac latine quidem eos declinatione tertia Parabalones ſcribi oportere, vſum tamen hic, vt in aliis, tuliſſe, vt *Parabaloni* ſcriberentur declinatione ſecunda; atque ſic nimirum eſſe legendum in Codice quoque Iuſtinianeo, non *Parabolani.*

§. XXXV. Videtur autem Reuchlinus ſignificare vulgus illud Medicorum plebeiorum, qui non conſulant modo, quod Gratioſi Medici faciunt, ſed applicandis manibus, vt in admouendo corpori clyſtere & ſimilibus, officium præſtant chirurgorum aut aliorum, qui ægrotis aſſidentes opera ſeruili funguntur. Vt adeo hæc ſententia quam proxime ad illorum accedat opinionem, qui Parabolanos non eſſe Medicos volunt, ſed Miniſtros, vel quaſi media ſit inter has extremas. Ceterum de vocabulo: παραβαλὼν, ῶνος, ſilent Lexicographi. Credo autem, eam vocem placuiſſe Reuchlino vel ex eo, quod præ ſe ferret, vt originem, ſic & terminationem Græcam, (de cuius tamen vocabuli analogia viderit ipſe Reuchlinus) atque adeo puritatem maiorem, quam nomen parabolani, quod monſtrum aliquis eſſe dixerit ex capite Græco & cauda, ſeu terminatione Latina. Atque hoc, quod ſuſpicor, virum doctiſſimum impulit, vt Parabolani vocem

cem, vt mendoſam damnaret. Non dubium interim, quin ἀπὸ τῦ παραβάλλειν, quicquid hoc vocabuli eſt, formare voluerit. Quo in verbo, cum & decipiendi ſit ſignificatio, vnde παραβάλλεσθαι Suidas exponit per τὸ ἐξαπατῆσαι, & παραβλήδην eſt deceptiue, ſimulate, doloſe, & παραβαλέταιρος, qui ſodali, amicoque imponit: poterant illi, qui Medicis a parabolani vocabulo creare volebant inuidiam, quam ſententiam a ſcriptore Vocabularii expreſſam fuiſſe ſupra dictum eſt, ſic invenire nouum huic affectui colorem.

§. XXXVI. Cum Reuchlino Tiraquellus in eo ſentit, quod mutanda ſit *parabolanorum* ſcriptio: Ipſe vero & diuerſam ſcriptionem profert a Reuchliniana, mauult enim ſcribi *parabalanos* & aliam inſuper tradit originem, a βάλανος ſcilicet. Vnde ſimul ſequitur, quod breui penultima, quam alias producere ſolemus, ſit ea vox pronuncianda, quanquam hoc ipſe quidem Tiraquellus non admonet. Verba eius, cum Alciati quoque ſententiam præmiſiſſet, hæc ſunt: *Ego vero malo legere Parabalanos ab eadem præpoſitione* παρὰ *&* βάλανος, *qua voce glans ſignificatur, eaque ob quandam ſimilitudinem vtuntur Græci potiſſimum Medici, pro eo Medicamenti genere, quod vulgo ſuppoſitorium vocamus, Medicis in ſua arte frequentisſimum; hincque id nomen illis inditum.*

Pu-

Putes autem & hanc expoſitionem, ſi exitum ſenſus ſpectes, non recedere a Reuchliniana, nam & ſuppoſitoria decumbentibus admouere miniſtrorum eſt potius, quam celebrium Medicorum.

§. XXXVII. Hactenus eorum ſententiam vidimus qui Parabolanos putant Medicos vocari vel a parabola vario ſenſu expoſita, vel ἀπὸ τῦ παραβάλλειν, vel a balano nomen hoc deducentes. Verum hos deſcribit melior pars interpretum, iubetque non Medicos intelligi, ſed publice deputatos ægrotantium miniſtros. Et primus quidem, quod ſciam, hanc viam ingreſſus eſt Alciatus, qui, vbi Accurſii expoſitionem plane ridiculam vocauiſſet: *quare aliter*, inquit, *cenſuerim, fuiſſe nimirum plebeios quosdam parabolanos, qui famulitio vel Eccleſiarum, vel hoſpitalium, Xenonum ve deputati erant.*

§. XXXIIX. Ab eo tempore approbauit hæc ſe explicatio eruditis. Qui tametſi loquendi formulis non vbique iisdem vtantur, in rei tamen ſumma conſpirant. Brodæo ſunt *plebeii pauperrimique homines, perpetuo Noſocomiis & Xenodochiis operam ſuam impendentes.* Cuius opinionem ſibi maxime lubeſcere teſtatus Voſſius *in Inſt. Oratoriis homines plebeios* vocat *ac paupertinæ ſortis, qui Noſocomiis & Xenodochiis operam ſuam locarent.* Eadem prope

pe verba reperies in Etymologico eius. *Plebeii & viles homines, famulitio vel Eccleſiarum, vel hoſpitalium deputati* nominantur in Lexico iuris Antonii Nebriſſenſis : Calepino, *tenuis conditionis homines famulitio Xenodochiorum vel Eccleſiarum, ita deputati, vt integrum ipſis non ſit, inde recedere.* Cœlius Rhodiginus *mendicabula* vocat, *ægrotis aſſidentia ſeruitii cauſa.* Sed a mendicabulorum nomine abſtinendum hic fortaſſe fuerit. Honeſtiora leges in commentariis Dionyſii Gothofredi *ad l. Parabolanos. C. de Epiſc. & Clericis*, quæ huc adſcribere non pigebit. *Parabolanos Medicos arbitrio Antiſtitis Alexandrini electos hic locus apertiſſimo indicio eſt. Vnde parabolanos non ſimpliciter Medicos, aut medicinam exercentes fuiſſe ſuſpicio eſt, ſed eos potius, qui certo genere voti, & quaſi religioſo curandis ægrotis pauperibus deſtinati publice, quales Auguſta Lutetia, vnde mihi origo, paucis abhinc annis inſtituto ſancto, (neque dubito, quin aliquando largius) ac certo numero conſtituit. Alias Medici eligendi ius ciuitatum ipſarum fuit l. 1. ff. de decretis ab ordine faciendis.*

§. XXXIX. In eo igitur his ſcriptoribus conſenſus eſt, quod parabolani non proprie ſint Medici, ſed qui ægrotantibus miniſterium quoddam ſuum a propria medici opera diſtinctum accommodarent. Officium eorum Buchnerus ita περιφράζει, *qui ægrotos*

pauperiores curarent, eosque, ſi morerentur efferrent. In hoc autem diſſidii nonnihil eſſe dixeris, quod alii parabolanos, vt hoc ſeruitium ægrotis addicerent, paupertate maxime impulſos cenſuiſſe videntur; cum Gothofredus votum religioſum hic potius valuiſſe velit. Qui paupertatem hic illorum deſcriptioni miſcent, hos inductos putauerim Alciati etymologia, de qua poſtea locus erit dicendi, parabolanos interpretantis adſcriptitios glebæ. Gothofredum vero, vt votum religionis huc afferret, mouiſſe videtur titulus Codicis, qui eſt de Epiſcopis & Clericis.

§. XL. An ergo hinc explicabimus etiam Iohannis Althuſii verba, parabolanos Eccleſiaſticis ordinibus accenſentis. Sic enim ipſe *cap. 7. Polit. n. 53. p. 125. In papatu hodie ordines Eccleſiaſtici ſecundum munera impoſita numerantur. Papa ſeu Pontifex Romanus, Patriarcha, Cardinales, Archi Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Sub diaconi, Acoluthi, Exorciſtæ, Lectores, Pſalmiſtæ, Decani, Parabolani.* An pro *Parabolanis* ſubſtituemus *Plebanos*, ob literarum ſcilicet affinitatem? Nam alias ne Plebanos quidem hactenus inueni ordinibus Eccleſiaſticis annumeratos, ſicuti nec Decanos Althuſii. Vtrique tamen hunc titulum potius, quam Parabolani videntur promereri. An *oſtiarios* ſubſtituemus, Iſidoro, quem citat Althuſius

lib

lib.9. Orig. f. 174. aliiſque paſſim habitos pro Clericorum vltimis? Neſcio ſane, an parabolanos, qui vix alibi, opinor, quam in Alexandrina vrbe hoc nomine celebres memorantur, & fortaſſis ibi etiam infra ſacros ordines fuerunt, quiſquam Eccleſiaſticis ordinibus appoſuerit. Neque vero horum officium in ſacris publice celebrandis, vti cæterorum, ſed in curandis priuatim ægrotis occupabatur.

§. XLI. Certe Balthaſar Gomezius *lib. 2. de poteſt. in ſeipſ. c. 17. n. 1. f. 157.* parabolanos in ſeruorum potius numero ſaltem ſeruitutis conditionatæ, quam Eccleſiaſticis ordinibus habet, cum quærit, *an quis poſſit ſe obligare adſeruiendum, & facere ſe eius conditionis, cuius ſunt adſcriptii, cenſiti, originarii, parabolani & id genus?* Quanquam hoc vt faceret, ea ipſum ratio maxime impulit, quod eos cum Alciato habuit adſcriptitios glebæ. Iuuat autem, quoniam in manibus paucorum eſt hic autor, integra eius etiam illa verba, quibus, quid parabolani ſint, explicat, huc transſcribere. Poſtquam enim de colonis adſcriptitiis dixiſſet, ita pergit *n. 20. Ad horum exemplum Parabolani, de quibus in l. placet 17. l. parabolani 18. C. de Epiſc. & Cler. Et licet Accurſ. in d. l. placet interpretetur Medicos, & defendat Tiraquell. de nobil. c. 31. num. 421. verius videtur, quod ait Al-*

ciatus l. 4. diſpunct. c. 9. fuiſſe quosdam deputatos famulitio vel Eccleſiarum, vel hoſpitalium, vel Xenodochiorum, & vt adſcriptitii glebæ adſcripti ſunt neque a cultura agrorum poſſunt recedere, ita iſti parabolani a ſeruitio ægrorum, qui in Noſocomiis reſidebant. Nam alias, quomodo ferendus numerus ſexcentorum medicorum, de quibus in dictis legibus fit mentio. Cum Alciato ſentiunt Cœlius Rhodiginus lib. 29. antiq. lect. c. II. Turneb. lib. XIII. Aduerſ. c. 23. Cuiac. in paratitl. tit. de Epiſc. & Cler. & in nouel. 3. Corraſ. num. 7. in l. in ſumma ff. de ſtatu hom. Baeza c. 2. de inope debit. n. 17. & alii alibi.

§. XLII. Admonet nos a Gomezio facta mentio Turnebi, vt quæramus, Parabolanos ille pro medicis habuerit, an, quod modo audiuimus, e Gomezio, cum Alciato pro famulis, quod ipſum feciſſe & nos arbitramur. Voſſius tamen in Oratoriis inſtitutionibus iſta ſententiam eius refert, quaſi putauerit Parabolanos dictos fuiſſe Alexandriæ Medicos. Atqui in toto Turnebi capite nulla eſt Medici mentio, vt mirari quis poſſit, vnde nata ſit Voſſio iſta ſuſpicio. Puto autem inde, quia vidit Turnebo placere, vt cum Samaritano Euangelico parabolani comparentur. Medici autem partes ille Samaritanus expleuiſſe videtur, dum alligauit vulnera miſeri hominis, infuditque oleum & vinum. Verum

hoc

hoc Chirurgi potius eſt, quam Medici, & alterum illud, quod impoſitum iumento duxit in diuerſorium, curamque illius egit, talis profecto famuli fuit, quales parabolanos fuiſſe ſenſit Alciatus. Hoc ergo potius reſpexiſſe Turnebum dicam, cum parabolanos conferret Samaritano. Ac videtur ipſe Voſſius poſtea ſuum errorem agnouiſſe. Nam in Etymologico, cum Turnebi ſententiam refert, medicos illi non admiſcet. Accedit, quod etymologiam Alciati, quæ ſe & Rhodigino approbauerat, interim vtriusque nomini parcens Turnebus aperte reiicit. Veroſimile ergo, ſimiliter fuiſſe reiecturam eiusdem Alciati de famulis expoſitionem, ſi eam damnauiſſet, cumque Accurſio parabolanos habuiſſet pro Medicis. Fateor interim, aliquo modo obſcura eſſe Turnebi verba, qui nec Medici, nec famuli, aut ſimile vocabulum habeat in calamo, approbetque tum eam etymologiam, quæ a parabola, tum alteram, quæ a voce περίβολος deducitur, quarum illa familiaris iis eſt, qui e peribolanis Medicos faciant, hæc aliis, qui famulos, quanquam hanc etiam poſteriorem etymologiam Medicis accommodant quidam, vt paulo poſt videbimus.

§. XLIII. Nunc nouas Etymologias vocabuli videamus, quæ ſolent ab iis afferri, qui

Parabolanos medicos negant, famulos fuiſſe aſſerunt. Has autem duas reperimus, Alciati vnam, qui & ſuos reperit adſtipulatores, alteram aliorum. Alciato placuit, nihil aliud hac voce, ſi in eius cunabula inquiras, deſignari, quam glebæ adſcriptitium, nempe, quia deriuetur a βῶλος gleba. Verba eius hæc ſunt. *Cenſuerim, fuiſſe plebeios quosdam parabolanos, qui famulitio vel Eccleſiarum vel hoſpitalium, Xenonumue deputati erant, & quaſi adſcriptitii glebæ: vt ſicut illis omni vita ab agrorum cultura recedere non licebat, ita his ab ſeruitio ægrorum, qui in noſocomiis reſidebant: Parabolanos glebæ adſcriptitios eſſe in iuris Ciuilis Græco interprete legi. Dicti a Græca præpoſitione* παρὰ *&* βῶλος, *quæ vox pro gleba accipitur.* Cum Alciato ſentiunt Rhodiginus, Gomezius, Lexicon Antonii Nebriſſenſis, & Lexicon Calepini. Ex mente igitur Alciati dicendum, parabolanos proprie eſſe ſeruilis conditionis homines illos, quos vocabant adſcriptitios glebæ; metaphorice famulos illos ægrotantium in vrbe Alexandrina. Ratio ſimilitudinis in eo ponenda, quod vt illis ab agrorum, ita his ab ægrorum cura non eſſet fas recedere.

§. XLIV. Viciſſim contemnit hanc etymologiam his verbis Turnebus. *Sunt, qui a* βῶλος, *quod eſt gleba, deducant, vt tanquam quidam:*

dam adſcriptitii glebæ ſint. Quam ego interpretationem magis adeo, ne prætermitterem, quam quod eius vllam rationem habendam eſſe putauerim, commemoraui. Deſerit eam & Tiraquellus, malle ſe ſcribens legere parabalanos a balanis videlicet, qua de re dictum ſupra. Voſſius in Etymologico vel illam Turnebi de parabola Samaritani, quam quidem in Inſtitutionibus Oratoriis negauerat, Achaico (h. e. habili, & apte collineanti telo) defendi poſſe, veriſimiliorem hac pronunciat. Reiicit & Martinius. Atque hic ſolus, quod neglexere cæteri, cauſam diſſenſionis apponit, ſed apponit potius, quam exponit, adeo vel obſcurus eſt, vel parum prouide dimicat. Verba eius adſcribemus.

§. XLV. *Parabolanus*, inquit, *in lib. I. Cod. tit. 3. l. 18. exponitur ab Alciato gleba adſcriptitio, cui in omni vita ab agricultura recedere non licebat, tanquam a* παρὰ & βῶλος, *id eſt gleba.* Dicas, eum hic minus integre aut fideliter Alciati ſententiam retuliſſe. Diſtinguit enim Alciatus, ſi mentem eius inſpicias, parabolanum proprie dictum a metaphorico. Ille ipſi glebæ eſt adſcriptitius, hunc verba ſonant legis. Hæc duo confundit Martinius, verbis certe non diſtinguit. Pergit. *Sed ibi* (in iſta lege) *Parabolani dicuntur, qui ad curanda debilium corpora ægra deputantur.* Videtur his

his verbis contradicere velle Alciato, Martinius. Sed hic reſponderet, neque id, quod ait Martinius, ſe negaſſe vnquam, nec in eo quicquam eſſe, quod ſibi repugnet. Sufficere enim, ſi ſit aliqua inter ipſos corporum curatores, & adſcriptitios glebæ ſimilitudo, cum ipſe non idem vtrosque eſſe voluerit, ſed ſimilem tantum alteri alterum: ea re autem ipſos conuenire, quod neutris integrum ſit ab eo recedere, quod curandum ſuſceperint. Vltimum Martinii hoc eſt. *Neque ſunt παράβωλοι, ſed παράβολοι.* Hoc vult: Parabolani vel Paraboli (loquamur enim hic cum ipſo) vocem ideo non poſſe a βῶλος deſcendere, quia græce non per ω, ſed per ο ſcribatur. Verum hic dicemus, hoc ipſum in controuerſia poni. Nam latinus quidẽ Codex rem relinquit in dubio, ſiquidẽ diſcrimen inter o magnum & paruum; ſeu longum & breue, Latinorum alphabetum ignorat. Quod ſi ad Græcos provocetur, nullum video a Martinio teſtem laudari ſcriptionis ſuæ. At Alciatus hic ad interpretem iuris Græcum prouocat. Qui, ſi quod Alciatus dicit, parabolanos glebæ adſcriptitios eſſe ait, dubitari non poteſt, quin id vocabuli græce, per ω ſcripſerit.

§. XLVI. Aliis ergo rationibus, aut alia ſaltem methodo impugnanda fuerit Alciati

ori-

originatio. Id quod optime fiet, ſi veriſimiliorem proferemus, eiusque ſpecie luculentiori alterius inopiam vincamus. Eſſe autem probabilior illa videtur, quæ parabolanos ita dictos putat, quia ſe coniiciunt in periculum maximum, quod qui faciunt, græcis *παράβολοι* vocantur. Adſtipulatur huic etymologiæ non modo res: eſt enim id genus miniſtrorum in graui periculo; ſed etiam, quod Alciati ſententiæ deeſſe videtur, latine loquentium conſuetudo, qui hac notione non refugiebant voces parabolus, parabolarius, parabolanus. Omnino autem alteram hanc rationem maximæ eruditorum, minime vulgarium, parti video placere. Venit ea in mentem Tiraquello, & ita venit, vt etiam ſuam illam de balano videatur hac vltimo loco propoſita velle corrigere. Turnebus, tametſi negat, pœnitere ſe ſuæ de Samaritano coniecturæ, tamen & huic locum facit. Retinet eam ſolam Gothofredus *ad ſæpe cit. leg. parabolani*. Retinet ſolam Lexicon Hottomanni, Prateii, Buchneri. Caroli Stephani dictionarium miſcet illi etymon Alciati. Martinius contra cæteris reiectis, absque dubio rectam hanc vocat, a græco *παράβολος*. Voſſius hoc idem maxime vero ſimile pronunciat, cum etiam in inſtitutionibus oratoriis iam fuerit teſtatus, magis hoc ſibi

arridere, quam illud de Samaritano, quanquam ibi addit, nec ipſam hanc præſentem opinionem de parabolo plane ſatisfacere. Alſtedii paratitla Theologica & illam de Samaritano, & hanc de parabolo ſententiam, vt probabilem vtramque admittunt. Adderem & Ioſephum Laurentium, niſi hunc viderem, coaceruare potius vndique, quam pronunciare.

§. XLVII. Sed miſſa ſcriptorũ autoritate rem ipſam videamus. Παραβάλλειν, παραβάλλεσθαι apud Græcos idem interdũ, eſt, quod ῥιψοκινδυνεῖν, periculo ſe obiicere, παραβάλλειν ἑαυτὸν κινδύνοις. Ψυχὴν παραβάλλεσθαι Homerus dixit Iliados nono *Budæum vide Comment. lingv. græc. f.239. Camerar. comment. f. 306. Alſted. paratitl. Th.p.319.* Hinc ἔργον παράβολον, facinus audax ſeu temerarium. *Camerar. d. l. f.307.* παράβολα, quæ ſummis periculis obiecta ſunt. *Hotom.* res magnas & proiectas reddit *Prateius.* Græcam hanc vocem & in Epiſtola Plinii leges *lib 9. ep. 26. ſunt maxime mirabilia, quæ maxime deſperata, maxime periculoſa, vtque Græci magis exprimunt,* παράβολα. vbi & Buchneri notas *p. 213* inſpice. Qui & in Lexico docebit ipſam *periculi* vocem Latinam a Salmaſio deriuari a græco, παράβολον.

§. XLIIX. De perſona vero cum vſurpatur παράβολος, audacem notat, confiden-

tem

tem, temerarium, periclitantem, ad adeunda pericula præcipitem, qui Ciceroni, quaſi Græcam vocem imitaturo *proiectus* eſt, vel *proiectus ad audendum*. Vide Turnebum, Budæum, Martinium, Buchnerum, Voſſium, qui ſimul monet, plus eſſe παράβολον, quam θρασὸν, adeoque παράβολον θρασότητα, quæ apud Plutarchum legitur, eminentem & proiectam vertit audaciam. Euſtathius Martinio citatus: παράβολος ἄνθρωπος, ὁ κινδύνοις παραβάλλων ἑαυτόν. Idem ſenſus & in aduerbium migrauit, παραβόλως. Sic enim Polybius *lib. I. ap. Camerar. l. c.* ἄπτως νυκτὸς, καὶ παραβόλως περαιωθεὶς τὸν πορθμὸν: *ſuperato freto noctu & per ſummum diſcrimen.*

§. XLIX. An & locum Pauli huc referemus. *Philipp. 2. v. vlt.* de Epaphrodito loquentis, *qui propter opus Chriſti usque ad mortem acceſſit, tradens animam ſuam*, διὰ ἔργον τοῦ χριστοῦ μέχρι θανάτου ἤγγιζε, παραβουλευσάμενος τῇ ψυχῇ. Equidem placet hic Martinio, vt παραβολευσάμενος potius legatur, atque idem videri doctis quibusdam teſtatur Alſtedius *in paratitl. Theol. p. 319.* Quomodo & Voſſius monet, in Gloſſis veteribus pro παραβουλεύσασθαι, *periculum facere* eſſe qui παραβολεύσασθαι legant, putesque hinc & Heſychium emendandum, e quo Martinius citat, quod & in Lexico Varini f. 1430.

le-

legas, παραβȣλευσάμενος, ἐις θάνατον ἑαυτὸν ἐκθȣ́ς. Alii quod e Lexico Paſoris diſcas, malunt, apud Paulum legere παραϐολησάμενος, vt ſit a παραβολέομαι. Quanquam autem & Iacobus Gothofredus *p. 16. de velandis mulieribus* negat, dubitari poſſe, quin ſit in Epiſtola Pauli reponendum παραβολευσάμενος, (quam lectionem etiam ait comprobari auctoritate MSC. Codicis fratrum Puteanorum) nondum tamen cauſa eſt, vt a recepta lectione recedamus, cum illa ſenſum omnino commodum præbeat. Cur enim παραβȣλευσάμενος τῇ ψυχῇ, non liceat interpretari, quod & in Lexicis ita reperias, vitæ perperam, ſeu male conſulere, aut, quod Bezæ tribuit Martinius, vitæ non habere rationem? Lutherus reddit : da er ſein Leben gering bedachte.

§. L. Sed de nomine παράβολος plura ſunt nobis adducenda. Per ſynecdochen enim generis pro ſpecie vox ea impoſita etiam fuit τοῖς θυριομάχοις, i. e. his, qui cum beſtiis pugnabant, ſeu beſtiariis, non omnibus quidem, vt ex Etymologico Voſſii intelliges, nec enim ad eos hoc pertinet, qui ad beſtias eſſent damnati (quanquam & hos ipſe Voſſius huc traxerat perperam in Inſtit. Oratoriis, & ante hunc Martinius) quos Apoſtolus ἐπιθανατίȣς appellat, ſed auctoratis ad beſtias

ſtias, h.e. qui operas ſuas locabant ad conficiendas beſtias, alio nomine confectores appellati, de quibus & Buchnerum vide, & Ioſephum Laurentium. Nempe audacia quadam ac temeritate vitam ſuam proiiciebant non illi, quos dimicare cum beſtiis cogebant Tyranni, ſed qui vltro ad illam cum beſtiis militiam nomina ſua profitebantur.

§. LI. Atque hoc ſenſu Græcam vocem retinuit Epiphanius Scholaſticus, Socratis Eccleſiaſticam vertens hiſtoriam, vt e Tripartita, quam ex Epiphanii verſionibus contraxit Caſſiodorus, animaduertere licet. Vbi enim Socrates *l. 7. c. 22.* narrat, quemadmodum, cum aliquando in amphitheatro Conſtantinopolitano venationi vacaret Theodoſius iunior, populus ſublato clamore poſtulauerit, vt aliquis ex eorum numero, quorum inſigniter eminebat audacia, cum fera beſtia decertaret: Græca verba: *ὁ δῆμος κατεβόα, δεινῷ θηρίῳ ἕνα τῶν εὐφυῶν παραβόλων μάχεσθαι*, ſic reddit apud Caſſiodorum lib. XI. hiſt. Tripart. c. 17. Epiphanius: Cœpit clamare populus: *Crudeli beſtiæ artifex parabolus pugnet.* Sequor enim Turnebum & cæteros, licet in Codice meo Baſileenſi A. 1523. f. 623. pro *parabolus* impreſſum ſit græcis literis *παράβολος*. Voſſius in Etymologico, cum & ipſe Græca Socratis & latina neſcio

cu-

cuius interpretis verba protuliſſet, recte ait, *παραβόλȣς* verti *viros audaces*. Addit potuiſſe etiam verti *parabolanos*, ſiue, quam vocem antea Iulio Firmico (quē & in hanc rem citat Dionyſ. Gottofred. *ad l. parabolanos C. de Epiſcop. & Cler.*) dederat, *parabolarios*, quomodo, inquit, in Nouellis vocantur, item in Actis Pasſionis Sanctorum Martyrum Abdonis & Sennes. *Tunc iusſit Valerianus eos introduci in Amphitheatrum, vt ferarum morſibus conſumerentur. Et cum, vt audacisſimi parabolani ingresſi fuiſſent &c.* Ita vides, quemadmodum Græcam vocem ſuam fecerint & Latini.

§. LII. Iam ſi beſtiarii meruerunt parabolani dici, vel parabolarii, quod vitam exponerent periculo, cur non ſimilem ob cauſam idem nomen impoſitum fuiſſe credamus illis ægrotantium miniſtris? Quo loco tamen adhibenda cautio, quam præiuit nobis Martinius, *vt parabolanos in conſtitutione Iuſtinianea modeſte interpretemur, non audaces, non temerarios, ſed periculorum contemtores, charitatis & officii cauſa, & ſic diſtinguamus a beſtiariis, qui ſpectaculo meridiano operam locabant.* Et vero Græcis etiam *παράβολον ἔργον* dici audax facinus in bonam quoque partem, annotatum Budæo *f. 238. Comm. ling. græcæ*, cuius verba paulo poſt deſcribemus.

§. LIII.

§. LIII. Duplici autem nomine periculoſa res miniſterium illud erat. Parabolani enim iſti nec vllum genus morbi,etiam contagioſi,quo affectis non adeſſent, nec tempus vllum peſtiferæ luis excipiebant. Ad prius periculum hæc refero verba Hotomanni. *Nomen confictum puto ex eo, quod ſeſe audacter periculis omnibus obiicerent, neque vllius, quamvis peſtiferi morbi contagionem timerent:* & ſimilia Dion. Gothofredi. *Ita dicti, quod ſe coniiciunt in magna pericula propter frequentem ægrotorum contactum.* Vbi & Cuiacium citat. De altero hoc ſonat Turnebi. *Poſſint tamen dici Parabolani declinatione Latina vocabuli Græci homines, qui ſe in periculum maximum coniiciunt, vt qui ægrotos publice in Alexandrina ciuitate curabant in noſocomiis. Graſſante enim, vt non raro aſſolet, peſte & ipſi rapiebantur, qui id muneris contempta vita ſuſceperant.* Similia leges apud Prateium & Voſſium tum in Etymologico, tum in Oratoriis Inſtitutionibus.

§. LIV. Iam cum ſerpente peſtifera lue, quod famulis ægrotantium, idem & Medicis ſi ſuum obeant munus, euenire queat, factum inde, vt hanc de periculo cauſæ dictionem ad ipſos Medicos accommodarent quidam: quod in Oratoriis fecit Voſſius, ante ipſum Tiraquellus. Atque huc referas etiam illud Ioſephi Laurentii, ſiue ab ſe illud habet,

ſiue

ſiue deſcripſit ex alio. *Parabolanos dicemus Medicos, quos tempore peſtis vocamus expoſiti.*

§. LV. Habes ergo ita eiusdẽ prædicati duo ſubiecta. Imo per Tiraquellum etiam ſubiecti eiusdem ex eadẽ originatione duo prædicata, ſeu adeo etymi eiusdẽ expoſitiones duas, vt aliqua ratione huic etymologiæ de *parabolo* id contigerit, quod ſupra expoſuimus in altera de parabola. Adſcribemus ipſa Tiraquelli verba. *Quid ſi dicantur parabolani, aut etiam parabolani a dictione Græca* παράβολος, *qua ſignificant Græci audacem, temerarium, confidentem, periclitatorem, cuiusmodi fere ſunt Medici. Plutarchus in Cæſaris vita* τῶν τολμημάτων τὰ παράβολα, καὶ μεγάλα μὲν πολλοὶ, τολμῶσι δ᾽ ὀλίγοι φάνειν. (Mutilum hunc eſſe locum, & e verbis partim Cæſaris, partim Polybii conflatũ paulo poſt demonſtrabo) *Hincq; in deciſionem huius artis Plautus in Captiuis Medico Mænarchi nomen indidit, veluti inſaniæ* (ſic lege pro infamiæ) *principi. Nam* μαίνομαι *ſignificat inſanio, &* ἀρχὸς, *princeps.* Atque hæc vna Tiraquelli eſt expoſitio. Alteram hæc produnt verba. *Quid tandem, ſi dicas Medicos parabolanos a ſubeundo periculo in ægrotantium cura appellatos,* ἀπὸ τοῦ παραβάλλεσθαι.

§. LVI. Duplex ergo Tiraquelli expoſitio eſt. Sed cum ſubobſcura ſint eius verba, dubitare poſſis, quibus terminis alteram ab al-

altera ſecernere debeas. De priore hoc certum in genere, ad ignominiam eam pertinere, Audaces enim, temerarios, confidentes, periclitatores vocat. Præterea Medici talis exemplum facit Menarchum, hoc eſt, vt ipſe vult, inſaniæ principem. Quod nemo dixerit, honoris gratia factum. Sed in ſenſum ſpecialem antequam inquiramus, integritati ſuæ textum ipſius valde mutilum reſtituemus, aut potius Tiraquelli lapſum detegemus. Non dubium, quin Tiraquellus quæ de audaci ac παραβόλῳ hic dicit, hauſerit e Commentariis græcæ linguæ Budæi. Sed ſi quis textum eius, vbi mox locum Plutarchi affert, cum Budæo conferat, animaduertet, duas prope integras lineas a Tiraquello eſſe præteritas. Budæi verba hæc ſunt, e quibus, quæ ſunt apud Tiraquellum omiſſa, ſigno parentheſeos includemus. παράβολος, *audax, confidens, temerarius, periclitator. Plutarchus de Cæſare*: τῶν τολμημάτων τὰ παράβολα καὶ μεγάλα (πράττειν, ἔφη, δεῖν, ἀλλὰ μὴ βουλεύσασθαι. Καὶ παράβολον ἔργον *dicitur audax facinus in bonam quoque partem: Polybius*: τῶν γὰρ παραβόλων καὶ καλῶν ἔργων ἐφίενται) μὲν πολλοὶ, τολμῶσι δ' ολίγοι ψαύειν. Suſpiceris autem hic, Tiraquellum ipſum prætervidendo hic peccaſſe, non (quod alias quoque fieri potuiſſet,) librarium aut typogra-

phum. Cum enim tota hæc Tiraquelli expoſito ad dedecus vt dictum eſt, vergat, ſi oculos eius feriiſſent, verba quibus confirmat Budæus, παράβολον ἔργον in bonam quoque partem accipi, non videbatur ex iis quicquam eſſe decerpturus; ſed potius omiſſis Polybii verbis ad vnum omnibus, ſolius Plutarchi locum integrum deſcripturus.

LVII. Nunc ſenſum ſcrutemur. Qui audaces medicos vocat, ac temerarios, duplici hoc ſenſu facere videtur poſſe. Aut enim hoc vult, eos ſuæ vitæ, quam periculo videlicet contagionis exponunt, parum prouide conſulere, aut illud, ſanandis morbis plura eos ſæpe conari, quam præſtare, ſiue ob morbi robur, ſiue ob artis imperitiam queant. Vtrum e duobus voluerit Tiraquellus, in incerto eſt. Putes prius eum voluiſſe, quandoquidem conſtat, παράβολον Græce, cum perſonam non rem denotat, quo reſpectu & hic vſurpat Tiraquellus, non eſſe alium, quam qui ſe coniicit in periculum. Nec rem aliter intelligunt, quotquot parabolanum derivant e voce παράβολος. Quo minus tamen credam, hanc fuiſſe hic mentem Tiraquelli, illud me mouet, quod hac ratione expoſitio prior non eſſet diſtincta a poſteriore, quam tamen ipſe velut omnino diuerſam profert.

LIIX. Dices, ſupereſſe tamen adhuc rationem

nem aliquam eas inter ſe disiungendi, ſi dicamus; priore vitium audaciæ in periclitanda vita notari, poſteriore nonniſi caſum & periculum ipſum, quod a vitio etiam abeſſe poteſt ac debet, in eo certe, qui medendi legitimam habet vocationem. Atque hic laudem fortitudinis potius merebitur, quam audaciæ culpam ſubibit. Verum & ſic propioribus interuallis a priore ſenſu diſtrahetur poſterior, quam vt rationem tantilli diſcriminis habiturus videatur fuiſſe Tiraquellus. Vtraque enim interpretatio, rei, quæ ſuæ ſit vitæ periculoſa, aggreſſorem medicum facit.

LIX. Itaque ſuſpicor potius, priorem illam ex mente Tiraquelli eo pertinere, vt notetur medicorum quorundam in artis magna ruditate iactantia, grauiſſimis quibusque morbis opitulatores ſe profitentium, cum præſtare minimo minus queant: vt adeo certa ratione non tam in ſuis, quam in alienis periculis intelligantur temerarii. Quo quidem facto magis morbus, quem curandum ſuscipit, erit ἔργον παράβολον, quam ipſe Medicus homo παράβολος, h. e. ſui periculi contemptor. Sed nimirum videmus, hæc duo confundi a Tiraquello, ſiquidem ipſe cum de homine παραβόλῳ dicere cœpiſſet, mox locum Cæſaris affert de re periculoſa, quæ eſt τόλμημά παράβολον. Quæ duo ne a-

pud Budæum quidem diſtincta ſatis inuenerat.

LX. Etiam quod de Plautino Medico ſequitur, haud paulo longius petitum eſt, quam vt ad rem præſentem faciat demonſtrandam. Itaque Tiraquellum hic dicemus amplificationi potius aut illuſtrationi ſtuduiſſe, quam declarationi. Fuerit autem Mænarchi vocabulum, ſi Tiraquelli expoſitionem admittimus, per diphthongum exarandum, (quomodo & ipſe alibi exarat, in catalogo ſcilicet Medicorum f. 138,) non vt Plautini Codices, & ipſe Tiraquellus, loco præſente exhibent, per vocalem. Loci ſunt *in prologo Captiu. v. 26. & Act. II. ſcen. 2. v. 85.* Ad poſteriorem locum Taubmannus hæc notat, *p. 259. Hariolatur Bisciola Medicum Mænarchum appellari, quaſi inſaniæ principem, vel potius a ſubeundo periculo in ægrotis curandis.* Suſpicor a Biſciola dici hæc eo ipſo loco vbi de Parabolano differit, ac forte Tiraquellum illa ſcribens habuit præ oculis. Nam & hic ſane *de ſubeundo periculo* verba facit. Verum hoc aperte apud Tiraquellum non ad Menarchi, ſed Parabolani explicandum nomen ſpectat. Videant ergo, quibus copia eſt Biſciolæ, num hic Tiraquellum, an vero Taubmannus Biſciolam ſupinis oculis inſpexerit. Cæterum, quantum illi coniecturæ, quæ Mænarcho vi vo-

vocabuli principatum dat inſaniæ, tribuendum ſit, iam non inquiro. Nec enim res neceſſario huius eſt loci. Fortaſſe tamen grauis nulla ratio ſuadet, vt illam etymologiam approbemus, & quod inde ſequitur, e vocali faciamus diphthongum.

LXI. Supereſt altera parabolani expoſitio, ſic dicti videlicet a ſubeundo periculo in ægrotantium cura. Quam & ipſam bifariam intelligi poſſe, iam ſuperius dicta declarabunt, in vituperium nempe, ſi dicas, audaciam notari, cuiuis ægrotanti, etiam contagioſo ſe indulgentis; in laudem, vel certe absque vituperio, ſi benignius interpreteris, ſiue de officioſa fortitudine, ſiue nullo plane vitii virtutisq; reſpectu de ſola periculi præſentia, quæ hoc viuendi genus, quod Medici practici ſectantur, comitari ſolet. Et hæc quidem altera acceptio videtur ſenſibus Tiraquelli maxime congruere. Qua ratione facile ipſi conueniat cum illa, quam ſupra retulimus cum aliis. Id intereſt, quod illi ad famulos ægrotantium, Tiraquellus ad Medicos eam refert.

LXII. Diutius fortaſſe ſumus in inueſtiganda Tiraquelli ſententia verſati, quam res ipſa mereri videbatur. Sed quid facias, vbi in caliginoſum ſcriptoris alicuius locum incidens peruidere tamen ſenſum velis. Ope-

ræ pretium interim eſt obſeruare, ſæpe plus negotii nobis faceſſere Autorum ambigua & obſcura verba ad intelligendum, quam ſenſus, vbi hos peruideris, ad eligendum, aut argumenta ad refellendum. Nam de duabus illis interpretationibus Tiraquelli procliue eſt poſteriorem anteferre priori.

LXIII. Atque ſic tandem hanc de parabolanis commentationem claudere licebit. Cuius hæc ſumma eſt: Parabolanos, quorum in Codice Iuſtinianeo mentio eſt, ab aliis Medicos exponi, ab aliis rectius miniſtros ægrotantium: inter tot autem etymologias & expoſitiones, quæ numero haud exiguo ab vtraque diſſentientium parte afferuntur, optimam eam videri, quæ ita dictos ait a negotii periculoſitate, cum, qui ſe periculis exponunt, Græcis vocentur παράβολοι.

OBSERVATIO XII.

NATVRA HOMINIS. LIBERTAS VOLVNTATIS. IMPVTATIO IN POENAM.

SVMMARIA.

F*acultatum animæ, n.* I. II. *intellectus ſcilicet & voluntatis differentiæ ſenſibiles. n.* III-IX. *Intellectus agens & patiens. n* X. *Forma hominis magis in voluntate, quam intellectu, n.* XI.

n. XI. XII. XIII. XIV. *Homo non eſt ſpecies infima, n.* XV. *quia omnes homines ſpecie differunt, n.* XVI. XVII. *id eſt habent diuerſas imo oppoſitas voluntates. n.* XVIII. *Omnis voluntas eſt amor, n.* XIX *& omnis amor deſiderium, n.* XX. *Non datur actus voluntatis immanens. n.* XXI. *Amor Dei & creaturarum. n.* XXII. XXIII. *Regenitus & irregenitus ſpecie differunt. n.* XXIV. *Homines conueniunt genere. n.* XXV - XXIIX. *Infinita hominum ſpecies ſpecialisſima. n.* XXIX. XXX. *Singuli homines naturales habent tres voluntates, & inter illas vnam prædominantem n.* XXXI - XXXIV. *Homo naturalis amat ſemper malum. n.* XXXVI. *Sub ſpecie boni, n.* XXXVII. *ſeu medii viuendi. n.* XXXIIX. *Homo naturalis eſt ſeruus pasſionum ſuarum, n.* XXXIX. *ergo non habet libertatem intuitu boni. n.* XL. XLI. *Vanitas doctrinæ communis de libertate contradictionis & contrarietatis. n.* LXII. *Pſeudolibertas hominis intuitu pasſionis interioris. n.* XLIII. XLIV. *Voluntas poteſt cogi. Differentia inter ſpontaneum & liberum. n.* LXV. *Cauſa communis erroris ignorantia ſui ipſius. n.* XLVI. XLVII. *Quæ vni homini ſunt quaſi libera, aliis ſunt quaſi neceſſaria. n.* LXIIX. *Non poteſt omnibus hominibus communis præſcribi norma agendi ſpecialisſima. n.* XLIX. *Metus deſtructionis eſt omnibus homini-*

nibus communis, n. L. *& fortior reliquis paſſionibus, n.* LI. *ipſe tamen modo fortior, modo debilior, n.* LII. *qui inter alia oritur etiam ex lege pœnali. n.* LIII. *Fundamentum imputationis pœnalis libertas metuendi, n.* LIV. *vt concupiſcentiam reprimat. n.* LV. *Libertas hæc non eſt magni momenti, ſi homo habeat ſpem impunitatis aut clandeſtinitatis, n.* LVI. *vnde ratio, quod tam ſæpe peccetur contra leges & diuinas & humanas n.* LVII. LVIII. *Nulla lex pœnalis eſt rationabile remedium hominem emendandi. n.* LIX. *Vſus doctrinæ huius in aliis quæſtionibus vtiliſſimus, n.* LX. LXI. LXII. *præprimis in euitandis duobus extremis, Spinoſiſmo & Pelagianiſmo. n.* LXIII.

I. HOmo præter corpus etiam ſpiritu ſeu anima gaudet.

II. Hæc anima communiter duas dicitur habere facultates, intellectum & voluntatem.

III. Intellectus agit in cerebro, voluntas in corde.

IV. Intellectus & agit & patitur. Voluntas pariter.

V. Intellectus patitur in cerebro, Voluntas patitur in corde.

VI. Intellectus agit in cerebrum, quando agit

agit, voluntas agit regulariter quando agit, extra cor.

VII. Dum agit extra cor, agit in locomotiuam ſingularum partium corporis.

IIX. Inter illas partes etiam eſt cerebrum, vnde & voluntas inintellectum agit, & intellectus adeo a voluntate patitur.

IX. Intellectus nunquam agit in voluntatem ſed patitur a voluntate, vti ab omnibus aliis rebus quæ ſunt extra cerebrum.

X. Quando intellectus impellitur ab aliis rebus pati dicitur, quando a voluntate, agere.

XI. Hinc falſum eſt principum agendi in anima oriri aut oriri debere ab intellectu, ſed ſemper oritur a voluntate.

XII. Vnde forma hominis non inintellectu quærenda, ſed in voluntate. Id enim forma eſt, quod eſt principium agendi in anima, quia forma dat operari.

XIII. Ex dictis vero patet, intellectum eſſe principium paſſiuum non actiuum, quia patitur a voluntate, contra voluntas non patitur ab intellectu.

XIV. Inſtrumenta ſeu principia paſſiua non dant formam rei. Vnde etſi v. g. faber ferrrarius, lignarius &c. malleo eiusdem generis imo & eiusdem gradus vtantur, tamen ſpecie differunt.

XV,

XV. Vnde etſi homines omnes habeant idem principium paſſiuum ſeu inſtrumentum animæ ſcil. intellectum ſaltem gradu perfectionis differentem, tamen exinde non ſequitur, quod hominum ſit vna ſpecies.

XVI. Qui diuerſo principio agendi gaudent, ſpecie differunt. Exempla præbent omnes animalium ſpecies.

XVII. Quicunque diuerſa voluntate gaudent, gaudent diuerſo principio agendi.

XIIX. Omnes homines habent diuerſas non ſolum ſed & quidam diuerſiſſimas & oppoſitas voluntates, quod probant ſequentia.

XIX. Omnis voluntas eſt amor rei cuiusdam, non præciſe amor boni, quia amantur etiam mala, quamuis ſub ſpecie boni.

XX Omnis amor eſt deſiderium rei, quam non habemus i. e. cum qua non ſumus vniti.

XXI. Vnde neceſſario iterum fluit nullos dari actus voluntatis immanentes, vti nullus datur actus intellectus tranſiens.

XXII. Amor eſt vel Dei vel creaturarum.

XXIII. Et harum vel vt ventrē delectant, vel vt gloriam parant, vel vt diuites faciunt.

XXIV.

XXIV. Nullus homo a natura amat Deum, niſi ſit per gratiam regenitus. Et nullus regenitus amat creaturas. Ergo homo regenitus amat creaturas. Ergo homo regenitus & irregenitus ſpecie differunt.

XXV. Omnis homo naturalis ſeu irregenitus amat creaturas, ſed non eodem modo.

XXVI. Nam in alio prædominatur amor voluptatis, in alio amor gloriæ, in alio amor diuitiarum, quamuis omnes homines ex his tribus amoribus mixti ſint.

XXVII. Qui diuerſos amores habent, habent diuerſas voluntates.

XXIIX. Vnde homines conueniunt genere, differunt ſpecie.

XXIX. Species eorum generales ſunt tres, alii voluptuoſi, alii ambitioſi, alii auari.

XXX. Sed cum harum voluntatum in hominibus infinitæ ſint mixturæ, infinitæ quoque ſunt ſpecies hominum ſpecialisſimæ.

XXXI. Amor voluptatis, amor gloriæ, amor auaritiæ ſæpe pugnant inter ſe.

XXXII. Quæ pugnant neceſſario ſunt diuerſa.

XXXIII. Ergo ſinguli homines naturales habent tres formas ſeu tres voluntates.

XXXIV. Inter eas tamen ſemper vna eſt fortior altera, adeoque prædominans.

XXXV. Quæcunque tamen prædominetur

tur,homo naturalis tamen ſemper amat malum, quia omnis voluptas, ambitio & auaritia amat res hominem deſtruentes.

XXXVI. Atque miſeria hæc hominum eo maior eſt, quod iſta mala ament ſub ſpecie boni, id eſt, quod in iis quærant conſeruationem ſui.

XXXVII. Amor enim ſe conſeruandi omnibus rebus ineſt, adeoque & homini. Quin potius eſt radix reliquarum cupiditatum, cum omnia alia amemus vt media nos conſeruandi.

XXXIIX. Sic igitur & voluptati deditus voluptates, ambitioſus gloriam, auarus diuitias vt media viuendi amat.

XXXIX. Omnis homo naturalis eſt ſeruus paſſionum ſuarū præcipue dominantis.

XL. Adeoque nullus homo libertate gaudet ſiue per eam intelligas indifferentiam ſeu potentiam æqualem ad bonum & ad malum, ſiue intelligas potentiam eligendi bonum præ malo.

XLI. Nam certe id non poteris appellare libertatem, potentiam eligendi neceſſario malum.

XLII. Vnde vana eſt demonſtratio libertatis in voluntate per oſtenſionem duplicis libertatis contradictionis & contrarietatis. Nam talem duplicem libertatem etiam ſervus

uus habet in rigidisſima ſeruitute conſtitutus, habet etiam captiuus in carcere. Sed miſera libertas illa quæ ſeruitus ſimul & captiuitas eſt.

XLIII. Porro cum vna paſſio dominetur alteri, reſpectui pasſionis ſeruientis dominanti adſcribitur pſeudolibertas. Ita voluptuoſus ſeruit voluptati, ſed ad auaritiam & ambitionem dicitur quaſi liber, quia ad hos non tanto impetu rapitur.

XLIV. Quamuis & infima pasſio posſit per obiecta externa, & maxime per pasſiones ſimiles in aliis hominibus dominantes in tantum irritari, vt æque inuiti rapiamur, ac in vulgato iſto: Oſcitante vno oſcitat & alter.

XLV. Hinc falſisſimum brocardicum, commune, quod voluntas non poſſit cogi, cum quotidie cogatur. Exemplum habes *Iud. XVI, 16.* Salua tamen ſpontaneitate actionum humanarum. Spontaneum enim dicitur omne, cuius principium agendi eſt intra hominem, ſeu ipſa voluntas. Vnde ſimul vides, ſpontaneum & liberum differre.

XLVI. Putant vero homines, quod voluntas non cogatur, dum ipſi ſibi ſed erronee perſuadent, quod omnes homines ſpecie non differant, & habeant eandem naturam.

XLVII. Vnde falſisſime arbitrantur quæ cupiditates facillime ab ipſis ſuperantur i. e. quæ

quæ pertinent ad paſſiones infimas, eas etiam aliis eſſe ita faciles. Quæ falſa argumentatio inde oritur, quod nec ſe nec alios norint.

XLIIX. Quin potius quemadmodum quæ mihi neceſſaria ſunt, aliis ſunt quaſi libera, ita & quæ mihi libera ſunt aliis ſunt quaſi neceſſaria.

XLIX. Nec ergo communis omnibus hominibus poteſt præſcribi norma agendi ſpecialisſima. Quia quod vnius quaſi arbitrio ſubeſt, alterius arbitrio eſt exemptum. Arbitrio autem pasſionis dominantis ſubeſſe dicitur hic pasſio infima.

L. Eſt tamen communis omnibus pasſionibus ſiue dominantibus ſiue reliquis inſtinctus, ſe ipſas & domicilium ſuum corpus conſeruandi, cum quo coniunctus eſt neceſſario metus deſtructionis.

LI. Qui metus deſtructionis plerumque in tantum homines mouet, vt abſtineant a re maxime cupita.

LII. Eſt vero & hic metus eo fortior, quo fortior eſt potentia alterius rei nos deſtruendi, & quo propinquior eſt.

LIII. Incutitur ergo inter alia etiam eiusmodi metus per minas mali, quæ minæ mali, ſi a ſuperiore proficiſcantur legem conſtituunt, & pœna dicuntur.

LIV,

LIV. Apparet ex dictis omnem adeo libertatem voluntatis humanæ vltimo reſolui in libertatem & arbitrium metuendi: & igitur hanc ſolam eſſe fundamentum omnis imputationis pœnalis.

LV. Vnde homo naturalis & ſibi relictus intelligere non poteſt, ſe obligari quoad actum internum voluntatis vt hoc vel illud non concupiſcat, vtpote quæ libera non eſt, ſed ſaltem vt concupiſcentiam illam metu maioris mali non ducat in actum externum.

LVI. Quamuis iterum apertum ſit hanc libertatem ſe non longe exerere. Quotiescunque enim homo putat ſe cupiditates dominantes clanculum & impune expedire poſſe, toties nihil eſt in voluntate eius, quod ipſum reprimat, quia tum ceſſat metus.

LVII. Imo quoties malum incuſſum non eſt propinquum & euidens, ſed dilatione gaudet, vt ſpes adſit iſtud euitari poſſe, toties metus minor eſt, qui ſæpe a cupiditatibus vincitur.

LIIX. Dependet ab his duabus obſeruationihus ratio, cur non obſtante metu tam frequenter peccetur contra leges tam diuinas quam humanas. In his enim inſtigat ſpes clandeſtinitatis, in illis ſpes euaſionis per miſericordiam Dei.

LIX. Simul vero illud apparet, quod nulla

la lex pœnalis ſit rationabile remedium emendandi genus humanum. Quo pertinet vulgatum: Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

LX. Habent etiam alibi obſeruationes noſtræ vſum infinitum, v.g. ad eo diſtinctius concipiendam differentiam officii Regii & officii Doctoris, ex quo fluit conſideratio officii Magiſtratus circa ſcandala, & quam peccent Doctores, qui implorant brachium ſeculare, vt homines euadant probi.

LXI. Ergo etiam præbebunt magnum vſum in cognoſcenda differentia inter Moſen & Chriſtum, ſeu legem & Euangelium, & in oſtendenda præſtantia doctrinæ vere Chriſtianæ, præ philoſophia etiam ſana. *Confern. LVI.*

LXII. Quin & ſuppeditabunt eædem meditationes inſignem differentiam inter naturam pœnarum diuinarum & humanarum, quæ communiter miſceri ſolet etiam a viris piis.

LXIII. Denique hic commodiſſime euitabimus Scyllam Spinoſiſmi, ne putemus omnes actiones noſtras eſſe neceſſarias, aut Deum faciamus autorem peccati, aut fatum ſupra Deum ponamus, aut Deum plane negemus, & ſimul omnem legũ imputationem tollamus, & charybdin Pelagianiſmi, ne adſcri-

ſcribamus viribus propriis voluntatis noſtræ libertatem emergendi ex miſeriis infelicitatis noſtræ. Oſtendimus enim iam alibi, communem Philoſophiam ſiue Ariſtotelicam ſive Carteſianam homines etiam id non ſentientes in Pelagianiſmum deducere. Vide. Außübung der Sitten-lehre *Cap. XV.* §. 1. *ſeqq.*

OBSERVATIO XIII.
ACTIONES HVMANÆ ADIAPHORÆ SEV LICITÆ Mitteldinge.

SVMMARIA.

Quæſtionem hic eſſe etiam de licentia interna, n. I. *etiam intuitu legis amoris,* n. II. *etiam intuitu amoris diuini.* n. III, *Actionis illicitæ, intuitu iuſtitiæ,* n. IV, *amoris humani,* n. V. *& diuini.* n. VI. *Illicitas facilius cognoſci quam licitas,* n. VII. *in his enim magis reſpiciendum ad intentionem agentis, quam ad actiones ipſas.* n. VIII. *Intentionem malam inquinare actiones etiam præceptas,* n. IX. *multo magis permiſſas.* n. X. *Quæ vni non licent, omnibus aut certe pluribus eiusdem ſtatus eſſe illicita, in licitis rem ſe habere aliter;* n. XI. *Illicitas repugnare hominũ naturæ communi, in licitis reſpici ad naturam ſingulorum.* n. XII. *Ieiunium non ſemper eſſe actionem licitam.* n. XIII.

Vnde male quæri in genere, an actiones non illicitæ ſint licitæ. n. XIV. *nec bene ſupponi actiones ſæpe non licitas eſſe in genere illicitas. n.* XV. XVI. *In quæſtione de licentia actionum non confundendum eſſe decorum cum intentione agentis. n.* XVII. *Actionem indecoram non ſtatim eſſe illicitam* XIIX. XIX. *Male actiones indecoras pro criminibus & decoras pro virtutibus haberi.* XX. XXI. *Doctoribus & his ſimilibus vitandas eſſe actiones etiam indecoras. n.* XXII. *Talium indecorarum gradus varii. n.* XXIII. *Officium Auditorum circa actiones indecoras docentium. n.* XXIV. *Vanæ excuſationes docentium in actionibus turpibus. n.* XXV. *Quod docentes licite faciunt, non ſtatim licere auditoribus, n.* XXVI. *Actionem licitam iuſtam & iniuſtam fieri ſola intentione. n.* XXVII. XXIIX. *Vnde de actionibus licitis inepte aliorum conſilia & expeti & dari. n.* XXIX. *Cur princeps & iudex actiones omnes pro licitis habeat, quæ non repugnant iuſtitiæ. n.* XXX. *Media ad finem in diiudicandis actionibus licitis non præbere nouum argumentum, n.* XXXI. *cum finis ſit norma mediorũ, n.* XXXII. *& mentiatur, qui illicitas actiones dicit, ſe perpetrare bona intentione. n.* XXXIII. *Doctrina hac non aperiri feneſtras delictis, n.* XXXIV. *quia ex medio illicito cognoſcatur intentio alterius illicita. n.* XXXV. *& in legibus naturalibus non poſ-*

poſſit accidere vere bona intentio, n. XXXVI. *in legibus humanis vero, ſi accideret, non liberaret a pœna fori externi.* XXXVII. *Vſus dictorum varius. 1. Non præſcribendas eſſe pluribus auditoribus æquales viuendi regulas. n.* XXXVIII. *2. In iudicandis actionibus proprijs non conſideranda eſſe exempla aliorum, n.* XXXIX. *Vt actiones noſtras reprimentes paſſiones infames & corroborantes affectus dominantes habeamus pro hypocriticis. n.* XL. *4. Vt quotidie creſcamus in contritione & contemptu noſtri. n.* XLI. *5. Vt non tam facile ſcandalum accipiamus ex aliorum actionibus, aut irritemur aduerſus ipſos. n.* XLII. *6. Vt maiori circumſpectione iudicemus de malitia aliorum. n.* XLIII. *7. Ne decipiamur in excuſatione vitiorum. n.* XLIV. *8. Vt prudentiores euadamus in conſiliis de aliorum actionibus. n.* XLV. *9. Vt caueamus hypocriſin Phariſaicam. n.* XLVI. *10. Ne intempeſtiua correctione aliorum, fiamus intolerabiles. n.* XLVII. *11. Vt aliis nos aſſimilando tempeſtiva monitione plures lucremur. n.* XLIIX. *Cauſam quod hæc communiter aliter fiant, potiſſimam eſſe, quod putemus, quod vni licitum eſt, aut illicitum, etiam tale eſſe alteri. n.* XLIX.

1. QVando de adiaphoria ſeu licentia actionum humanarum quæritur,

initio notandum hic ſermonem non eſſe de licentia externa ſolum ſed maxime de interna: quod probe notandum erat plerisque etiam ex docentibus, qui omnia, etiam Chriſtiano, licita eſſe arbitrantur, quæ ſunt impunia & ad quæ quis cogi non poteſt, aut ſaltem talia habent pro peccatis venialibus.

II. Igitur porro non tantum ſermo eſt de eo quod licet ex legibus iuſtitiæ, ſed & quod licet ex lege amoris.

III. Et quidem non ſolum ex lege amoris hominum rationalis, ſed & ex lege amoris divini, qui ad amorem rationalem aptos reddit.

IV. His ſuppoſitis cum amor hominum plures actiones disſuadeat, quam debitum iuſtitiæ, & amor Dei adhuc plures actiones euitandas eſſe inculcet, quam amor hominum, a facilioribus ita progrediendum erit ad difficiliora: (1) Actiones debito iuſtitiæ repugnantes, i. e. ob quas quis puniri poteſt, non ſunt licitæ: e. g. furari, contumelia aliquem afficere, fidem frangere.

V. (2) Actiones amori hominum rationali repugnantes non ſunt licitæ, e. g. benefico non referre gratiam, pauperi non dare eleemoſynam.

VI. (3) Actiones amori diuino repugnantes

tes non ſunt licitæ. Tales vero ſunt omnes actiones, quæ ducunt ad amorem creaturarum, vt deſiderare delectationem ex cibo, potu, re venerea, laude & obſequio hominum, & poſſeſſione creaturarum quarumuis quæ ſunt in commercio.

VII. Facilius autem determinari poſſunt in hac quæſtione actiones illicitæ, quam licitæ, quia actiones illicitæ ſunt contra legem Dei & adeo non poteſt homo iuſtus per eas intendere, quod velit adimplere voluntatem Dei.

VIII. At quod actiones licitas attinet, cum iam prænotauerimus, in hac quæſtione agi de licentia etiam interna, exinde patet, circa has magis reſpiciendum eſſe ad iuſtitiam hominis agentis quam ad actiones ipſas, cum actio ipſa externa poſſit frequenter eſſe legi conformis aut non difformis, & tamen homo ipſe interne habere peſſimam intentionem.

IX. Ita conuenire ad cultum externum diuinum, ita eleemoſynas dare pauperioribus, ita vitam ſeruare ei qui in periculo mortis eſt, actiones ſunt laudabiles & iuſtiſſimæ. Sed ſi homo ea intentione introëat in cœtum fidelium, vt oculis ſcortetur; ſi eleemoſynas dat, vt laudetur ab hominibus; ſi vxorem alterius ideo ex vitæ periculo liberet, vt adul-

terium cum ea committat, intentio hominis ipſam actionem ſimul inficit, & adeo vti homo in foro interno hic pro pio non; habebitur, ita nec eius actio.

X. Quodſi vero ita ſe res habeat, in actionibus a lege alias præceptis, multo minus dubium erit in actionibus legi indifferentibus. Nam v. g. licet edere, bibere, ambulare, ſcribere &c. Sed ſi quis talia faciat ex impulſu voluptatis, auaritiæ & ambitionis, actiones ipſæ erunt illicitæ.

XI. Ex dictis vero patet, in eo eſſe differentiam inter actiones illicitas & licitas, quod actiones illicitæ pertineant ad totum genus humanum, vel certe ad omnes homines ſub certa quadam conditione conſideratos, in actionibus vero licitis non licet quærere: hæc actio iuſta & licita eſt huic homini, ergo & mihi, cum ego poſſim habere aliam intentionem.

XII. Adde & illam rationem. Actiones illicitæ illæ, de quibus hactenus, reſpiciunt hominum communem eſſentiam genericam. At cum ſupra demonſtrauerimus, hominem ab homine ſpecie differre, & leges divinæ, potiſſimum lex amoris diuini fundet ſe in natura hominum etiam ſingulorum, patet iterum, quod vni proficuum atque adeo

iuſtum & licitum eſt, non ſtatim iuſtum & licitum eſſe alteri.

XIII Ita v. g. homo cui dominatur auaritia, & qui a natura a voluptate quaſi abhorret, non ita peccabit lautiore cibo vtendo, quam ieiunio. Contra homo voluptati deditus & parum auarus ieiunio rarisſime vtetur, vt actione illicita.

XIV. Sequitur porro ex dictis non adeo apte, quamuis communiter, quæri; an in genere v. g. ſaltare, ludere, in ſanitatem alterius bibere, falſiloquium dicere &c. ſint actiones licitæ? Nam quæ actiones per ſe non repugnant amori & iuſtitiæ, de iis generaliter quæri non poteſt, an ſint licitæ nec ne?

XV. Et fere generaliter in ſimilibus quæſtionibus ab vna parte ſupponitur, actiones tales plane eſſe illicitas: quibus ante omnia error eſt oſtendendus. Ita de falſiloquio *lib. 2. c. 8. §. 40. ſeq. Iurisprud. Diuinæ* erroneam ſententiam oſtendimus.

XVI. Similis eſt ratio in reliquis exemplis. Ita ſaltauit Dauid iuſte & licite. Ita poteſt quis cum alio ludere ad noſcendum ipſius animum, aut vt ipſum ab ebrietate diuertat. Ita poteſt quis inſanitatem alterius bibere ſaltem externi honoris ergo absque adulatione & inebriatione.

XVII. Vt vero iam ad quæſtiones tales a-

actionum quæ his licitæ eſſe poſſunt, illis illicitæ: reſpondeatur: ad duo reſpiciendum erit; ad decorum & ad intentionem agentis, quæ duo non ſunt confundenda.

XIIX. Alibi oſtendetur, dari decorum; quod iuſtum non eſt, & vice verſa non omne indecorum eſſe iniuſtum. Ergo poterit etiam contingere, vt quædam actio talis ſit indecora vel non decora, quæ tamen pro illicita non erit habenda, ſi agens præter intentionem ex præcipitantia vel ignorantia eam perpetret.

XIX. Ita v. g. ſi quis Politicus luſu pilæ vtatur ad ſudorem excitandum & per modum medicamenti, actio nec illicita erit, nec indecora Si Theologus aut miniſter verbi id faceret, non quidem illicitum, ſed tamen non decorum eſſet.

XX. Atque hæc obſeruatio maxime vtilis eſt cum in ſeculo viuamus, in quo decorum & pſeudodecorum quidem honeſti naturam induit, ita vt iuſti fere nulla habeatur ratio. Vnde & actiones iniuſtæ ſæpius pro decoris, non decoræ pro iniuſtis haberi ſolent.

XXI. E. g. decore ſcortari, blaſphemare, inebriari laudatur tanquam ſi maxime iuſtum eſſet. Aſt ſi v. g. vir pius ex Zeli aliquo indecoro exceſſu puellā virgis caſtiget, impii hy-

hypocritæ calumniantur tanquam parricidium aut veneficium commiſſum fuiſſet.

XXII. Simul tamen & illud notandum, vtpote contra quod etiam pariter impingitur: Eos potiſſimum qui aliis propoſiti ſunt vt Doctores vitare non ſolum debere actiones illicitas, ſed & indecoras. Sunt autem actiones illæ hic indecoræ, quibus abutuntur communiter auditores, aut quæ communiter perpetrari ſolent ab auditoribus ex impulſu paſſionum vitioſarum dominantium, etſi docens ex tali impulſu eas non faciat e. g. ſaltare, ludere, bibere in ſanitatem, falſiloquio vti. Vnde hic potisſimum valet: Non omne quod licet, honeſtum (i. e. laudabile aut decorum) eſt.

XXIII. Atque tales actiones maxime tranſeunt ad claſſem indecorarum, ſi a docentibus committantur in conſpectu, & adhuc magis, ſi in ipſa conuerſatione cum auditoribus: Et gradus indecentiæ augetur, quo magis ad Chriſtianiſmum accedit profesſio, qua docens fungitur.

XXIV. Vice verſa tamen audientes cauebunt, ne famam docentium ſugillent, ſi videant eos raro talibus actionibus vti, quibus ipſi non absque vanitate vtuntur. Sed potius eum neglectum decori imputabunt imbecillitati humanæ.

XXV. Pro qua tamen imbecillitate perperam etſi communiter venditatur, ſi docentes actionibus aperte turpibus, ſiue laſciuis, ſiue voluptuoſis, ſiue iracundis &c. iisque frequentibus ſcandalum præbeant auditoribus: etſi epicureiſmus noſtrorum temporum fere in ore habeat, theſaurum docentium conditum eſſe in vaſis fictilibus, & hoc male applicato dicto, turpidines illas excuſare ſoleat.

XXVI. Denique auditores caueant, vt, ſi docentes ex imbecillitate videant aliquid committere, quod non ita decorum eſt, non ſtatim putent, ſibi idem licere, ſed potius cogitent, quod ipſi ea intentione & animo indifferenti illam actionem non poſſint expedire, quo docens fecit, adeoque penſitent vulgatum: Duo cum faciunt idem, non eſt idem.

XXVII. Quod reſtat: Si absque reſpectu decori de iuſtitia actionum talium in ſe non illicitarum quæratur, nemo melius ad eas reſpondere poterit, quam ipſe quærens, cum iuſtam & iniuſtam faciat ſola intentio.

XXIIX. E.g. ſaltat Dauid licite, quia in honorem Dei: ſaltat illicite, qui intendit excitare amorem illicitum, aut laudem vanam ob vanam actionem. Falſiloquio licite vti-

tur

tur quis ad defendendum innocentem, illicite ad lædendum alterum &c.

XXIX. Vnde impertinenter in eiuſmodi actionibus quærimus aliorum conſilia: an v. g. poſſimus ſalua conſcientia ſaltare, ludere, &c. cum alter neſciat intentionem noſtram. Et tamen æque impertinenter ad tales quæſtiones reſponderi ſolet Talibus enim quæſtionibus plerique libelli, qui caſus conſcientiæ tractant, repleti ſunt.

XXX. Simul ratio patet, cur in legibus humanis actiones eiusmodi fere omnes pro licitis habeantur, quatenus aliorum ius per eas non læditur, partim quia leges humanæ, magis reſpiciunt præcepta iuſtitiæ, quam amoris, partim quia iudices difficulter poſſunt de alterius intentione iudicare, vnde hic quilibet præſumitur bonus.

XXXI. Scio e quidem, communiter a Doctoribus moralibus ad actionem iuſtam requiri non ſaltem rectitudinem finis, ſed & rectitudinem mediorum, & ne quis forte v. g. furetur corium ea intentione vt det calceos in eleemoſynas. Sed nihil muto.

XXXII. Nam pro me facit regula: Finem eſſe normam mediorum: & adeo non poteſt non medium eſſe bonum, ſi finis eſt bonus: Imo homo etiam inepta media bona fide adhibens non male egit, ſed bene. Ita pater, quod

quod filius inepte egit ad declarandum amorem ſuum, modo ſincere egerit, æqui bonique conſulit, & amore reciproco compenſat.

XXXIII. Errat autem & ſeipſum nondum cognoſcit, qui putat ſe bonam intentionem habere, cum male agit. Mentitur qui dicit ſe corium furatum eſſe ob eleemoſynas. Prætextus vero non eſt confundendus cum vera intentione.

XXXIV. Quæ obſeruatio ſimul tollit aliam grauem obiectionem: ac ſi doctrina hac aperiatur feneſtra delictis, quæ adeo licite perpetrari posſint, modo quis dicat ſe habere bonam intentionem.

XXXV. Nam præterquam quod hæc obiectio nos non feriat, qui de actionibus illicitis, prius regulas dedimus, & in diiudicandis actionibus licitis ante omnia certe ſuppoſuimus, eas non eſſe illicitas; intentio nunquam vere bona eſt, quæ medium illicitum habet: Nec pro bona intentione haberi poteſt, quæ non tendit ad ſummum & vnicum bonum hominis. Prætextus vero illi boni, male agentium ita plerumque ſunt comparati vt eorum falſitas cuique pateat.

XXXVI. Adde quod etſi demus aliquem bona fide & ex iuſto errore bonæ intentionis aliquid committere poſſe, quod legibus prohi-

hibitum eſt aut eſſe videtur, tamen iſti caſus in prohibitionibus euidentibus iuris naturalis, vtpote cordibus omnium hominum inſcriptis vix accidere poſſunt, in legibus vero humanis ſi contingant, non tamen poterit eorum exiſtentia aperire feneſtram delictis.

XXXVII. Nam nihil amplius tribueret iſta licentia, quam bonam conſcientiam in foro interno, nequaquam vero impunitatem in foro externo. Nam forum externum iudicat magis extrinſecam apparentiam actionum humanarum, quam vt ſemper reſpiciat ad intentionem internam,

XXXVIII. Exerit vero huius obſeruationis, (quod in actionibus nec præceptis nec prohibitis ſola intentio faciat moralitatem actionis, & quod adeo eiusmodi actiones in genere nec pro licitis nec pro illicitis haberi poſſunt,) vſus ſe multis modis. e. g. 1. quod docentes communiter a ſcopo ſuo aberrent, cum auditoribus ſuis æquales viuendi regulas præſcribunt, cum vix inter tres auditores aut duos deprehendatur æqualis intentio agendi, & v. g. ieiunium, vigiliæ &c. proſint quidem voluptuoſis, noceant vero valde avaris & ambitioſis.

XXXIX. 2. Vt ipſi in actionibus noſtris dirigendis non magnopere reſpiciamus conſilia

ſilia aliorum, plerumque ſe ipſos ac ſuas intentiones reſpicientium, ſed maxime examinemus intentiones proprias earumque ſcopum, at exinde magis quam ex aliorum exemplis aut intentionibus licentiam actionum noſtrarum iudicemus.

XL. 3. Vt nequaquam nobis perſuadeamus actiones noſtras bonas aut licitas eſſe, ſi eæ aptæ ſunt ad paſſiones noſtras infimas coercendas, ſi ſimul iisdem corroberetur paſſio dominans, ſed potius, vt eæ nobis tanquam maxime hypocriticæ ſuſpectæ ſint. Ita ambitioſus decipitur, ſi putet quod vigiliæ eius aut frequentatio cultus externi, aut informatio diligens aliorum, ſint actiones bonæ. Nam etſi per eas oppugnetur voluptas, ſuſtentatur tamen auaritia & ambitio.

XLI. 4. Vt hoc pacto magis magisque examinando malitias & hypocriſin cordis noſtri, quotidie creſcamus in contemptu & exinanitione noſtri, ſi obſeruemus, quod in actionibus noſtris quarum intentio aliis, & forte primo intuitu nobis etiam ipſis videtur eſſe optima, plerumque lateat primaria, quamuis occulta, intentio ſatisfaciendi paſſionibus noſtris vitioſis. e. g. ſi conſideremus eleemoſynas, preces, ieiunia noſtra &c.

XLII. 5. Vt non ita facile ſcandalum ſumamus ex aliorum actionibus, aut irritemur ad-

uer-

uerſum ipſos, ſi videamus ab iis committi actionem aliquam, quæ noſtram paſſionem dominantem irritet, cum poſſit eſſe, vt alter, qui aliam paſſionem dominantem habet, nõ habeat tam vitioſam intentionem, quam nos habituri eſſemus; aut etiam vt ipſius intentio ſancta ſit, vt ſi voluptuoſus videat alium apud quem voluptas infima eſt, amice plane conuerſari cum perſonis diuerſi ſexus.

XLIII. 6. Vt nec adeo proni ſimus ad iudicandum de aliorum malitia aut de gradu proæreſeos in eorum actionibus, ſi videamus eos eas actiones patrare abuſui facile, aut ſcandalo obnoxias, quas nos etiam naturaliter facile euitamus: vt ſi ambitioſus v. g. videat voluptuoſum ſaltare aut in ſanitatem bibere.

XLIV. 7. Rurſus vt non indiſtincte pro peccatis imbecillitatis habeamus in aliis, ad quæ nos valde inclinamus. Ita v. g. voluptuoſus communiter vt imbecillitatem humanam defendit frequentationem luſus, ſaltationum, bibitionum ſanitatum etiam cum ruina ſanitatis.

XLV. 8. Vt aliis non indiſtincte conſilium demus euitandi actiones, quæ nobis periculoſæ ſunt. Ita auarus in ſtudio Chymiæ facillime aberrat in Alchymiam. Quod periculum

lum non ita metuendum habet qui minime auarus eſt.

XLVI. 9. Vt euitare ſtudeamus hypocriſin Phariſaicam cogitando: Ego frequento templum, oro, ieiunio, nil niſi de Deo loquor & Chriſto, & alter iocatur, comedit cum hominibus voluptuoſis, raro frequentat templum, loquitur de nouellis: ergo ego ſum Chriſtianus, alter non eſt.

XLVII. 10. Ne intempeſtiua emendatione ex iſta hypocriſi profluente ſiamus aliis intolerabiles, imprudenter eos taxando in iis actionibus quas nos non committimus, aut quas cum dolore & repugnantia omittimus: e.g. Ne loquere de Nouellis, hoc parum Chriſtianum eſt, non delectationem debes capere ex hoc cibo, hoc non Chriſtianum eſt: iocatus es modo, hoc Chriſtianum non decet.

XLIIX. 11. Vt potius amica, ſed prudenti tolerantia ſiamus omnia omnibus, vt multos lucremur. Sic v. g. qui inter ludendi cupidos ſimulat ſe cum iis ludere velle, aut etiam per aliquod tempus ludit, facilius prætextum inuenit luſum abrumpendi, & poſtea, cupiditate ceſſante, aliud agendo vanitatem luſus oſtendendi, quam ſi in ipſo æſtu eos dehortetur & luſum omnem tanquam rem turpem & illicitam iis depingat.

XLIX.

XLIX. Quod vero contra hæc omnia communiter impingatur, prouenit ex eo, quod communiter negligamus meditationem naturæ noſtræ, quod eſſentiam noſtram putemus conſiſtere in intellectu noſtro, quod hunc conemur perficere præ voluntate, quod adeo putemus hominem hodie eſſe infimam ſpeciem, adeoque actionem vni licitam aut illicitam etiam alteri talem eſſe.

OBSERVATIO XIV.

ANAXAGORÆ DICTVM: COELI ET SOLIS VIDENDI CAVSA NATVS SVM, INEPTE A LACTANTIO REPREHENSVM.

SVMMARIA.

Occaſio obſeruationis. §. I. *Locus Lactantii in quo Anaxagoram accuſat incogitantiæ,* §. II. *& abſurditatis, quod oculis adſcripſerit omne officium hominis,* §. III. *& quod Dei oblitus fuerit,* §. IV. *magisque ad corpus quam ad animum hominis reſpexerit.* §. V. VI. *Sententia ipſa Anaxagoræ quomodo ab aliis referatur.* §. VII. *Alia eiusdem Anaxagoræ dicta priori non diſſimilia,* §. VIII. *Aliorum dicta huc appropinquantia.* §. IX. *Communiter ab aliis dictum Anaxagoræ explicari de oculis mentis.* §. X. *Loca eam in rem Gutherii & Ariſtotelis*

§. XI. *Argumentum pro hac ſententia ex alio dicto Anaxagoræ apud Ariſtotelem.* §. XII. *Fallacia Lactantii Anaxagoræ dictum in alienum ſenſum torquendo. Alia eiusdem loca Anaxagoram irridentis.* §. XIII. *Explicatur alius* Lactantii *locus, in quo Galleo, ſed abſque ratione viſus eſt laudaſſe dictum Anaxagoræ,* §. XIV. *Anaxagoram contra Lactantium defenſum eſſe a Betuleio, Thyſio, Hornio.* §. XV. *Neruus defenſionis horum autorum.* §. XVI *Lactantium alibi idem ſtatuiſſe, quod Anaxagoras hic ſenſit,* §. XVII. *item Ciceronem.* §. XVIII. Lactantium *verba Anaxagoræ captaſſe* §. XIX. *Fraudem eius ex modo diſputandi elucere.* §. XX. *Non eſſe crimen oſtendere Lactantii errores.* §. XXI. *An Anaxagoras in reſponſione ſua reſpexerit ad finem hominis vltimum, an ad intermedium?* §. XXII. *Lactantium & alios ab ipſo etiã diſſentientes reſponſionem Anaxagoræ explicare de fine vltimo.* §. XXIII. *Anaxagoram vero potius ad intermediũ h. e. ſtudium Aſtronomiæ reſpexiſſe,* §. XXIV. *idquod illuſtratur etiam alio paradoxo Anaxagoræ, niuem eſſe nigram,* §. XXV. *& aliis eius ſententiis ad aſtrologiam pertinentibus.* §. XXVI. *Lactantii reprehenſionem eſſe ſophiſticam, quicunque etiam ſit ſenſus Anaxagoræ.* §. XXVII. *Interim Anaxagoræ ſententia ex verioribus fundamentis poſſe impugnari,* §. XXIIX. *& in ſtudio*

Aſtro-

Aſtronomiæ non conſiſtere felicitatem hominis. §. XXIX. *Ordo ſtudiorum ad felicitatem hominis pertinentium.* §. XXX. *Studium Aſtronomiæ remotisſimum eſſe a felicitate hominis.* §. XXXI. *Thales a vetula ea propter irriſus.* §. XXXII. *Errorem Anaxagoræ etiam inter Chriſtianos tempore Lactantii regnaſſe, & adhuc hodie inter nos regnare.* §. XXXIII. *Sapientiam æſtimari ex ſcientia rerum remotisſimarum,* §. XXXIV. *Imo & ipſam felicitatem ex ſcientia rerum futurarum.* §. XXXV. *Ipſam Lactantii ſententiam de felicitate hominis eſſe erroneam,* §. XXXVI. *ſcilicet quod ea conſiſtat in ſpeculatione,* §. XXXVII. *cum & ratio & Scriptura oſtendat eam conſiſtere in charitatis actionibus.* §. XXXVIII. *Totum orbem Chriſtianum, eſſe hac parte Lactantianum* §. XXXIX.

§. I.

DIximus ſupra Lactantium ſæpe oratorie magis quam philoſophice diſputare aduerſus Philoſophos Gentiles. Quod vti forte alia occaſione fuſius declarabitur, ita iam eius rei ſpecimen damus ex obſeruationibus MSC. B. Iacobi Thomaſii, de Anaxagora a Lactantio reprehenſo.

§. II. Ita vero apud Lactantium legitur *lib. 3. diuin. inſt. c. 9. Anaxagoras cum ab eo quære-*

retur, cuius rei cauſa natus eſſet, reſpondit, cœli ac ſolis videndi. Hanc vocem admirantur omnes, & philoſopho dignam iudicant. At ego hunc puto, non inuenientem, quid reſponderet, effudiſſe hoc paſſim ne taceret. Quod quidem ſecum, ſi ſapiens fuiſſet, commentatum & meditatum habere debuit, quia, ſi quis rationem ſui neſciat, ne homo ſit quidem.

§. III. *Sed putemus, non ex tempore dictum illud effuſum: videamus in tribus verbis, quot & quanta peccauerit. Primum quod omne hominis officium in ſolis oculis poſuit, nihil ad mentem referens, ſed ad corpus omnia. Quid ſi cæcus fuiſſet, officiumne hominis amitteret? quod fieri ſine occaſu animæ non poteſt. Quid cæteræ corporis partes? num carebunt ſuis quoque muneribus? Quid quod plus eſt in auribus quam in oculis ſitum, quoniam & doctrina & ſapientia percipi auribus ſolis poteſt, oculis ſolis non poteſt.*

§. IV. *Cœli ac ſolis videndi cauſa natus es. Quis te in hoc ſpectaculum induxit, aut quid cœlo rerumque naturæ viſio tua confert? Nimirum vt hoc immenſum & admirabile opus laudes. Confitere ergo, rerum omnium eſſe conſtitutorem Deum, qui te in hunc mundum quaſi teſtem laudatoremque tanti ſui operis induxit. Magnum eſſe credis, videre Cœlum ac ſolem. Cur ergo gratias non agis ei, qui huius beneficii autor eſt? Cur non ipſius virtutem, prouidentiam, poteſtatem metiris*

ani-

animo, cuius opera miraris. Etenim neceſſe eſt, vt multo mirabilior ſit, qui mirabilia perfecit. Si te quiſquam vocaſſet ad cœnam, in eaque optime acceptus eſſes, num ſanus viderere, ſi pluris faceres ipſam voluptatem, quam voluptatis autorem?

§. V. *Adeo philoſophi ad corpus omnia referunt, nihil prorſus ad mentem, nec vident amplius, quam quod ſub oculos venit. Atqui remotis omnibus officiis corporis in ſola mente ponenda eſt hominis ratio. Non ergo ideo naſcimur, vt ea quæ ſunt facta, videamus, ſed vt ipſum factorem rerum omnium contemplemur, id eſt mente cernamus. Quare ſi quis hominem, qui vere ſapit, interroget, cuius rei gratia natus ſit? reſpondebit intrepidus ac paratus: colendi ſe Dei gratia natum, qui nos ideo generauit, vt ei ſeruiamus: ſeruire autem Deo, nihil aliud eſt, quam bonis operibus tueri & conſeruare iuſtitiam, ſed ille vt homo diuinarum rerum imperitus rem maximam redegit ad minimum, duo ſola deligens, quæ ſibi diceret intuenda.*

§. VI. *Quodſi natum ſe eſſe dixiſſet, vt mundum intueretur, quanquam omnia comprehenderet, ac maiori vteretur ſono: tamen non impleſſet hominis officium; quia quanto pluris eſt anima quam corpus, tanto pluris eſt Deus, quam mundus, quia mundum Deus fecit & regit. Non ergo mundus oculis, quia vtrumque eſt corpus, ſed*

V 3 *Deus*

Deus anima contemplandus eſt, quia Deus vt eſt ipſe immortalis, ſic animum voluit eſſe ſempiternum. Dei autem contemplatio eſt venerari & colere communem parentem generis humani. Quod ſi a philoſophis abfuit, proiectique in terram fuerunt diuina ignorando: exiſtimandus eſt Anaxagoras, ad quæ videnda natum ſe eſſe dixit, nec cælum vidiſſe, nec ſolem.

§. VII. Nunc, antequam reprehenſionem Lactantii conſideremus, videamus prius de ipſa ſententia Anaxagoræ. Diogenes Laertius *in eo p.m. 67.* dictum illud hoc ſenſu narrat. *Rogatus, cuius rei cauſa natus eſſet, inſpiciendi, inquit, cæli & ſolis, & lunæ.* Paulo aliter, ſic tamen, vt ſententiæ ponderi nihil decedat, Ariſtoteles *l. 1. Eudem. c. 5. Anaxagoram, aiunt, ambigenti cuidam, ſciscitantique, quare natum eſſe potius, quam non natum eſſe, expetendum ſit, reſpondiſſe cælum, mundique totius ordinem intuendi cauſa.* Geminum prope in modum Iamblichus *c. 6. Protreptici*, Menagio *ad Laertium f. 46.* citatus; *Anaxagoram, aiunt, cum interrogatus eſſet, cuius cauſa optabile eſſet, hominem naſci & viuere? reſpondiſſe, vt cælum intueretur, in eoque aſtra, & Lunam, & Solem: quaſi cætera omnia nullius eſſent momenti.*

§. IIX. Referuntur & alia quædam eiusdam Anaxagoræ apophthegmata non multum a noſtro præſente abeuntia. Nam, vt Philo

lo refert, (*ſub init. libelli, quod mundus ſit incorruptibilis.*) *Cælum intueri ſolitus Anaxagoras, cuidam ſciſcitanti, cur ita libenter ferret ſubdiualia peruigilia? reſpondit; vt cæli adſpectu fruar, curſus & recurſus ſiderum in orbem redeuntes ſubindicans.* Tale & illud, quod iterum apud Laertium legitur *p. 66. Anaxagoras ad ſpeculandam rerum naturam ſe contulit, rei publicæ omnino negligens, adeo vt cuidam, ſe ita compellanti, nullane tibi patriæ cura eſt? dixerit: Mihi vero patriæ cura & quidem ſumma eſt, digitum in cælum intendens.*

§. IX. Cæterum ad illud Anaxagoræ dictum, quod hic maxime cum Lactantio conſideramus, quam proxime accedit, alterum neſcio cuius, (nomen enim non exprimitur) quod e Pſeud-Auguſtino ſcriptore ſermonum ad fratres in eremo, refert Gatakerus, citante Gallæo *p. 260. ad Lactant.* Interrogatus enim quidam a Tyranno: *quare te Deus fecit?* reſpondit, *vt contempler cælum, & cælorum num na* (forte lumina.) Suſpiceris hoc ipſum Anaxagoræ dictum in animo ſcriptoris huius fuiſſe, ſed nomen Anaxagoræ aliasue circumſtantias excidiſſe. Simile quid ad Empedoclem retulit Antonin. Aug. *Tom. I. Part. hiſtorial. f. 37. Quærenti cuidam ab eo, cui uiueret, reſpondit Empedocles, vt aſtra inſpiciam. Tolle cælum, nullus ero.*

§. X. Nunc videamus aliorum de hoc Anaxagoræ reſponſo iudicia. Fatetur Lactantius (ſupra §. 2.) ab omnibus id vt philoſopho dignum æſtimari. Neque videre nobis quenquam, excepto Lactantio, contigit, qui reprehenderet. Nimirum Anaxagoræ dictum aliter illi acceperunt, aliter Lactantius. Hic de oculis corporis, illi de mentis oculis ſunt interpretati.

§. XI. Clarum hoc inprimis eſt ex loco Gutherii *p. 15. Tireſiæ. Viſus oculorum inter omnes ſenſus præſtantisſimus, res pulcherrimas, ſolem, mundum, lunam, cœlum intuetur, ex quibus magna rerum cognitio oritur. Quæ enim non videntur, per ea quæ videri poſſunt, oculorum beneficio a ſagaci mente conſpiciuntur. Vnde Anaxagoras homines non aliam fere ob cauſam natos putabat, quam vt viderent vel ipſum ſolem.* Clarius autem adhuc redditur ex Ariſtotele, *lib. I. Endem. c. 5.* qui, vbi dictum retuliſſet (*reſpice ad* §. *VII.*) ſtatim addit, ſenſiſſe Anaxagoram, *vitæ cupiditatem nonniſi ſcientiæ alicuius gratia laudabilem eſſe.*

§. XII. Idem Ariſtoteles *in fine cap. 4.* hæc refert: *Anaxagoras Clazomenius a quodam interrogatus, quemnam beatisſimum iudicaret? Nullum*, inquit, *ex iis, quos exiſtimas, ſed qui a felicitate alienisſimus tibi videatur. Animaduer-*

uerterat enim, niſi magnum, pulcrum, aut diuitem, neminem felicis appellatione dignum illi cenſeri, cum contra ſibi felices beatique haberentur, qui iuſtis honeſtisque actionibus tranquille incumberent, diuinaque aliqua contemplatione participarent. Secundum hæc, ſi & alterum Anaxagoræ dictum interpretamur, tantum abeſt, vt illis accenſendus veniat, qui, vt cum Lactantio e §. V. & VI. loquamur, proiecti in terram, ad corpus omnia, nihil prorſus ad mentem referunt, vt potius de ſummo hominis bono id ipſum, quod Lactantius, ſenſiſſe videatur.

§. XIII. Quod ergo adeo exagitat ipſum Lactantius, non aliunde eſt, quam quia verbis eius longe aliam mentem, atque ii, qui philoſopho digna ea iudicauerant, ineſſe arbitratus eſt. Non autem hoc tantum loco, ſed & alibi, quanquam breuiter Anaxogoræ iſtud apophthegma perſtringit. Vt *c. 23. huius ipſius libri 3. Quid dici poteſt de illo,* (Anaxagoram intelligi certum eſt) *qui nigram dixit eſſe niuem? quam conſequens erat, vt etiam picem albam eſſe diceret? Hic eſt ille, qui ſe idcirco natum eſſe dicebat, vt cœlum, ac ſolem videret, qui in terra nihil videbat Sole lucente.* Et *lib. 6. c. 1. Propterea ficti & inſpirati a Deo ſumus, non vt cœlum videremus, & ſolem (quod Anaxa-*

naxagoras putauit) ſed vt artificem Solis & cæli Deum pura & integra mente coleremus.

§. XIV. Eſt tamen, vbi in rem ſuam eodem Anaxagoræ dicto ſic vtatur Lactantius, vt laudanti propior eſſe, quam vituperanti videri queat Lectori non ſatis cauto. Index certe Gallæi laudari reſponſum Anaxagoræ profitetur. Locus eſt iterum *lib. 3. c. 12. Vita hæc licet ſit temporalis & labore plenisſima, expetitur tamen ab omnibus & optatur. Hanc enim tam ſenes quam pueri, tam reges, quam infimi, tam denique ſapientes, quam ſtulti cupiunt. Tanti eſt (vt Anaxagoræ viſum eſt) contemplatio cæli & lucis ipſius, vt quascunque miſerias libeat ſuſtinere?* Ergo ſui oblitum hic eſſe Lactantium dicemus? Minime vero. Neque enim iuris hic, ſed facti agitatur quæſtio, nec in diſceptationem venit, quem in finem ſit expetenda vita, aut quodnam homini pro ſummo bono debeat eſſe propoſitum? Sed, an expetatur vita? quod ſic fieri ab omnibus pronunciat, vt ea in re non differant a ſtultis ſapientes. Non dubium vero, quin hic etiam ſtultis annumeratum Anaxagoram voluerit Lactantius. Fatendum interim, dictum eius hoc in loco non perinde, ſaltem non ſic aperte, vt alibi, amaro ſale perfricari.

XV. Redeamus ad locum præſentem Lactantii, cæteris omnibus longe prolixiorem in

in quo variis rationibus Anaxagoræ ſententiam nemini ante ſe improbatam iugulaſſe ſe quidem credidit, ſed viris doctis id non perſuaſit. Betuleius enim, *in notis ad ipſum f. 167.* ita iudicat. *Quid Lactanti? Numquid idem dixit, quod tu , quum Naſonem imitatus τȣ̃ ἀνθρώπȣ etymologiam rimabaris? nam videtur omnino ex creaturarum contemplatione creatorem admirari. Id tum magis dicemus, ſi cum hoc apophthegmate aliud eiusdem conferemus. Nam cũ illi patriæ neglectus obiiceretur:* εὐφήμει, ἔφη, μοὶ γὰρ σφόδρα μέλει τῆς πατρίδος, δείξας τὸν ȣ̓ρανόν. Eadem eſt Antonii Thyſii ſententia, quanquam is meticuloſe loquitur, *notis ad Lactant. p. 165. Hæc,* inquit, *non tam male dicta, ſi intenderit, ex creaturis creatorem agnoſcere, atque ad cœlum Dei immortalis ſedem, oculos & animum direxerit.* Georgio quoque Hornio ſuſpecta Lactantii deciſio eſt. Sic enim ipſe *lib. I. Hiſt. Philoſ. c. 2. p. 10. Apud antiquos quoque Ethnicos opinio erat, hominem ideo conditum, vt cœlum contemplaretur, quemadmodum cuidam Anaxagoras reſpondit, irriſus propterea, (quam recte, hic non diſputo,) a Lactantio. Sic Naſo: Os homini ſublime dedit, coelumq; tueri iuſſit.*

XVI. Si rem ipſam curatius perpendas, eo tendunt hi omnes, quamuis alius alio euidentius, aut cauſæ cum fiducia maiore, quod exiſti-

exiſtimant, iniuriam Anaxagoræ a Lactantio factam, & quidem iniqua dicti expoſitione, quod exaudiendum ſit non proprio ſenſu, ſed tropico, ita quidem, vt Anaxagoras voluerit, ideo creatum eſſe hominem, vt erectis in cœlum oculis cœleſtia, atque in his maxime Deum ipſum ſpeculetur: id Ouidium ſenſiſſe, id cum Ouidio Lactantium ipſum alibi enunciaſſe.

XVII. Locus Lactantii ad quem diſerte prouocat Betuleius, habetur *lib. 2. cap. 1.* vbi cum verba Ouidii (quæ leguntur *lib. 1. Metam. v. 84. ſeqq.*) protuliſſet, ita pergit. *Hinc utique ἄνθρωπον Græci appellarunt, quod ſurſum ſpectet. Spectare nos Deus cœlum voluit, vtique non fruſtra: nam & aues, & ex mutis pene omnia cœlum vident: Sed nobis proprie datum eſt, cœlum rigidis ac ſtantibus, intueri, vt religionem ibi quæramus, vt Deum, cuius ſedes illa eſt, quem oculis non poſſumus, animo contemplemur.*

XIIX. Affinia his ſunt Ciceronis quædam, tametſi errore Ethnico de animabus e cœlo in corpora lapſis maculata *lib. I. de Leg. p. 161. Cum cæteras animantes abieciſſet* (natura) *ad paſtum, ſolum hominem erexit, ad coeli quaſi cognationis, domiciliique priſtini conſpectum excitauit. Et de ſenect. p. 93. Credo Deos immortales ſparſiſſe animos in corpora humana, vt eſſent, qui terras tuerentur, quique cœleſtium ordinem contem-*

templantes, imitarentur eum vitæ modo atque conſtantia.

XIX. Omnino autem Anaxagoræ mentem peruertiſſe hic Lactantius videtur. Fateor equidem ſenſum, quem exculpit Lactantius ipſo verborum, ſi proprie accipiantur, ſono prodi. Sed quis credat Anaxagoram ſic deſipuiſſe, vt vel hominis cuiusque, vel ſuum officium ſolo circumſcriberet oculorum miniſterio, non aliter cœlum ac ſidera intuentium, quam, quod noſtrate prouerbio iactatur, vacca ſolet portam nouam, h.e. absque omni intellectus occupatione?

XX. Videtur hoc ipſi Lactantio ſuboluiſſe. Itaque vt nihilominus cauſæ ſuæ conſuleret, non modo initio fingit, (*vide* §. *II.*) ſubitam eius hanc fuiſſe planeque extemporaneam reſponſionem, quæque adeo ipſi per imprudentiam quandam exciderit: ſed etiam onus probandi hanc fuiſſe Anaxagoræ mentem, penitus refugit, copioſus alioqui in probando eo, quod hic non perinde veniebat in controuerſiam, beatitudinem hominis in animæ potius verſus Deum, quam corporis verſus cœlum functione reponi.

XXI. Equidem inuitus facio, vt Ethnico philoſopho aduerſus Chriſtianum ſcriptorem patrociner. Sed vincat veritas. Et vero ſi aliis licet, næuos Lactantii Theologicos

cos detegere, nobis etiam fas fuerit, ſi quid ab eo in hiſtoria philoſophica peccatum eſt, aperire.

§. XXII. Vt ad ſenſum Anaxagorei reſponſi verum perueniamus, primum ipſius quæſtionis explicanda vis eſt. Ac certum quidem, interrogatum eum fuiſſe de fine hominis. Sed cum finium noſtrorum ſummus ſit alius, alius intermedius, de vtro capienda ſit quæſtio, nondum ſatis manifeſtum dixerim. Id vt rectius intelligatur, obſerua, ſummum quidem omnium hominum finem vnicum eſſe, vt ad gloriam Dei referant omnia, intermedios vero longe plurimos, cum alia ſint aliorum ſiue ſtudia, ſiue officia honeſta ſpecialia, quæ interim ſingula debent a ſingulis in honorem Creatoris vltimo referri. Vt rem ex noſtrorum temporum ratione declaremus, qui bonis literis nauamus operam, alius Theologiæ ſtudium cæteris præfert, alius Iuriſprudentiæ, Medicinæ alius, alius Philoſophiæ: & quos Philoſophia delectat, alius tamen ex alia eius parte plus haurit voluptatis.

XXIII. Iam cenſet Lactantius, propoſitam fuiſſe Anaxagoræ quæſtionem de ſummo hominis cuiusque fine. Nec abnuunt, quos hic alias a Lactantio diſſentire dixi, Betuleius, Thyſius, Hornius. Ego vero, licet hanc

ex

expoſitionem tolerari poſſe credam, & ſecundum ipſam quoque Anaxagoram defendi, quod illi tres faciunt, crediderim tamen de fine potius intermedio rem eſſe interpretandam, vt ſenſus fuerit quæſtionis, quonam ſtudio maxime capiatur Anaxagoras, ita quidem, vt eius voluptate & ipſe condiat huius vitæ moleſtias, & aliis item credat perſuaderi poſſe, vt nati eſſe, quam non eſſe malint. Reſpondet ipſe: Cœli ac Solis videndi gratia. Hoc alii ad finem vltimum trahunt, qui eſt contemplatio Numinis diuini; ego malim ad intermedium, vt ſignificauerit Anaxagoras, maxime ſe ſtudio Aſtronomiæ delectari. In eo interim conſenſus eſt, viſionem hic vltimo intelligi non eam, quæ corporis, ſed quæ mentis oculos occupet.

§. XXIV. Vt ad Aſtronomici ſtudii profesſionem hoc reſponſum referam, cumprimis illud me mouet, quod hac ratione pulcherrime conſentiant, quæ variis ex autoribus de huius apophthegmatis hiſtoria cumulauimus. Philo retulit, intuendi cauſa ſubdiualia peruigilia pertuliſſe Anaxagoram. Laertius ipſum, patriæ neglectum ſibi exprobrantibus, negauiſſe hoc crimen, quia ſcilicet iugi contemplatione perueſtigaret, quid rerum in cœlo gereretur. (*vide ſupra* §. 8.) Iamblichius eo reſponſum eius refert, quod præ ſiderum

rum ſpeculatione cætera omnia paruipenderit. (*vide* §.7.)

XXV. Ac neſcio annon in hunc ſenſum illud etiam Anaxagoræ flectendum veniat, in in quo alias, vt a Lactantio (*ſupra* §. 13.) ſic & ab aliis paſſim ridetur, quod niuem nigram eſſe dixit, volens nimirum indicare, adeo ſibi terræ præ cœlo nullam eſſe curam, vt alba nix, an atra ſit, nihil ad ſe credat pertinere.

§. XXVI. Sed de hoc ſtatuat quisque vt lubet. Illud quidem certe ex iis, quæ de Anaxagora Laertius alias refert, colligi poteſt, animi contentione haud mediocri deditum fuiſſe Anaxagoram ſiderum ſcientiæ, quamquam, vt ea fuerunt tempora, non leuiter eſt in eadem hallucinatus. Refert autem Laertius, quod dixerit: *Solem candens ferrum eſſe, ac penitus ignitum, & Peloponeſo maiorem: - Lunam habitacula in ſe habere, & colles, & valles: - ſydera principio quidem turbato & confuſo motu ferri ſolita, ita ſecundum terræ verticem eum, qui ſemper apparet, polum verſari, poſtea vero inclinationem accepiſſe. Lacteum orbem reflexum eſſe ſolaris Luminis, non intermicantibus aſtris: Cometas errantium ſtellarum eſſe concurſum, flammas ex ſe emittentium, eosque veluti ſcintillas ab aere vibrari.* Pertinet huc etiam Epitaphium a Lampſacenis eidem Anaxa-

xagoræ poſitum apud eundem Laertium.

§. XXVII. Siue autem noſtra hæc interpretatio, ſiue illa, quam e Betuleio aliisque retulimus, obtineat, cadit certe reprehenſio Lactantii. Quicquid enim is contra Anaxagoram diſſerit, in eo præſupponit ſenſum a nobis reiectum. Quem ipſi, nullo penitus argumento probanti cur concedamus, nihil eſt cauſæ.

§. XXIIX. Hucusque meditatio MSC. Iacobi Thomaſii; Quæ vti ſatis probabiliter ſententiam Anaxagoræ de ſtudio Aſtronomico explicuit, ita duobus verbis id adhuc monemus, nos dum ineptitudinem diſputationis Lactantianæ aduerſus Anaxagoram oſtendimus, propterea non approbare ſententiam Anaxagoræ, quaſi ſumma aut ſaltem magna felicitas hominis conſiſteret in contemplatione ſcientifica aſtrorum. Quin imo fatemur, ſi affectibus non ſeruiiſſet Lactantius, ſi loco floſculorum & fucorum Rhetoricorum ſinceritatem iudicii logici adhibuiſſet, eum facile graues rationes inuenire potuiſſe, reprehendendi dictum Anaxagoræ.

XXIX. Quamuis enim non negemus, ſtudium Aſtronomicum, ſi contradiſtinguatur Aſtrologiæ iudiciariæ, ſuas habere easque non contemnendas vtilitates intuitu generis humani, in eo tamen ponere vel-

le felicitatem generis humani, aut aſſerere velle, hominem huius ſtudii gratia a Deo in hunc mundum collocatum eſſe, id quidem nimium quantum a veritatis tramite aberrat.

XXX. Quo propiores nobis ſunt res quæ ſub intellectum cadunt, eo magis faciunt ad ſapientiam & felicitatem hominis, & quo remotiores ſunt, eo remotius eam attingunt. Noſſe ſeipſum initium ſapientiæ eſt, medium & finis. Exhibet quidem hæc ſui notitia clauem ad ſcientiam reliquarum creaturarum, imo ad notitiam Dei manifeſtati in creaturis. Sed vti abſque ea de reliquis creaturis nihil niſi errores captat intellectus, ita eadem manuducit hominem, vt poſt ſui notitiam ſollicitus ſit de notitia aliorum hominum, primo quidem propriæ familiæ, tum ciuitatis ſub qua degit, tum aliorum regnorum, tum creaturarum terreſtrium, tum denique cœleſtium.

§. XXXI. Contra qui Aſtronomiæ cum magna animi attentione, vti faciebat Anaxagoras, operam dant, fere illi ſoli incumbunt, & ſic ſe ineptos reddunt non ſolum ad notitiam creaturarum terreſtrium, ſed & ad ſtudium Politices, & officia patriæ exhibenda, (quod & ipſum Anaxagoræ obiectum fuiſſe ſupra dictum fuit) maxime vero omnium inca-

capaces fiunt ad ſui notitiam & æſtus affectuum reprimendos.

§. XXXII. Notum eſt, quid de Thalete referat, vel Laertius vel alius quispiam Autor, quod cum noctis tempore contemplationi ſiderum incumberet, incautus in foueam inciderit, ac propterea a vetula irriſus fuerit, quod de iis, quæ in cœlo acciderent, curioſus eſſet, ea vero quæ in terra ſint & ante pedes poſita cum damno ſuo negligeret.

§. XXXIII. Talia ſi inculcaſſet Lactantius in diuinis ſuis inſtitutionibus, non ſolum officia boni diſputatoris obſeruaſſet, ſed & impleſſet Doctoris Eccleſiaſtici officium, ac monita Chriſtianis quoque ſalutaria inculcaſſet. Vti enim adhuc noſtro tempore & ſapientiam & felicitatem a rerum remotarum ſcrutatione metimur, ita multæ ſunt, & graues coniecturæ, quæ nobis perſuadent Chriſtianos Lactantii tempore eodem næuo laboraſſe.

§. XXXIV. Scilicet qui honeſte viuit, qui familiam ſuam bene curando officia boni patrisfamilias implet, qui bonus ciuis eſt, & ſic neceſſario in notitia ſui ipſius, notitia familiæ & ciuitatis ſuæ magnos progreſſus fecit, cum ſine ea nec vir bonus, nec bonus paterfamilias, nec bonus ciuis eſſe poſſit, pro homine ſimplice & idiota, minime pro ſapiente

habetur. At qui antiquitates hiſtoricas callet, qui peregrinatus eſt & de antipodibus loquitur, qui arcana naturæ ſcrutatur, ſiue ſubterranea ſiue ſupraterranea, qui oculis armatis inteſtina inſectorum rimatur, qui curſus ſiderum obſeruat, vno verbo, qui ſemper cogitationibus ſuis extra ſe vagatur & nunquam domi eſt, hic pro erudito, pro politico, pro ſapiente habetur, etiamſi in ciuitate ſua peregrinus & in domo ſua hoſpes, denique ab animo ſuo exul omniumque quæ iſtis in locis geruntur, ignarus ſit.

§. XXXV. Rurſus quod felicitatem attinet, qui de ſalute aliorum ſollicitus eſt, qui de felicitate & infelicitate alterius ſeculi curioſisſime quærit, qui diabolorum aut damnatorum vel temporalem vel perpetuam infelicitatem tanquam ad eam rem cónſtitutus arbiter pronunciat, qui de felicitate adhuc in hoc ſeculo vel ſperanda vel deſperanda ſæpe ſubtiliter magis, quam proficue diſputat, is ab alterutra Chriſtianorum ſecta pro eminenter felice, i. e. Chriſtiano (infelix enim verus Chriſtianus eſſe non poteſt, cum Chriſtianus non poſſit non beatus eſſe, contradictio autem ſit, beatus infelix) prædicatur & ſuſpicitur, etiamſi dum de his rebus omnibus ſtrenue pugnat, valde infelix, h. e. ſeruus pasſionum ſuarum exiſtat, aut ſpuria felici-

ta-

tate ſeu tranquillitate imaginaria gaudeat. Contra qui ſibi perſuadet, ſe in acquirenda aut conſeruanda propria felicitate ſemper inuenire, quod agat, ac ſollicitudinem iſtam inquietam de aliorum felicitate aut infelicitate, teſtimonium eſſe propriæ infelicitatis, denique felicitatem futuri ſeculi, eſſe continuationem beatitudinis præſentis, quamuis cum ſummo augmento, eumque qui eius præguſtum in hac vita corde non ſentit, eo magis infelicem eſſe, quo magis intellectus eius curioſis illis conceptibus de felicitate futura eſt repletus, illum vero qui iam beatus eſt, fruitione præſentis felicitatis ſic affiçi etiam in intellectu ſuo, vt de eiusdem continuatione, &, ob eminentiam augmenti omnem experientiam ac ſenſum excedentis imperceptibilitate iam certus, piaculum putet, ſpeculatione fruſtranea & phantaſtica futurorum, & formatione idearum vmbratilium periculum ſubire, vt inſtar canis Æſopicæ felicitatem etiam, qua iam fruitur, amittat; is non ſolum pro non Chriſtiano, ſed & vel pro Atheo, id eſt homine reuera infeliciſſimo, vel certe pro candidato æternæ infelicitatis communiter tam ab iis qui Chriſtiani videri volunt, quam ab iſtis, qui Chriſtiani externa morum integritate eſſe videntur, verbis aut factis habetur.

§. XXXVI. Sed iſta quidem a Lactantio ſperari non poterunt, cum totus eius liber a capite ad calcem oſtendat, eum iſtis opinionum erroribus, quos iam recenſuimus, ipſummet intime fuiſſe infectum. Vnde nec mirandum, quod ipſius de fine hominis ſententia qua Anaxagoræ dictum *ſupra* §. *5. & 6.* emendare voluit, etſi prima fronte, dum de cultu Dei loquitur, videatur ſatis commoda, ſi tamen eam penitius rimeris, a vero ſapiente maiori iure ſit reprehendenda, quam quo ipſe reprehendit ſententiam Anaxagoræ.

§. XXXVII. Quod vt pateſcat, more Algebraiſtarum res incognitas ex æquatione cognitarum inuenientium, ſententiam ipſius conſideremus. Ait hominem *colendi Dei* gratia eſſe conditum. Ait *colere* Deum eſſe *ſeruire Deo.* Ait *ſeruire Deo* eſſe *bonis operibus tueri & conſeruare iuſtitiam.* Ait *contemplari Deum* eſſe *colere & venerari Deum.* Igitur cum hæc omnia a Lactantio ſibi inuicem ſint exæquata, neceſſe eſt etiam, *bonis operibus tueri & conſeruare iuſtitiam* eſſe *contemplari Deum.* Vno verbo ſpeculationem rerum Diuinarum eſſe cultum Dei ac ſummam felicitatem hominis, ſpeculationes vero ſiue diſputationes, quales ſunt totæ inſtitutiones Lactantii, eſſe opera iuſtitiæ ſeu fidei.

§. XXXIIX. Iam vero quid a ratione recta &

& ſacris literis poterat dici alienius. Docet ratio communis nullam ſpeculationem hominem reddere felicem. Docet Scriptura beatitudinem conſiſtere in cognitione & cultu Dei; Docet vero ſimul, cognitionem Dei conſiſtere in amore fratrum, & cultum Dei genuinum eſſe benefacere egenis ac viduis. Vno verbo ſcriptura docet felicitatem ac beatitudinem eſſe practicam & ipſas ſpeculationes debere reſolui in praxes. Lactantius vero ipſas praxes reſoluit in ſpeculationes.

§. XXXIX. Sed iſte quidem capitalis & ex falſa Gentilium ſapientia in Chriſtianiſmum deriuatus error adhuc hodie regnat. Hinc quemadmodum olim ex Doctoribus Eccleſiæ quiſpiam conquerebatur; quod totus Orbis Chriſtianus Arianus factus ſit, ita meliori iure conqueri quis poſſet, quod intuitu præfati erroris totus orbis Chriſtianus factus ſit Lactantianus. Sed iſta quidem prolixius excutere ad noſtrum ſcopum non pertinet.

OBSERVATIO XV.
SENTENTIA ANAXAGORÆ DE NIGREDINE NIVIS.

SVMMARIA.

AVtores Anaxagoræ ſententiam hanc adſcribentes §. I. *Id vero fabulæ videri ſimilius, præprimis, cum de ea taceat Laertius.* §. II. *Rationem etiam quam Cicero Anaxagoræ in defendenda hac ſententia attribuat*, §. III. *eſſe abſurdam* §. IV. *Georgium Hornium deducere hanc doctrinam Anaxagoræ ex hypotheſi Scepticorum.* §. V. *Anaxagoram videri potius nimium ſenſibus tribuiſſe.* §. VI. *Forte Anaxagoram hæc intellexiſſe Metonymice, quod nix ſit effectus principii nigri h. e. materiæ.* §. VII. *Forte eum narraſſe aliis, quod oculis diu in ſolis ſpeculatione occupatis nix apparuiſſet nigra.* §. IIX. *Forte voluiſſe indicare, ſpeculationem rerum terreſtrium eſſe nullius momenti.* §. IX. *Iudicium ea de re noſtrum.* §. X. *An Anaxagoras fuerit Scepticus?* §. XI. *Triplex diſſenſio de ſenſu ſententiæ Anaxagoræ.* §. XII. *Nullam earum explicationum poſſe deduci ex hypotheſi Scepticorum* §. XIII. *Omnes tres videri ad figmenta aduerſariorum pertinere* §. XIV. *Aut ſaltem eum ſtatuiſſe non abſurde, niuem non eſſe albam,* §. XV. *haudquaquam vero, niuem non videri albam, aut eſſe nigram,* §. XVI. *Lactantium vero, vt vltimum hoc ei affingeret, forte inductum fuiſſe incauta argumentatione*

a ſenſu contrario §. XVII. *Forte etiam Anaxagoram diſputaſſe contra falſam aliquam nigredinis definitionem*, §. XIIX. *non autem ipſummet, ex tali definitione videri abſurdum iſtud dogma deduxiſſe.* §. XIX.

§. I.

PRæcedente obſeruatione etiam mentionem iniecimus ſententiæ Anaxagoræ de nigredine niuis, vnde non iniucundum erit de hac ſententia aliquid commentari, cum hoc modo & res literaria & hiſtoria philoſophica multum illuſtretur. Sententiam hanc Anaxagoræ multi retulerunt, ipſumque vt abſurdæ authorem opinionis irriſerunt. Inter hos Cic. *Lucullo p. 18. & 25.* item Lactantius *lib. III. c. 23.* Mihi ſæpe in mentem venit dubitare, potueritne tam ſapiens (vt inter gentiles) Philoſophus eo venire inſaniæ, vt tam ab omni ſenſu alienum dogma defenderet.

§. II. Confirmauit ſuſpicionem, quod videbam Laërtium Diogenem *p. 65. ſeqq.* in eius vita prorſus ea de re perinde vt alibi de excœcatione Democriti (quæ & ipſa fabuloſis narrationibus accenſenda videtur) tacuiſſe, non id facturum, ſi ita ſenſiſſet Anaxagoras. Merebatur enim hæc tam prodigioſa ſententia præ omnibus annotari. Itaque putem veſaniam illam aut alii Anaxagoræ

(tres fuerunt præterea, Laërtio teſte, vnus Orator,alius ſtatuarius,tertius Grammaticꝰ) ac fortaſſe Oratori quam Clazomenio ſeu Philoſopho tribui oportere: aut ſi dictum eiusmodi excidere ſibi paſſus eſt Clazomenius,alio longe ſenſu id ipſum intellectum voluiſſe quam factum eſt vulgo,aut denique totam rem eſſe confictam.

§. III. Video quidem a Cicerone *p.25.* proferri non dogma id modo, ſed eius etiam rationem, qua ſuadere id voluerit Anaxagoras. Verum ne id quidem quod rationis loco affertur, tale eſſe dixerim vt conſentaneum ſit ab eo philoſopho allatum fuiſſe. Verba Ciceronis hæc ſunt: *Anaxagoras id non modo ita eſſe negabat* (niuem eſſe albam) *ſed ſibi, quia ſciret aquam nigram eſſe, vnde illa concreta eſſet, albam ipſam eſſe ne videri quidem.* Putes ergo ſic eum argumentari voluiſſe: quod ex aqua nigra concretum,id ipſum nigrum, Nix ex aqua nigra concreta. E. & ipſa nigra.

§. IV. Miſerrimum profecto argumentum & vix puero dignum,ſiue maiorem videas ſiue minorem. Maiorem: quis enim neſcit concretione, rarefactione, concoctione ſæpius rebus colorem mutari, adeoque vel nigræ gallinæ pullum eſſe album. Minorem: eiusdem enim ſtuporis eſt, aquam quæ pellucida, quam niuem quæ alba eſt,nigram

aſſe-

aſſerere. Tam ergo abſurdi ſyllogiſmi, nec in concluſione modo, ſed præmiſſis etiam ab humano ſenſu omni recedentis, Authorem Anaxagoram fuiſſe, dubitari poteſt.

§. V. Niſi dicamus illum ſcepticorum ſententiæ fauiſſe, qui omnem ſenſibus fidem abrogabant. Et ex hoc quidem ipſum interpretatur Georgius Hornius *Lib. III. Hiſt. Philoſ. c. 18. p. 210. Anaxagoras quoque*, inquit, *ab ea opinione non alienus fuit. Vnde enim niſi ab ἀναληψία quadam profectum eſt, quod atram eſſe niuem dixit?* Ac reperias fortaſſe, qui ex principiis recentium Philoſophorum quorundam, quibus atomi Epicureæ claræ ſunt, & illarum doctrinam in opticam Philoſophiæ partem transferre placuit, vtcunque licet, non abſque aliqua violentia, conficere poſſint, vi horum principiorum ſequi, vt aquam & porro niuem nigram eſſe conueniat.

§. VI. Quod vt ſua probabilitate non caret, (quis enim certo affirmare auſit, Anaxagoram de ſcepticiſmo nihil traxiſſe?) tamen ſi cogitamus, quod de eo Läertius ſcripſit *p. m. 66. dixiſſe eum, ſolem candens eſſe ferrum*, putare promtius eſt, quod ipſe nimium potius ſenſibus, etiam deceptis, quam parum, nunciis verorum, dederit.

§. VII. Quodſi ergo alium quendam ſenſum, quam quem literalem verba præ ſe ferunt,

runt, in animo habuiſſe Anaxagoram illa cum diceret putamus, quem ergo tandem? An aquam eſſe nigram ſic exaudiendum quaſi per Metonymiam, quod ſit effectus principii nigri i. e. aquæ. Aquam autem nigram appellauit, quia cum Thalete ſtatuit aquam principium rerum, vt alia Obſeru. probabimus. Id vero materiale principium, qui materiam exæquabant Deo, tenebris comparauerunt, vti Deum luci, imo ipſam materiam σκότος appellauerunt, & Deum φῶς.

§. VIII. An euenit aliquando forte illi, vt cum diu oculos in hiberno ſole defixiſſet, vti fuit ſiderum ſcrutator maximus, fortaſſe deprehendendi aliquid cauſa, poſteaque eos convertiſſet ad niuem, eaque nigra appa-ruiſſet, quid ſibi ſic euenerit, enunciaret aliis, quod poſtea ſic acceptum fuerit, quaſi ab eo qui vere niuem eſſe nigram profiteretur.

§. IX. An id voluit, in contemplatione cœleſtium rerum ita hærendum eſſe, vt quid in terra rerum geratur, nix alba ſit an atra, nihil ad nos pertinere exiſtimemus? Præprimis cum Thaletis exemplo Aſtronomicarum rerum maxime ſtudioſus fuerit, vt obſeru. præcedente fuſius probauimus?

§. X. Ac hæc quidem iterum ſunt conie-

ctu-

ſturæ B. Iacobi Thomaſii, quibus ſi & noſtras licet adiungere, ante omnia intereſſe putamus, diſcernere, vtrum ſcepticæ ſectæ addictus fuerit nec ne, tum quid præciſe ſtatuerit, vtrum ſaltem negauerit niuem eſſe albam, an inſuper etiam ſtatuerit eſſe nigram.

§. XI. Quod ſcepticis dubiis non videatur fuiſſe addictus, præter dubium §. *6. allatum*, & illud ſuadere videtur, quod in modo laudati Beati viri MSC.] notatum eſſe deprehendamus, Piccartum *diſp. de criter. ſcient.* §. *19. p. 468. Philoſ. Altdorff.* obſeruaſſe, quod Anaxagoras tantum tribuerit ſenſibus, vt verberibus dignos iudicaret, qui iis repugnant.

§. XII. Quoad ipſam Anaxagoræ ſententiam, deprehendo eam inconſtanter proferri ab antiquis. Lactantius ipſi imputat, quod *dixerit niuem eſſe nigram.* Locum eius dedimus *obſ. præced.* §. *14.* Cicero ita eam profert, (*ſupra* §. *3.*) Anaxagoram *negaſſe niuem eſſe albam*, imo *negaſſe, quod videatur alba.* Galenus vero *lib. 2. de virtute ſimplicium remediorum circa finem, atque iſtorum*, inquit, *nonnulli etiam Anaxagoram teſtem adducunt, qui de niue pronunciarit, quod non ſit alba.* Adeoque & hic non aſſerit, quod Anaxagoras dixerit niuem eſſe nigram, ſed ſaltem quod negauerit eſſe albam.

§. XIII.

§. XIII. Iam quod prius attinet, puto ob dicta §. *6.* & *11.* veroſimile maxime mihi videri, Anaxagoram Scepticis non eſſe accenſendum. Nec moueor coniectura Georgii Hornii §. *6.* adducta, cum ea quidem principiis Scepticorum tota repugnet. Quomodo enim Scepticus ſaluis ſuis principiis poſſet aſſerere, *niuem eſſe nigram*, qui nihil omnino aſſerit, ſed de omnibus rebus iudicium ſuum ſuſpendit. Aut quomodo poſſet ille ſaltem dicere, niuem ſibi videri nigram, qui in rebus ad ſenſus pertinentibus nunquam diſſentiebat ab aliis hominibus ſenſu communi vtentibus, ſed ſaltem in iis aſſertionibus quæ alii ex iſtis ſenſionibus aſſerebant. Ita cum alius diceret: hæc res mihi videtur eſſe longa, quadrata, alba, Scepticus reſpondebat, & mihi. At cum alter aſſereret: Hæc res *eſt* longa, quadrata, alba, tum Scepticus diſſentiebat. Imo proprie nec diſſentiebat, ſed ſaltem non conſentiebat. Aſſerenti igitur: *Nix videtur alba*, Anaxagoras ſi fuiſſet ſcepticus haud dubie reſpondiſſet; *Et mihi.* Aſſerenti vero: *Nix eſt alba*, non potuiſſet contrarium dicere: *Nix eſt nigra*, imo ne quidem: *Nix non eſt alba*, ſed ſaltem reſpondiſſet: *Nix forte eſt alba, forte etiam non, ſed ſolum alba videtur.* Igitur neque ex principiis ſcepticismi negare poterat ſaltem Anaxa-

xagoras niuem eſſe albam.

§. XIV. Iam quod ipſam ſententiam Anaxagoræ attinet de niue, initio tacente de ea Laertio ſcriptore ſedulo, ingenuo, nec ſectæ Anaxagoræ addicto, mihi videtur probabilisſimum, eam quanta quanta eſt, eſſe figmentum aduerſariorum eius. Iſte enim mos & adhuc regnat & omni tempore regnauit, quod philoſophi & omnes ſectarum quarumcunque pſeudo-ſapientes plura de aliis & maiori cum impudentia mentiti fuerint, quam vilisſimi de plebe. Quid non de ſcepticis mentiti ſunt Ariſtotelici & alii, quæ nunquam ſcepticis venere in mentem, & quorum contrarium vel ex ſcriptis Sexti Empirici, vel ex operibus Mothæi Vayerii apparet. Quid non de Epicuro & Epicureis Academici & Stoici, neque ſolum iactator ille & inanisſimus homo Marcus Tullius Cicero, ſed & vir ſobrius & bonus Lucius Annæus Seneca calumniati ſunt? Et tamen doctisſimus Gaſſendus amplisſime oſtendit, iſta omnia fabulas eſſe. Sed annon & hodie talia exempla paſſim proſtant, vbi inutilisſima terræ pondera, & numerus hominum, ac fruges conſumere nati, quotidie viris de bono publico ſincere ſollicitis immania opinionum portenta impudentisſime affingunt.

§. XV.

§. XV. Quodſi vero aliquid ſaltem ex vero ſitum ſit in relatione illa de doctrina Anaxagoræ, putarem, Anaxagoram etiamſi nec Scepticus fuerit, nec ſenſibus veritatis criterium denegauerit, putaſſe tamen *niuem non eſſe albam*, vt Cicero & Galenus eius ſententiam referunt: Nam etſi ſenſus non fallant, poſſet tamen æque nix non eſſe alba, etſi alba appareat, atque baculus in aqua non eſt curuus, etſi ſic appareat. Scilicet quæſtio hic foret, vtrum omnes colores ſint reale quid, an vero ſaltem mera lucis modificatio? Et puto poſteriorem ſententiam non ſolum a Carteſianis defendi & iis Philoſophis, qui ſenſus inter criteria veritatis referunt. Hoc vero pacto Anaxagoræ ſententia non ſic abſurda foret, vt communiter irridetur, cum & hodienum Philoſophi, qui pro ſagaciſſimis naturæ ſcrutatoribus ſe venditant, idem adſtruant.

§. XVI. Quod vero inſuper ſtatuerit Anaxagoras, *niuem nec videri albam*, vt Cicero vult, Ciceroni tanquam Oratori, adſueto verba aduerſariorum ſuorum captare & licentia Oratoria augere atque immutare, non credo. Non credo Lactantio, eum voluiſſe, niuem eſſe nigram, ſiue Sophiſtam hic aperte egerit Lactantius, vti in turpiter exponenda doctrina Anaxagoræ de fine hominis

nis, de qua obſeru. præcedente diximus, ſiue etiam ex imprudentia peccauerit. Quod vero fabula hæc ad poſteros ſic propagata fuerit, fecit iſta nimia autoritas Patrum, qua occœcati homines putarunt, Patrem Eccleſiæ non poſſe falſi quid aſſerere.

§. XVII. Nimirum, ſi Lactantius hic bona fide egit, videtur ipſum in hunc errorem deduxiſſe vitioſus ille aut certe parum tutus argumentandi modus, qui a contrario ſenſu dicitur, vel huic ſimilis. Qui vti ex Topica Ariſtotelica aut etiam Ciceroniana iam tum fuit vſitatisſimus, ita adhuc hodie frequentisſime occurrit, in controuerſiis infinitis qua Theologicis pariter, qua Iuridicis & infinitorum adeo errorum parens eſt.

§. XIIX. Forte etiam fabulæ huic occaſionem dedit, quod Anaxagoras ad hominem diſputando impugnauerit Philoſophi cuiusdam definitiones albi aut nigri, & ad demonſtrandam ineptitudinem definitionis albedinis, ſubſumſerit eam ad niuem non quadrare, ſed potius datam nigredinis definitionem ei applicari poſſe. Vnde mentem Philoſophi non intelligentes aut peruertentes alii argumentum eius ab abſurdo interpretati forte ſunt ac ſi eſſet argumentum doctrinale. Ita ſiquis ex definitione motus Carteſiana inferret, rem quieſcentem

Y me-

moueri, incautis concluſio hæc videretur abſurdiſſima, vti etiam eſt, ſi quis eam adſtruat, cum tamen aliis vim argumentandi per deductionem ad abſurdum intelligentibus eadem videatur eſſe doctiſſima.

§. XIX. Ac recordor in MSC. quodam alio B. Iacobi Thomaſii quod tamen iam non eſt ad manus, me legiſſe, quod vir quidã eruditus ipſi hanc coniecturam ſuppeditauerit acſi Anaxagoras ex definitionibus albi & nigri, quas ipſe formauerit (quasque autor ille ſuppeditabat, ſed quarum non recordor) ſubſumſerit, niuem eſſe nigram. Mihi vero id parum veroſimile videtur. Quin potius præſumo, talem Philoſophum, qualis Anaxagoras fuit, non laborare eo errore, quo infecti ſunt idearum fabri ſenſibus deceptiones intellectus adſcribentes, quod res quæ ſenſibus percipiuntur, definitionibus reddantur clariores; quin potius eundem recte ſtatuiſſe arbitror, obiecta ſenſuum ideo quia ſenſibus clariſſime percipiuntur, non niſi ſtulte definiri, quod iterum exemplo motus apertum eſt.

OBSERVATIO XVI.

FRANCISCI GEORGII VENETI HARMONIA MVNDI.

SVMM-

Svmma Capita.

Titulus libri & ſumma. §. I. *Vnde dogmata ſua petat Auctor.* §. II *Auctor mundi eſt vnus.* §. III. *De quo ſcriptoribus inter ſe conuenit.* §. IV. *Quo conſonanti numero ſummus opifex in creata omnia deſcendat.* §. V. *Quibus mutuis concentibꝰ primaria rerum genera conueniant ſecum inuicem & cum Archetypo,* §. VI. *Qua conſonantia interualla primorum generum repleantur.* §. VII. *Qua concordia omnia in homine tanquam paruo inſtrumento* (*ſic vocat*) *contineantur.* §. VIII. *Qua ratione ſingula etiam in hoc mundo cum Deo conueniant.* §. IX. *In quem etiam omnia redeunt.* §. X. *In Chriſto Dei ſapientia & homine coniunctim apparent omnia & ratione idearum & actu.* §. XI. *Qui item eſt vita & ſuſtentaculum omnium ad ſe perducens omnia.* §. XII. *Eſt & verus ſacerdos & verus panis, & hoſtia & Sacrificium omnia purgans & pacans.* §. XIII. *Eſt pater omnium per regenerationem & caput corporis myſtici benignum.* § XIV. ἀρχηγὸς ϗ τελειωτὴς *omnium operum.* §. XV. *Eſt Rex Regum & ſummus Imperator,* §. XVI. *Eſt mediator, per quem quisque finem ſuum conſequitur,* §. XVII. *De animæ & corporis atque virtutum multiplici concentu,* §. XVIII. *Anima intelligit res quasuis,* §. XIX. *Conuenit homo cum intelli-*

gentiis, cœlis, Sacris. §. XX. *Homo imperturbatus cunctis in rebus dominatur.* §. XXI. *Anima hominis ſpiritui ſuo & alienis conſonat*, §. XXII. *De conuenientia ſuauiſſima hominis cum Deo, quo fruitur*, §. XXIII. *Animæ & corporis harmonia melior euadit per ignem & reſurrectionem*, §. XXIV. *donec ſuauiſſimus concentus in beatitudine iam impetrata in iucundum ſilentium vertatur*, §. XXV.

§. I.

CVm inſtituti noſtri ratio exigat, ut librorum, quorum aut memoria vetuſtate propemodum obliterata, aut infrequens admodum ob exemplariũ deliteſcentium paucitatem uſus eſt, ſumma dicatur, inſerendum hic merito eſt compendium dogmatum Auctoris, quem in paucis Bibliothecis prætereuntes per tranſennam ſtrictim adſpicimus. Eſt is *Franciſcus Georgius Venetus*, Minoritanæ familiæ, qui de Harmonia Mundi totius Cantica tria ſcripſit, edita *Venetiis* 1525. *in fol.* In quibus, ſi carptim & perſpicue rem omnem velis exponi tibi, nil aliud agi ſcias, quam ut monſtretur, quid habeant Deus, Mundus & homo inter ſe ſimile: *C*ant. I. Quæ Chriſtum res inuicem aduerſas reſtituentem reſpiciant, Cant. II. Denique quæ ad hominis omnes

nes res conſonantiſſime connectentis & ad harmoniam reuocandi cum omnibus quæ in eo connectuntur, & cum opifice, cui vniri poteſt, ſtatum pertineant, Cant. III.

§. II. In procœmio igitur Clementi VII. Pont. Max. ſuum inſtitutum probaturus, antiqua ſe noue tradere profitetur, cognita diuinitus vere ſapientibus & ſanctis: deſpectis humanis rationibus, quæ vtpote compoſitæ nec opificis naturam attingant, nec, ob cauſarum ignorantiam & ſenſuum fallaciam, naturam rerum quarumcunque. Minus gnaros tamen rerum diuinarum docturum ſe ait, vocatis in ſubſidium quoad ſenſui res patentes, dogmatibus Peripateticorum: quoad cœleſtia, Aſtronomorum: quoad rerum naturalium concordiam, ſecretiorum philoſophorum: quoad ſiderum varietatem & ex diuerſis adſpectibus, motibusque concentum, Muſicorum: quoad ſupremas intelligentias & arcana diuina, prophetarum ac ſanctorum. Ex viſibilibus vero cœleſtia & ſupra mundana ſcrutaturo numerum iter præbiturum. (*Numeris enim omnia*, inquit, *diſpoſita ſunt: nam cognati ſuperis ad cœleſtia familiariter conſcendunt: rurſusque, cum ſenſibilibus domeſtice agunt, & inde diuerſos modos diuerſasque naturas induunt.*) Prophetas hæc innuiſſe, ſed paucis, vt

Eſ.VI. Vidi dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum i. e. mundum: cœlum enim ſedes eius eſt plena creatoris gloria, quia omnia velut gradibus quibusdam diſtincta, quæ in opifice ſint ideæ, declarent. Quorum concinnus ordo harmoniam ſuauiſſimam fundit. Tandemque ſubmittit totum opus cenſuræ Pontificis.

§. III. Iam in primi Cantici tono I. *Quis ſit mundi progenitor & qua harmonia ſuperexcelſæ vnitatis gaudeat*, oſtenſurus, aſſeverat, a ſanctis viris diuino lumine colluſtratis de Deo diſcere poſſe nos, quæ hic tractentur, nempe Adamo, Enocho, Abrahamo, Moſe, unde gentiliũ ſapientia profecta eſt: absq; illo lumine omnes de Deo loquentes erraſſe varie probat c. 2. ex Ciceronis potiſſimum libro I. de Nat. Deor. Tum ita pergit. Etſi intelligere queat nemo, quid Deus ſit, dari tamen euincunt oracula, ratio edocta rerum ordinem & ornatum, conſenſus omnium ſanorum hominum, licet ſint barbari. c. 3. Is ipſe Deus ex rerum quarumuis fœcunditate, fœcundiſſimus noſcitur eſſe, Cap. 4. atque admirandum in modum concinnus, quod per Pana ſignificare voluere Ethnici. cap. 5. & unus cap. 6. hic unus ad intra ſemet intelligendo Filium produxit: ex quo amor produci-

citur utrumq; eũ colligans.c.7.extra ſe mundum,c.8.qui ita comparatus eſt,vt philoſophi non habeant,vnde eum productum non eſſe, probent., Non cœlum contrariis haud obnoxium : non loci noui occupatio ἀδύνατος, nõ generationis & corruptionis natura&c. Nam parum obſeruatur diſcrimen quod inter Deum, artificem & naturam intercedit. c. 9. Idem ex motu euinci nequit, circulari videlicet, quippe cui infinitũ aliquod non pertranſeundum ſit & quod in æternis a poſſe ad eſſe rite colligamus. Hoc enim eſt ſumere æternum quod probandum eſt. Neque illud quicquam probat, quod aiunt: omne inſtans eſt principium futuri & finis præteriti temporis. Ergo tempus anteceſſit illud primum inſtans, adeoque motus & mundus. Error enim latet in voce *Ante*, quam tantummodo ad tempus ſignificandum reſtringi vetat vſus omnium linguarum &c. c.10. Multo minus gubernatrices ſphærarum intelligentiæ mundi confirmant æternitatem: quippe quarum finis vltimus non eſt cœlos regere, ſed ſpeculari ſubſtantiam primam. Itaque ſi vel maxime illud tandem negligant, beatitudine ſua non excident. c.11. Nec porro opificis ratio repugnat mundi creationi. Nam ex noua mundi genitura ad opificem noua reſultat

relatio, ſed talis, quæ in natura & voluntate perfectiſſimi Creatoris nullam mutationem efficit. c. 12. Quod autem a veritate adeo abalienatæ ſint opiniones philoſophorum mirum non eſt; cum ea quæ humiliter diuinitus addiſcenda ſunt, ex motu & ſenſibilibus cognoſcere voluerint: quæ cum Deo proportionem æquiuocam habent, vnde nihil certi ſcitur. c. 13. Nouitatem etiam mundi commonſtrant nouæ res indies prouenientes: hæ etenim oriuntur ex reuolutionibus orbium cœleſtium, reuoluuntur vero iidem ab intelligentiis miniſtris Dei, adeoque iuſſu mouentis primi i. e. Dei qui ſemper idem eſt nec vlli mutationi obnoxius, nec coactioni, quod pateſcit ex contingentia. c. 14. Verum cur non ante ea tempora de quibus Moſes loquitur, aut poſtea, creatus eſt mundus? Auguſtini reſponſum curioſulis eiusmodi datum notum eſt: & Democriticum illud: *Quod eſt ante pedes nemo ſpectat: & cœli ſcrutantur arcana deique ſecreta rimantur*: notum eſſe debebat c. 15. Nunc alia ſunt profliganda dubia philoſophorum, conantium probare Deum neceſſario agere ad extra, quia melior neceſſitatis conditio videtur quam contingentiæ: quia per propriam ſubſtantiam nec per mendicatam virtutem agit: quia multi effectus vi-

videntur neceſſarii, ordoque rerum inuariabilis,ne mundꝰ diſturbetur: & quia voluntas Dei non minus perfecta quam intellectus, libera eſſe nequit. Nam hisce contraria docet Moſes Gen. I, 3. & Dauid Pſ. XXXIII, 9. fruſtra quoque forent ſacrificia,cultus omnis & preces. &c. c. 16. Eandem contingentiam adſtruit monſtrorum frequentia; neque enim deficerent vnquam quæ neceſſaria eſſent: partiumque mundi coordinatio plane alia eſſe poterat. c. 17. Denique contra phyſicos demonſtratur, & ex eo probatur,quod Deꝰ cognoſcit particularia,quia nil vile,quia bona omnia ſunt &opera ipſius: intellectusq; eius& quanta capiat,nos ignoramus, & is cognitione rerum exiguarum haud vileſcat: imo vniuerſalia ſine particularium cognitione intelligi nequeunt.

§. IV. Ton. II. *Qua conſonantia rerum principia & eorum deſcriptores conueniant*, doctarus cap. 1. ex ſectarum philoſophantium recenſione oſtendit, quam ſapientes huius mundi a ſe inuicem diſſideant in dogmatibus, moribus, religione & fine,propter quem operantur omnia: & contra c. 2. quanta ſit convenientia catholicorum ſcriptorum, hebræorûm, græcorum, latinorum. Vnde Iohannes & Auguſtinus feruidi & acuti vt ſeraphim; Ambroſius&Matthæus graues vt throni;Hiero-

ronymus & Marcus robuſti vt poteſtates ſint; Salomo & Bernhardus epithalamia cantent, cum Gabriele; Scotus & Franciſcus Auguſtino ſimiles ſint.; Dehinc nec conſpirare mundi ſapientes in origine mundi tradenda, pronunciat c. 3. nec in doctrina de anima eiusque origine, c. 4. nec fine eo quem omnia, appetunt, c. 5. quæ cum ediſſeruit c. 6. inquirit in cauſas, vnde illorum diſſonantia, & ſuorum conſonantia exiſtat, easque ex fundamentis accerſit, quæ diuerſa ſunt apud illos; apud hos vnicum, Deus nempe Auctor veræ ſapientiæ. Poſt c. 7. ex doctoribus, qui in diuino & humano inſtrumento circa penetralia perſonauerint concordes, nominat, Hebræos, qui vel ſcripturam exponebant, quatenus ſpectabat ad vitam; vel quatenus ad ſymbolicam rationem & anagogicũ ſenſum; vel quatenus literas & corticem attinet: ex iis qui verum Meſſiam ſecuti ſunt, Paulum Iohannem; Dionyſium, Originem; ex externis Pythagoram, Platonem &c. c. 8. aſſeuerat illam dogmatum metaphoris & ænigmatibus occultandi contegendiq; rationem dicit propter paucitatem hominum purorum ac ſanctorum inualuiſſe. c. 9. rationem affert, qua ad concordiam poſſent perduci diſſonantes, ſcilicet ſi cognoſcant & colant vnicum mundi auctorem, eundemque liberum.

Hinc

Hinc progreditur, & c.10. affirmat, conueni-re ſapientes in aſſignando genituræ mundi ſpatio, quod puncto temporis circumſcribi-tur ob dei infinitam potentiam: (non vult ta-men turbare mentes diſſentientes.) c. 11. nu-merum ſenarium dicit fabricæ, & ſeptimum diem requiei addictum eſſe; quia iſte eſt pri-mus numerus perfectus, quippe qui reſultat ex partibus aliquotis combinatis, nempe, 1. 2. 3. quarum quælibet combinata ſenarium conſtituit v. g. ſexies vnum, ter duo, bis tria: & quia optimus eſt ad mundi fabricam, con-ſtat enim ex proportione dupla, quæ dia-paſon facit: Huic numero nil deeſt, nec ſupereſt vti nec quicquam Deo & mundo: imo idem eidem mundi fabricæ ex figura trigona quoque competit. Nam is eſt a Tribus, qui tendunt in vnum finem, quod fit per binarium nempe materiam: quæ in vnum reduci cupit per formam, ternarii ima-ginem. Rerum omnium in vnitate conue-nire antiquos, verbis diſſentire putat c. 12. & conciliari eos poſſe dicendo, & vnum eſſe mundi auctorem, & niſi impleret is omnia, omnia diſſolutum iri. Conuenire item in prima rerum productione ex materia prima, in actum deducta ab illo vnico intellectu, c. 13. Nec refragari Peripateticos in generali, nec alios in eſſentialibus, cap. 14.

§. V.

§. V. Ton. III. *Quo conſonanti numero ſummus opifex in creata omnia deſcendat, oſtendit* ita. c. I. vnum per 27 dicit diſtendi vnitatis harmonia, quæ in multitudine reperitur: Viginti & ſeptem vero eſſe prima rerum productarum genera, in tres nouenarios diſtincta, ſupercœleſtem videlicet, cœlicum & elementarem: in quos deſcendit Deus. Propoſiturus itaque trium Enneadum concordiam, ex quarum vna ad aliam ordinatis gradibus conſcendendum eſt ad Archetypum omnis conſonantiæ parentem, cap. 2. affirmat a Deo trino, tanquam ternario ſimpliciſſimo, diſtributas eſſe ternario quadrato ſeu ſuperficiali tres enneades, vt ſint nouem intelligentiarum ordines, nouem cœli, nouemque genera corruptibilium & generabilium: ternario autem cubo compleri omnes ſimul enneades: & c. 3. angelos quoque per nouenarium ſimplici ternario correſpondentem diſtribui, ita vt Deo proximi, ternarii ſimpliciſſimi (i. e. Dei) imaginem maxime gerant, ſequentes duplato & vltimi tertiato concludantur. Per hunc tripartitum angelorum ordinem Deum ad nos deſcendere, & nos viciſſim poſſe ad Deum per eos conſcendere. Inferiores enim perfici ait Auctor & illuminari a ſuperioribus intelligentiis, adeo vt nos Angelis primum ſtipati, expurgemur, expurgati Archangeli cætra-

cætradamur curæ&principes euadamus,quibus adeſt terror diuinus a principatibus adipiſcendus, virtutum decus a virtutibus, præſidium contra poteſtates aëreas a poteſtatibus, dominium affectuum a Dominationibus: donec ad Deum conuerſi ipſi ſoli vacemus, quod fit memoriam ſupercœleſtium per thronos retinendo, contemplandoque ea illuſtratione Cherubica amoreque Seraphico. c.4. ſubiungit 5. de intelligentiarum auctore Deo: & c.6. oſtendit, quod ſecundo ternario quadrato cœlos nouem fabricarit Deus. c. 7. quod planetæ inferioribus ſuppeditent bona & mala. Saturnus v. g. prudentiam, theologica & philoſophiam ſecretam, augmenta & decrementa: Iupiter iuſtitiam ad reip.tranquillitatem, itemque dolum: Mars robur ad perficiendum opus ſuſceptum &c. ea tamen lege vt c.8. mala proueniant,non ex influentium malitia, ſed recipientium diſpoſitione praua:quod probat c.9. nam illa prauitas proveniret vel a Deo vel intelligentiis vel cœlo gyrante. Non ab Deo quiipſa eſt omnium regula , nec intelligentiis , hæ enim vel ad voluntatem Dei, vel contra eandem agerent. Illud malum haud eſſet, hoc in Deo impune id fieri permittente argueret confuſionem. Vnde vero tandem malitia ? non ab auctore optimo,non abipſis; carent enim libero arbitrio

trio moribusque prauis, nec natura deficit.&c. Nec eadem porro eſt c.10. ab Marte & Saturno, quod ſi tamen quis hunc e.g. nactus fuerit maleuolum, contemplatione & vita ſolitaria iniquitati eius medeatur, theſaurosque colligendo in cœlo,& lugendo,ad cœli gaudia conſequenda; ſin illum, ira vtatur in hoſtes Dei, vt Phineaz &c. Nec aliis ab ſtellis,quæ ſolæ non tanta efficere poſſunt,ſed mala dant cibaria, mores, genitura, locus, animi libertas. Hinc tandem delabitur c.12. ad tertium ternarium quadratum, quo omnia Deus produxit, nempe quatuor elementa quæ quaternario numero diſtributa ſunt, quia is eſt omnium numerorum radix & exordium,continetque omnem muſicam conſonantiam &c. c.13. Hæc autem elementa reperiuntur in omnibus mundanis membris,lapidibus,metallis,plantis, animalibus, c.14. & 15: Imo & incœleſti, ſupercœleſti, & Archetypo nam terra ſtabilis eſt, & Sol & Angeli, vt ſint firma Dei ſedilia, inque Deo eſt firmiſſima natura. Aqua noſtra leuis mundat & lauat;in cœlis ſuo affluxu terram irrigat: eadem docet & mundat angelos: In opifice ea ablationem peccatorum facit. Ita res eſt in aëre & igne, *Per elementa* ergo *in Deo* intelligit *ſeminaria rerum & producendorum ideas & origines*: *in angelis di-*

ſtri-

ſtributas poteſtates: in cælo virtutes quasdam: in natura rerum ſemina, in mundo hoc inferiori craſſiores formas c. 16. Deniq; c. 17. de figura elementorum ſecundum Pythagoræos & Platonicos pronunciat.

§. VI. Ton. IV. *Quibus mutuis concentibus prima rerum genera conueniant ad inuicem & cum Archetypo*, docet; poſteaquam enim de trium enneadum genitura diſſeruit, ſingularum partium inter ſe conuenientiam tradit, exordiens cap. 1. a conuenientia angelorum primi ordinis cum cœlo, primum mobile quod vocatur. Principes illi angeli a Deo tantummodo deſtinantur & aliis delegant ſua munia, vti primum mobile a primo motore tantum circumuoluitur. Notandum eſt vtique hoc loco, quod Auctor fere Dionyſium ſequatur in hoc toto tono, & quæ is de Seraphim, Cherubim, Thronis ceterisque expromit, ea ad eius ductum probet, probataque applicet ad orbes cœleſtes. Inſigne exemplum dabimus c. 4. Interim c. 2. Cherubinos cœlo ſtellato reſpondere aſſeuerat; quia enim cherub ſignificat picturam, aut multiplicem ſcientiam, cœlum vero octauum plenum figuris, plenum ſcientia eſt; conuenit cum iſtis vtique hoc cœlum. Cherubim tamen a Seraphim excitantur, quod confirmat c. 3. ex Ezech. c. X, 7. ſeqq. Hic paulo commoran-

randum eſt,& attendendũ, *Admittunt*,inquienti, *omnes catholici quatuor ſenſus in ſacra pagina: quibus veritas litteræ,animæ negotium,myſterium Eccleſiæ & arcanum cœleſtis gloriæ eluceſcit. Et horum primus litteralis, ſequens moralis, tertius allegoricus, vltimus anagogicus ab omnibus dicitur. Sed ſi cum iſtis admittatur mundanæ fabricæ deſcriptio non incongrue naturalis ſenſus ille vocabitur.* Explicat ergo hunc Prophetæ locum de Cherubim diſponentibus hunc mundum. Pergit ad Thronorum proprietates explicandas c. 4. ex Dionyſio qui in antiqua verſione ita loquitur, *Ipſi* (throni) *altiſſimarum& compactarum ſedium omni diligenter exaltati ignominia ſubiectionis,ad ſummum ſupramundanæ ſurſum ferens & omni extremitate ineffabiliter in ſubtiliſſimum. Et circa vere excelſum totis viribus incommunicabiliter & ſtabiliter collocatum & diuini ſuper aduentus in omni paſſibilitate & in materialitate acceptiuum, & Dei verum & familiariter in diuinas ſuſceptiones apertum. Paulo ante dixerat: quod throni nomen dicitur effuſio ſapientiæ, & manifeſtatio deiformium ſuarum habitudinum.* Proprietas ergo prima eſt, quod licet ſint ſedilia, careant tamen ignominia. Secunda, quod ſunt compacta i. e. iuncta conſonanti veritate iudicantis in eis, & amore. Tertio quod fideliter incedunt in principem ſuper ſe diiudicantem

tem: Quarto inde hauriunt diuinos influxus ſine aliquo grauamine repugnantis materiæ: Quinto, ſtante in eis omnimoda diſpoſitione & propinquitate conſuetudineq; & immediato miniſterio Dei Deiferi efficiuntur. Quas easdem proprietates Saturno applicat. c. 5. Ita quoque Dominationum proprietates c. 6. Ioui c. 7. Virtutum Marti c. 8. & 9. poteſtatum Soli c. 10. Principatuum Veneri c. 11. Archangelorum Mercurio c. 12. Lunæ Angelorum c. 13. Hoc concentu primæ & ſecundæ enneadis abſoluto, exponit conuenientiam elementorum cum cœlis & ſupracœleſtibus mentibus. Icciro cum luna, ex ipſius mente, conuenit terra c. 14. nam vtraque aquam imbibit & attrahit: vtraque frigida & ſicca: vtraque quoad faciem diuerſis temporibus varia eſt. Sic c. 15. aqua cum Mercurio & Saturno conuenit; c. 16. äer cum Ioue & Venere, c. 17. Ignis cum Sole & Marte; c. 18. lapides cum cœlis & metalla, hæc tamen cum Marte potiſſimum c. 19. Herbæ cum cœlis & Ioue maxime c. 20. Zoophyta cum Saturno c. 21. animalia cum ſtellato cœlo & primo mobili c. 22. & potiſſimum cum ſupercœleſti mundo c. 23. Hinc c. 24. quæ ſingulatim cum Saturno, cum Ioue c. 25. Marte c. 26. Sole c. 27, Venere c. 28. Mercurio c. 29. quæ cum luna conficiant Harmoniam

 c. 30.

c. 30; poſt c. 31. quæ ſingulatim cum quibuſdam ſtellis concordent,& denique quam belle hæc, quæ dixit hactenus,depicta ſint in arca Moſis, oſtendit. Eius enim altitudo nouem palmorum nouem cœlos repræſentat, quibus incumbit empyreum per operculum aureum denotatum. Pars illius ſtructuræ nullo tecto munita hunc mutationibus obnoxium notat mundum: reliquæ duæ tectæ mundum cœleſtem & ſupercœleſtem: Candelabrum ſolem deſignat &c. Vltimo cap. 33. ait omnes enneades in ſuo decimo conuenire: Enneadem rerum corruptibilium in hominem: cœlorum in empyreum: angelorum in Chriſtum tendere.

§. VII. Ton. V. *Quæ conſonantia interualla primorum generum repleantur*, explicaturus, dicit a Platone velut heptachordũ numeris 27 inſigne deſcribi animã mundumque ſed cum aliqua ſpatia eorum repleri minus queant v. g. illud quod eſt inter vnum & duo; adeoque harmonia cooriri, & potiora interiacentia genera collocari non poſſint, c. 2. aſſumit loco 1. numerum 6, eundemque, vt ante vnitatem,duplat & triplat &c. c. 3. Sed & hic quia ſeſquitertias proportiones in ſeſquioctauas & lemmata diuidere nequit,aliiſque cauſis adductus loco 1. ponit 384, &c.

Pla-

Platonem autem hoc diatonico genere vſum eſſe & neglexiſſe chromaticum & enharmonicum, quia illud ceteris ſit & plenius & ſimplicius & generoſius, c.5. autumat, gaudetque in prima omnium creaturarum, hebræis מטטרון שר הפנים appellata, contineri illos tres nouenarios ſiue 27. Nam litteræ illæ ſupputatæ dant 999 vbi numerus 9 ſimplex res ſimpliciores notat: medias denarii, centenarii res craſſas, c. 6. Tum c. 7, oſtendit in ſuperioribus virtute quadam ſuperexcellenti eundem numerum contineri, & liquere ſupputanti literas vocum שר צבאות Poſtmodum affirmat c. 8. ex vnitate primi reſultare in omnibus conſonantiam; c. 9. eptachordum Platonicum animæ conuenire ideo, quia & ſi in ſe ſit vnica, multiplex tamen euadat deſcendens ad inferiora, iterumque ad ſe reuerſa quaſi componatur & reuniatur: Homini itidem tres nouenarios illos ineſſe; quippe qui ſit perfectiſſimum ſimulacrum mundi; centenariorum ſcilicet nouenariū, in corpore corruptibili & incorruptibili poſt reſurrectionem, quod vtrumque continet quatuor elementa, quibus anima accedit: Alterum nouenarium denariorum in anima eſſe, collectum ex 5 ſenſibus exterioribus & 4 interioribus: Tertium nouenarium in intelle-

ctu eſſe, cum angelis conueniente, c. 10. Iam c. 11. oſtendit quid ſibi velint illæ tres proportiones Muſica, Geometrica & Arithmetica, quibus anima & totus mundus diſponitur. Nimirum identitas omnium rerum exiſtentium in opifice muſica proportione declaratur. Alteritas rerum productarum Arithmetica, alteritatum vnio Geometrica. Ita etiam ſe res habet in anima, & mundo. Nam geometrica ſubſtantiarum comprehendit multitudinem: Harmonica eſt ratio vnionis: Arithmetica alteritates primas, medias & vltimas in vnum complicat. Ratio autem, cur ſeptem limitibus mundi & animæ negotium complectantur Pythagorici & Academici eſt, c. 12. quod primus quidem limes notat animæ prærogatiuam quippe eandem cum opifice continentis vnitatem, aut quia in intellectu primo ſuum caput collocat: ſecundus limes progreſſum innuit animæ a Deo: tertius egreſſum ad eundem: quartus egreſſum a ſe ipſa: Quintus retroceſſionem ad ſe, ita vt proceſſus a ſe ipſa annectatur progreſſui quem facit ab eo, qui eandem præcedit: & regreſſus ad ſe ipſam a regreſſu ſui ipſius ad præcedentem ipſam opificem dependeat: vltimi limites, qui ex ſolidis conſtituuntur, conuerſionem docent corporum, quibus annectitur ipſa anima. Hinc cap. 13. quærit, quomodo

do in mundi anima (more Platonico loquendo) limitum eorum interualla repleantur? reſpondetq; ita. I*n principio vnam ex vniuerſo accepit opifex portionem : quam duplauit, dum materiam informari iuſſit: ad quam lemmatis proportionem habebat : quadruplicauit autem, dum in elementa diſtincta effudit : quæ octuplatur compoſita profundens & viuificans: ſed hæc per vim fœmineam. Ex imparibus autem tanquam ex vi maſculina omnia eadem ſerie replet, vſque ad ſuum cubum perfectam videl. ſecundum Pythagoræos harmoniam. Replet autem interualla diapente ad diuina genera adſpiciens : diateſſaro ad dæmonum genera & particulares animas, quibus ſphæras plenas eſſe dicunt. Tonis vero replet ad brutales animas deueniens : quæ comparatio eſt tertii ternarii ad cubum dualitatis : lemma autem ad corporale & vegetatiuum attendens vſque ad metalla, lapides & infima quæque genera.* Hæc ita cum ſint comparata, ne quis dubitet de intelligentiis & animabus in ſphæris collocatis, ex Scriptura ſacra hoc ipſum aggreditur c. 14. probare, Nempe Gen. II, 1. *Completi ſunt cœli & omnis exercitus eorum*, i. e. intelligentiæ & formæ intellectuales. Cum enim ſingulæ peculiari vi influant, materia autem pura ea prorſus deſtituatur, aliunde ea proveniat neceſſe eſt. C. 15. quærit, *quid poſſit dici de complementis interuallorum trium enneadum*

 do-

docetque *Deum vitam totam omnium ſecundum quandam portionem ſe communicare vni quidem in proportione ſeſquialtera, alii in proportione ſequitertia, alii in ſeſquioctaua, alii in ſeſquiſexta decima; vnde diapente, diateſſeron, tonus & lemma reſultent.* Pergit. *Cum quibus autem particularibus generibus & ſpeciebus hac vel illa proportione vita ipſa prima ſeſe diffundens omnia disponat ſuis numeris, ponderibus atque menſuris, in particulari nullus adhuc vel innuit. Poſtquam ergo,* inquit c. 16. *plenam rerum conuenientiam deſcribere nequimus, metaphoricos ſermones & a rebus inferioribus mutuatos proſequemur.* Perque numerum ſe ait intelligere formas rerum ſpecificas ſeu medium arithmeticum: Per menſuram vires vnicuique rei præſtitas ſeu medium geometricum. Per pondera grauia elementa aut rerum inclinationes in bonum & malum, ſeu medium muſicum Omnia autem tam multiplicia fiunt ex terra, aqua & igne, äer enim velut gluten & ſpiritus illa tria connectit: quæ diſponuntur ab intelligentiis per ſeptem planetas, quos in alphabetho ſuo per litteras בגדכפרת indicant Hebræi, vti per reliquas 12. duodecim ſigna Zodiaci. Hæ permixtæ infinitas conſtituunt dictiones, quibus ſignificare volunt innumerabilia corpora, vti per afformatiuas præfixas & radicales cauſas rebus certo

ſuo

ſuo elemento ortis ſuperuenientes. Influxus ſuperne aduenientes denique per accentus additos vocibus ſuperiori ex parte ſignificant. Vbi hæc c.17. explicuit, c. 18. tradit omnes iſtos tres nouenarios contineri quoque in ſupremo nomine Dei, & ab eo emanare, nam vtrumque אֶהְיֶה dat 21. אֲשֶׁר vero 6.

§. VIII. Ton. 6. *Qua concordia omnia in homine tanquam in paruo inſtrumento contineantur*, demonſtraturus c. 1. accurate ſibi dicit verſandum eſſe in hominis deſcriptione, quippe in quo congeſta ſint incredibili & miro artificio quæ a Deo emanarunt in omnẽ mundum. Is ipſe homo vinculum eſt rerum omnium, quarum circulus apertus fuit vsque dum Chriſtus aſſumeret humanam naturam. Ait ergo c. 2. hominem imitari mundum in figura circulari, proportionesque menſurarum eius proponit c. 3. Corporis nempe totius ad truncum eſt proportio ſesquioctaua: a trunco vel thorace ad crura tota vsque ad plantas ſesquitertia: Pectoris vero a collo vsque ad vmbilicum & ad lumbos vel aluum vsque ad finem trunci dupla: latitudo vero illorum ad coxæ latitudines ſesquialtera: ex quibus tonus, diateſſaron, diapente & diapaſon reſultant &c. Pari ratione c. 4. in conſonantia membrorum & lineamentorum eius

ad inuicem, edocenda verſatur. Cap. 5. rurſus generaliter ex Gen. II, 7. omnia includi in homine tradit, elementa quidem multò in eo quam alibi elegantius & concinnius ordinata reperiri, vtpote donato vita meliore & diuina, c. 6: Reſpondere autem elementis eius partes viuaciores, verbi cauſa, oculum igni: aures aëri: olfactum & guſtum aquæ, tactum terræ, c. 7. Ex compoſitis conuenire oſſa eius lapidibus, hos etiam, vt illa creſcere c. 8: Humores metallis c. 9: Inteſtina eorum vaſa, quæ medium inter oſſa & carnes tenent, vti in mundo marcheſita & alumen, his binis mineralibus c. 10. carnem & ſanguinem & ſpiritus vitales illac transmeantes, plantis c. 11. cetera ſenſum nempe imaginationem, timorem, concupiſcentiam, digeſtionem &c. animalibus virtutibus. Hinc quæ fuerit antiquorum de transmigratione animæ humanæ in beſtias ſententia, & quæ vera ſit inueſtigat. c. 13. Negat proprie eam intellexiſſe veteres, Paulum tamen Dauidemque Pſ. XLIX, 21. 2. Cor. III, 18. reuera ita ſuos inſtituiſſe; quorum dogmatibus apprime ſimilia ex ethnicorum putat elucere monumentis, ex quibus ſatis conſtet, quod crediti ſint nonnulli angeli facti, & dei, aut in arbores commutati, c. 14. Ceterum & Moſen ex arce Noæ deſcriptione nos voluiſſe

con-

condoctos complexum illum rerum quarumuis in homine exiſtentium c. 15. & 16. vbi vult nos per immunda animalia bina edoceri binos immundos affectus concupiſcentiam & iram dari in homine: binarium numerum vero infauſtum eſſe & ad materiam pertinentem, quæ ſit omnis mali fons. Contra per munda animalia ſeptena, ſeptem affectus bonos. Nunc redit ad telam, quam his interpoſitis quaſi perruperat, pertexendam & poſtquam hucusque primam enneadem in homine ineſſe demonſtrauit, ſecundam quoque in eo contineri declarat. C. 17. itaque docet, adeo cœlos conuenire cum homine, vt mortales aliquando cœli appellentur Pſal. XIX, 1. quin imo ſi taurus in cœlo ſit & aries, multo magis hominem ibi degere? His dictis, c. 18. *Vnde vnum quodque ſignorum Zodiaci habeat denominationem & quid agant illa animalia, a quibus denominantur, cum ſole* explicat. Exemplo vno hic lectoris oculis ſubiecto, ceteris carere facile poterimus. *Primum ſignum*, inquit, *Aries dicitur: quod animal ſex menſes hybernales ſiniſtro incumbit lateri, ſed ab æquinoctio verno ſuper dextro: Sic & ſol eodem tempore dextrum Hemiſphærium, reliquo ambit ſiniſtrum. Eſt inſuper Aries caput & dux omnium, & ſignum illud ab eo denominatum caput ſignorum eſt & dux menſium anni: vnde Aſtronomi ab*

introitu ſolis in primam partem Arietis, totius anni euentus prognoſticantur. Sic pertractat & cetera ſigna. Quæ, vt & præcipuos articulos in homine duodenario numero cœleſti illo & diuino magis quam terreſtri, diſtributa eſſe dicit, quia reſultat ex quaternario numero elementari & diuino, & ternario; Eſt idem quoque compoſitus ex duobus primo perfectis, ſenariis videlicet, & primus creſcens. Ideo quæ duodenario numero in ſcriptura deſcribantur, recenſet vberrime, c. 19. Redit dein c. 20. ad qualitates in corpore humano conuenientes cum planetis & octauo cœlo; etenim atra bilis Saturni, ſanguis Iouis, ignei impetus Martis, rubea colera Solis, äereus calor Veneris expreſſam ſatis gerunt imaginem. Progreditur c. 21. ad intellectum congruentem cum orbe ſignorum; qui etiam plenus eſt imaginum. Cor quoque contendit cum primo mobili, & libertatem animi ibi reſidentem, c. 22. nam vtrumque nulli obnoxium, omnia regit. Mox Saturno tribuit vim receptiuam virtutem regendi, & aures ceterosque ſenſus receptiuos, ſtomachum, mores melancholicos, c. 23. Hic monendum eſt Noſtrum hic ita verſari vt commonſtret quæ ſingulis ſtellis aut planetis competant membra hominis, 2. quos morbos & affectiones præternaturales cum tempera-

men-

mentis & vitiis hæc conſectantibus iidem comparent mortalibus, 3. quamnam figuram externam membris imprimant; quæ omnia ex natura ſtellis tribui ſolita ab Aſtrologis, hariolari quisque ingenioſior facile poteſt, adeoque forte non opus eſt vt recenſeantur quæ Iouis ſubſint imperio, de quibus agit c. 24, quæ Martis c. 25. quæ Solis c. 26, Veneris, Mercurii, lunæ, c. 27. 28. 29. Quocirca ex proportione motuum planetarum ad ſe inuicem&cum octauo cœlo intelligi poteſt virium noſtrarum proportio c. 30. Tum cap. 31. commentatione proſequitur feces mundi vtriusque: cibus Chriſti enim eſt anima & mens angelica, quem digerit & in ſeipſum transmutat tanquam nutrimentum non neceſſitatis, ſed complacentiæ Damnati autẽ ſunt illæ feces. In c. 32. concinit homo cum Deo ipſo, cuius templum eſt & imago, etiam ratione membrorum. Veteres enim Deum depingebant vt arborem, cuius cacumen caput eſt, cui corona imponitur: capiti inſunt duo oculi, dextro remunerandos benigniſſime intuetur, ſiniſtro puniendos acrius reſpicit. Habet & aures ad audiendas preces; dextra manu impertitur bona, ſiniſtra punit. &c.

§. IX. Ton. VII. *Qua ſonoritate omnia etiam particularia in hoc feculento mundo exiſtentia*

tia cum Archetypo conueniant docet. Nimirum fabricata præexiſtunt in artifice, & Auguſtinus negat vlli rei productæ ſubeſſe pondus menſuram & numerum, & Chriſtus Matth. X, 30. Ezech. XL, 5. Dan. V, 26. imo omnia habent in Archetypo aliquid cui reſpondeant. Sed Materia prima primo actui, Deo ſummo c. 2. Terra Deo patri reſpondet, fœcundisſimo omnium cap. 3: elementa item, ita vt aqua filio: ardor Spiritui S. congruat & äer, quia connectit filium & patrem, c. 4. Lapides patri & filio, tanquam quibusdam fundamentis, c. 5. metalla, vtpote aquea, illi aquæ ſupremæ, c. 6. plantæ Deo tanquam arbori vitæ Apoc. XII. v. 2. c. 7. planities Deo aſcendenti ſuper planitiem vt Dauid loquitur, cap. 8. ita montes; deſertum, & arida; frugifera terra: mare & aquei fontes: flumina & canales: piſcinæ, lacus, & ſtagna: mare rubrum: nubes & pluuia: ros & pruina: grando & nix; glacies & Chryſtallus: paradiſus voluptatis: Gihon, Phiſon, tigris & Euphrates: Iordan & Ieor fluuius Ægyptiacus: lac, butyrum & mel: terra fluens lacte & melle: oleum: palma, cedrus, lignum ſetim & hyſopus atque ſalix: vitis & vinea: animalia ſanctitatis Ezechieli viſa; ca-

capreæ, cerui & hinnuli; oues & paſtores ouium: animalia, piſces aues: plantæ mundæ & immundæ: Ieruſalem, Sion, templum: Ægyptus, Babylon & Damaſcus: Arabia, mons Sina, & Meſopotamia Syriæ: & denique c. vltimo 36. Amalech, Moab, Ammon & Philiſtiim. Iterum ſciat Lector, hæc itidem adhibita induſtria hariolari ſe poſſe, apparet enim ſtatim meditanti ſimilitudo e. g. inter pruinam rorem, & Deum. *Pluunt* inquit Auctor, c. 18. *ſereno tempore ros & pruina e cælo, ſed maxima differentia: Ille enim purus eſt, fæcundus, felix atque ſemper beneficus: hæc autem infauſta & nocua deſcendens cum maximo algore, & quandoq; exiccantur & deficiunt flumina. Et mirum quidem eſt, quod humor ille roris foueat, hic autem brumalis exiccet, uratque plantas & ipſam terram quodammodo conflagret. Sic enim ab eodem cælo egreditur beneficium & maleficium: A Chriſto beneficentiſſimo ſuſcipere aliqui beneficium, aliqui damnum, iuxta Simeonis vaticinium; a Deo tandem optimo egreditur & bonum & malum &c.* nos enim bonis Dei aut recte aut ſecus abutimur. Sic Euphratis & Tigris nomina Auctori ſuppeditant occaſionem differendi de Dei fœcunditate & penetrante virtute, prætereunte tamen Aſſur i. e. diuitem aut ſpeculantem: quia qui vult per ſeipſum diuina ſpeculari, remanet vento plenus. Putat enim per vocem

חדקל

חרקל ſpiritum aëreum qui leuis eſt & penetratiuus magis quam ignis; ſignificari. c.27. Sic, vt aliud addamus meditationis Auctoris ſpecimen, cap. 34. Ægyptum gratioſe ſuſceptum populum affligentem, tandem vi dimittentem cum diabolo confert, qui blande ſuſceptos ſubiugat nec dimittit, niſi virtute diuina abſtrahantur ſubiugati: Babylonem quæ eum vi captiuum duxit, ſubinde mitius agentem, denique ſponte dimittentem, carni 70 annos, quibus vitæ curriculum hominis circumſcribitur, remiſſius agenti in dies cum anima obfuſcata per ipſam liberam que tandem eam mittenti comparat: & Damaſcum mundo. Eſt enim in Deo myſterioſa regio & typica, in qua & boni & mali diuerſantur.

§. X. Ton. VIII. *Quid ſit illud vltimum in quod omnia diapoſonica conſonantia conducantur*, ita monſtrat. Cap. I. Deum omnia complere flatu & vita ſuauisſima, teſtatur, licet ea harmonia mente expurgata tantum percipiatur. Cooriri eandem plenitudinem ab vno, a quo omnia profecta ſunt, Deumque vocari ſcribit c.2. quantumuis eum ante Chriſti tempora nemo nouerit. In eundemque Deum omnia vere tendere c.3. omnia enim eodem abire, vnde nata ſunt; idque fieri vel naturali vel libero, vel ſupernaturali & diuino appetitu, qualis in homine eſt ab illa por-

ro

tione ſuperiore ortum ducens, c.4. vehiculo autem inſtinctus vti ea quæ libertate carent; ea quæ ratione pollent, voluntatis & amoris: c. 5, trahi illud diuina virtute, cum Dei ſit, Chriſti doctrina exemploque, Apoſtolorum item induſtria, c. 6. opera quoque angelorum curſum eius promoueri, c.7. Porro c.8. per numeros ſenarios exiuiſſe & reuerti nos in Deum docet. Senarius enim, primus perfectus numerus, electus eſt ad mundi fabricam, *quo ſunt media diapaſonicæ conſonantiæ perfecta: Senaria enim ſunt cum ſeptem intaruallis poſt quæ deuenitur in octauum, quod ipſum diapaſon complet.* Per ſenarium autem redimus in Deum, ita, vt prima die lux appareat nobis, ſecunda diſcernamus prudentia ſpirituali bona & mala, tertia congregemus aquas i. e. pasſiones naturales & voluptuoſas, quarta luminaria fiant, maius quidem i. e. opus meritorium in gratia factum lucem coram Deo & angelis eius: minusque i. e. prudentia & ſapientia in rebus inferioribus diſponendis, quinta proficiamus indies virtutibus: ſexta denique meliores vitæ fructus demus. Septima quieſcimus in Chriſto. Octauum Moſis lex exhibere nequibat, porrigebatur enim vsque ad Chriſtum tantummodo: c. 8, 9. Porro c. 10. per ſenarium ætatum mundi induci genus humanum in ipſum Deum, profitetur. Nam

homo

homo in prima mundi ætate dicitur fabricatus ex anima & corpore tanquam cælo & terra cum aliqua luce legis naturalis & diuinitate colluſtrante. Sed diuiſa fuit lux a tenebris, quando homo expulſus fuit de illo paradiſo voluptatis & Enoch ſublatus fuit a tenebroſo vulgo. Incepit ſecunda ætas in Noe, qui tanquam medium & firmamentum quoddam fuit diuidens inter primam illam ætatem longæuam & ſecundam, in qua occurrit linguarum confuſio, denotata per aquas inferiores &c. aut firmamentum Abraham fuit &c. In Iſaaco coeperunt aquæ i. e. familia Dei congregari. In Dauide ſplendent regna & Salomone. Quinta ætas cœpit ſub captiuitate in populo errabundo. Sexta a filio Dei orditur. Imo quiuis homo recte viuens deuenit in Chriſtum per ſex ætates ſignificatas per ſex illos dies. Prima ætas in tenebricoſo vtero materno latitantem infantem in lucem producit & diluuio obliuionis conſumitur. In ſecunda poſt 7. annos diſcernitis operationes rationales ab animalibus. In tertia germinat mens doctrina. In quarta, iuuentute ſcil. illuſtratur in mente, vt ſole, & in intellectu inferiore, vt luna. In quinta, virtute & ſapientia decoratus producit conſilia ſolida &c. Et ſi recte ſe gerit, in ſexta nec ſpeculatiua nec operatiua virtute deſtituitur, donec in Chriſto vera quiete con-

ſo-

ſopiatur, c. 12. Hinc liquet, cur completis operibus quinque dierum dictum, ſit: Vidit Deus quod bonum, ſed completo opere ſexti: Et erant valde bona. Vniuerſa enim pulchriora ſunt quam ſingula, c. 13. Conſummatur autem perfectum diapaſon in octonario, cum ad Deum reuertimur, c. 14. Cœli quoq; in ſua reuolutione, diapaſon perfecte efficiunt, dum redeunt ad punctum vnde proceſſerunt, c. 15. Concentus quidem cœlorum tam ex diſtantia (v. g. a terra ad lunam vsque pertinens ſpatium facit tonum a luna vero ad Mercurium, facit ſemitonium &c.) quam ex conſonantia motuum cooritur, c. 18. C. 17., vindicat Septenario numero planetarum fœcunditatem, quippe qui componatur ex primo pari, quaternario, tanquam fœmina, & primo impari, ternario, tanquam maſculo, ac c. 18. harmonicam conuenientiam ſeptem planetarum cum duodecim ſignis ex radice vtrorumque nempe 3 & 4 ſcrutatur. C. 19. affirmat nonnullos veram cœlorum harmoniam minus percepiſſe eandemque ideo negaſſe, quia ſenſibilis non ſit. c. 20. Idoneas intelligentias ſingulis cœlis præpoſitas eſſe: & quia omnia ab vno influxum recipiunt, omnia velut gradatim in eundem quoque deducere ait c. 21.

§. XI. CANTICVM SECVNDVM ſequi-

tur *quod* inquit *nouum dicitur, in quo omnia in Chriſto multiplici conſonantia correſpondere demonſtrabimus dulcioribus modulis, quam articuli & membra in mundano aut humano corpore.* Ton. I. *Chriſtus & Meſſiah eſt Dei ſapientia, & verbum omnia ratione ideali continens & homo exiſtens* omnia inferiora actu complectens.

C. 1. Meſſiæ deitatem comprobaturus rationibus, omnia diuini quid habere ait, in primis homines, & inter hos redemtorem, quippe cum quo ſe communicare maxime Deo lubuit, Pſ. 45, 8. Cum vero Deus tanto magis quem reddat Deum, quanto eum magis ſecum vnit, mirum non eſt Meſſiam dici poſſe Deum, cum ei ſe ea plenitudine præbuerit. Porro nec homo reparari per alium debebat, quam per quem fuerant conſtitutus. *Et vt honorificentiſſimo liberatori deberent redemti angeli & homines, omniaq; in ipſis contenta, conueniens fuit, vt liberator cui omnia mancipарentur, omnium eſſet excellentiſſimus: quod fieri nequit niſi per magis participatam diuinitatem.* Idem confirmatur vaticiniis c. 2, ex Pſal. II, 7. Eſ. VII, 14. Ier. XXXII, 15, 16, 17. &c. Deitas & Verbum eſt in Chriſto per ſemen, per affluentiam, per repletionem, & hypoſtaſin, c. 3. In hoc verbo continebantur omnia, antequam in proprias formas explicarentur, vti patet ex Ioh. I, 4: c. 4. omnia etiam nu-

numero,pondere, & menſura, c. 5. nempe in *ideis, quæ ſunt formæ, ſpecies, exemplariaque rerum æterna in mente diuina ſemper exiſtentia & ante quam res fierent, vt ab eis tanquam a propriis ſigillis vnumquodque ſubiectum imprimeretur* (i.e. res quælibet veluti ſigno quopiam notata ab aliis diſtingueretur) c. 6. Dein recenſet eos, qui has ideas dari affirmarint, c.7. qui negarint per errorem, c. 8, 9. Non fruſtra enim finguntur, quia habemus ex eis formam & eſſe ſpecificum, pondus & menſuram. c.10. Rerum itaque omnium harmonia a verbo procedit, c. 11. Iſtæ vero ideæ intelliguntur per ſolam colluſtrationem diuinam, c.12. reſque omnes & omne eſſe neceſſario ab illis dependet, c. 13. Ne virtutum quidem ideæ & regulæ, ad quas conformare vitam debemus, in Verbo haud reperiuntur. c.14, 15. Is ipſe Chriſtus eſt & verus homo diuinitate plenus, hominis enim præuaricati crimen delendum erat per hominem, c. 16. & vti quatenus Deus eſt, continet omnia virtute, ita, quatenus homo eſt, continet omnia eadem excellentisſime collecta, c.17.

§. XII. Tonus II. *Chriſtus eſt vita & ſuſtentaculum omnia viuificans & omnia ad ſe trahens.*

C. I. *Multiplex & vnica eſt vita omnium*, inquit, vti ſol & anima in ſe vnica varios effe-

fectus produnt. Nam *mundus veluti animal quoddam immenſum & immane eſt, quod quaſi ab vna anima virtute Dei & ratione teneatur*. Ierem. XXIII, 24. Eſa LXVI. 1. Act. XVII. 28. Nam Deus eſt vnde omnia ſortiuntur vitam, c. 2. Arbor vitæ Chriſtus eſt, radices figens in terra viuentium, primoque in paucos Apoſtolos veluti ramos exiens, dein in ramuſculos plurimos; (c. 3.) plantata in medio paradiſi; Chriſtus eſt enim media diuinarum perſonarum, medius cum verſaretur inter homines, inter doctores, latrones, diſcipulos etiam, poſtquam reſurrexerat, c. 4. Depingitur autem ab Hebræis per haſtam literæ ך quæ recta eſt ad inſtar arborei trunci cum illa ſuperiori parte, quæ eſt tanquam littera י vnita illi haſtæ, vt ſignificet Patrem ſupremum illum fontem vitæ in filium influentem, & cum eo vnitum. Radix autem eſt Deitas: truncus Verbum: rami ſunt attributa communicata cum Chriſto: folia ideæ rerum irrationabilium: flores intellectualium (multi tamen angeli deciderunt & homines) fructus ſunt regulæ & chariſmata. c. 5. Communicatur vero cum angelis, hominibus, animalibus, plantis, metallis, lapidibus, elementis, cœliſque, adeo vt omnia in hoc mundo pro ſuo quæque captu ſuſcipiant vitam

tam ab au&ctore vitæ. c. 6. Vetabatur quidem Adamo eius vſus, ne æmulari videretur Mesſiæ dignitatem, aut *ne homo peccato infectus indigne vitæ fomentum ſuſciperet in ſui perniciem* æternam: c. 7. Viuunt autem omnia in ea arbore Chriſto, vita creatrice & naturali: homo vero præter eam vtramque, etiam vita quadam ſpiritus, c. 8. Eſt ergo ſuſtentaculum omnium; machinam mundanam veluti columna ſuſtinet; vt princeps eam regit; paſcit cibo tam corporis quam ſpiritus vt paſtor: purgat nos a peccato, ſeipſum denique nobis virtutum decori deditis ſubſtruit fundamentum 1. Cor. III. 11, c. 9. Quod autem non omnes ab eo ſuſtententur vita ſpirituali, in cauſa eſt & prædeſtinatio & noſtra voluntas: *ſalua tamen clementia & dignitate diuinæ electionis.* c. 10. Chriſtus porro exaltatus eſt a terra, aperiendo diuinitatis ſuæ ſublimitatem hominibus, c. 11. & ad ſe traxit exaltatus omnia amore & bonitate per mortem eius ſatis conſpicua; ſapientia & facundia, diuitiis, potentia & victoria, nouitate Apoc. XXI, 5. liberalitate, virtute denique propria connaturali & conſubſtantiali. Si enim magnes trahit, cur non Chriſtus lapis angularis 1. Petr. II. 7, c. 12. Cum vero Deus in omnibus mundani corporis membris operetur, putarunt gentiles plures eſſe virtutes & numina, c. 13.

Id quod cum ſine calamitate credi nequiret, Chriſtus nos ab ea liberauit, deiiciendo tricipitem illam beſtiam, ſcelus nempe, errorem & infelicitatem, c. 14. qui etiam vt idololatriam tolleret a mortalibus, totum numen ad ſe vocauit. Quisquis itaque ſanitatem optat, ipſum non Apollinem oret, quisquis fruges, ipſum non Cererem poſcat eas c. 15. Idcirco obmutuerunt oracula c. 16. vti prædixere Prophetæ. c. 17. Qualitatibus tandem contrariis compoſitis, variisque influxibus diuerſe diſponentibus corpora: diuerſitate item regionum, ciborum, conuerſationumque remota, in ſe reducet res omnes, c. 18. omnesque attrahendos trahet Rom. VIII, 29. Neque enim bonitati Dei & miſericordiæ conuenit, vt plures perire ſinat, quam ſaluet. c. vlt.

§. XIII. Ton. III. *Chriſtus eſt verus Sacerdos, & verus panis & hoſtia & ſacrificium omnia purgans & omnia pacificans.*

C. 1. Officium ſacerdotis abſolui autumat orationibus pro populo: oblatione ſacrorum Hebr. V. 1. docendo populum: ducendo diuinum exercitum & confirmando labantem: ducendo ad deſtinatum ipſi finem: iudicando Deut. XVII, 8, 9. denique ſeptimo curam habendo ouium ſuarum. C. 2. monſtrat Chriſtum fuiſſe verum ſacerdotem & ſum-

ſummum pontificem omnium : eidemque adeo omnia ſacerdotalia deberi, primitias virtutum & hominum &, complementa operum. &c. C. 3. docet Sacerdotis veſtimenta quæ fuerint, C. 4. Quid ea ſignificarint. c. 5. Nempe quatuor colores quatuor ſignificabant elementa: byſſus cooperiens genitalia continentiæ ſacerdotẽ admonebat: tintinnabula vel terrebant aëreas poteſtates, vel repræſentabant harmoniam elementorum. Superhumerale hemiſphærium mundi ſuperius denotabat, lapideſque eius duo ſolem & lunam c. 5. Ex iiſdem indumentis diſſerendi ſumit occaſionem c. 6 de virtutibus, queis vacet miniſter Chriſti. v. g. vrim & tummim doctrinam & ſanctitatem, impletio manuum multitudinem bonorum operum Sacerdoti commendat. In Chriſto præfigurabant illa veſtimenta v. g. fœminale, virtutem eius cooperientem noſtram turpitudinem, tunica bysſina eius Carnem &c. c. 7. Eſt ergo Chriſtus Sacerdos in æternum c. 8. ſacerdos iureiurando Hebr. VII, 21. Quia autem Hebræorum vocabula *iuramenti & ſeptenarii* idem ſunt, Deus per ſeptenarium iurans cum Chriſto communicaſſe merito creditur omnimodum influxum ſeptenarium, iuxta Eſ. XI. 1, c. 9. Eſt ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedeci Hebr. V, 6. c. 10. Fuit ſacerdos

maior & melior Aarone & omnibus legalibus Sacerdotibus, Hebr. IX, 12, c. 11. Sed fuit etiam vera hoſtia & omnigenum ſacrificium & oblatio, c. 12. fuit verus agnus Paſchalis c. 13. Virgæque quæ Iſraelitis ſacramentalis erat, virtutem Crux Chriſti longe ſuperauit, c. 14. Quia ſacrificia offerebantur tantum vt eſſent typi Chriſti & nos condocefacerent mortificationem membrorum peccati, c. 15. Par turturum aut duo pulli columbarum offerri iubebantur in purificationem partus & mulieris parientis, quia coniugium raro absque pruritu & libidine eſt, adeoque nec immunditia: turtures autem puræ ſunt coniuges & fideles, c. 16. Aues duæ pro leproſo mundando offerendæ viuæ & mortuæ carnis in leproſo conditiones notabant, c 17. vti ſimul cum hirco bos oblatus pro peccato notabat hominis laſciuiam & faſtum. Ceterum quid agnus & ouis, panes propoſitionis & thuribulum notarent, per ſe patet, c. 21.

§. XIV. Ton. IV. *Chriſtus eſt ſumma veritas & lux omnes docens & omnia colluſtrans.* Per veritatem auctor intelligit rectitudinem ſola mente perceptibilem iis qui ſapiunt quæ Dei ſunt, qui eſt omnis veritatis fons. Eius propria vis eſt concordia medicum principio & fine. Quod patet ex voce אמת c. I. Chriſtus ergo eſt veritas, eſt enim principium,

um, medium, finis, c. 2. Eſt veritas legis, c.3. Neque iota aut apex vnus dabitur, qui non in Chriſto verus fiat, c. 4. Chriſtus item perfecit legem ſanguine ſuo, & dum eam ita tractauit, *veluti ſi quis acciperet characteres plumbeos Impreſſorum compoſitos in tabella ad exprimenda aliqua dura, eosdemque rurſum coaptaret ad exprimenda verba dulciora & ſublimiora, eadem tamen manente figura characterum*, c. 5: Quemadmodum ſanguine Vitulæ rubeæ corrigebatur peccatum filiorum Iſrael per adorationem aurei vituli commiſſum: aut etiã protoplaſtorumcrimen c. 6. Chriſti Doctrina eſt ſumme vera quia emanat a fonte veritatis, nullum in eius verbis aliquando contentum fuit mendacium, & denique quia deducta ſemper ex primo & omnium verisſimo principio, c.7. Ea iuſtificat, legem colluſtrat & interpretatur eſtque dulcisſimus fructus legis amaræ radicis, c. 8. Nequaquam autem obſtat veritatis Chriſti rectitudini in mundo regendo, quod mala permittere videtur, c. 9. Eſt autem doctrina Chriſti de Trinitate, ſancta ecclesia, remisſione peccatorum &c. c. 10, Sola enim fides, quæ eſt pura credulitas, minime ſufficit ad ſalutem, c. 11. 12. auctoritates enim quæ fidei tantum tribuere videntur, ita accipiendæ ſunt, vt de fide teſtentur, *eam eſſe neceſſariam tanquam o-*

ſtum & principium ſalutis & veluti ſemen bonorum operum. c. 13. Denique c. 14. ſoluitur difficultas magna, quam afferunt dicta Pauli in epiſtola ad Rom. c. IV. Scilicet non credendus eſt Paulus contraria iis docere quæ aliis in locis prædicauit: ſed occurrere ſtudere Hebræorum & Romanorum nimiæ in operibus fiduciæ.

§. XIV. Ton. V. *Chriſtus pater omnium per veram regenerationem effectus & caput corporis myſtici in omnia membra influit.*

Deus eſt pater omnium, dum in ipſo ſunt omnia ideata. c. 2. Chriſtus contra in humana natura iterum nos regenerans effectus eſt verus pater, quia eſt illa aqua ex qua fit creatio noſtra ſpiritualis, vti ex aqua ſupernaturali & cœleſti, noſtra naturalis. c. 3. In hac regeneratione exigitur a nobis fides, quia eſt principium & diſpoſitio acceſſus in Deum: atque firma adhæſio & intentio rem vnam alreri ſimilem facit. Sed cum & nutrimento ſit opus generatis, docet c. 6 Chriſtum illos quos generauit paſcere pane cœleſti & carne, vino & ſanguine: quem cibum decoxit diuino amoris igne, in clibano crucis, ne nauſearemus, c. 7. liberos bene paſtos imbuit doctrinis optimis. Eæ ſunt lex melior facta,

pœ-

pœnitentia, ſacramenta, auctoritas abſoluendi, impoſitio manuum, reſurrectio mortuorum, iudicium extremum: imo & ſecretiores, manna abſconditum, quod homo ſit particeps ſpiritus Dei & vnus cum ipſo, cognitio perfecta originis & finis animæ, cognitio angelorum &c. c. 9. Tum c. 10. breuiter Chriſtum clarisſime docuiſſe dicit ea quæ vix attinguntur a ſapientibus mundi: de negotio hominis, vt ſciamus qui ſimus, filii ſcilicet Dei; vnde venerimus, a patre cœleſti; vbi habitemus, in mundo peregrinationis noſtræ diuerticulo; quo tendamus, in regnum paratum a conſtitutione mundi; per quam viam, per Chriſtum ipſum, reſurgendo & nos renouando, c. 10. Docuit autem nos Chriſtus maxime in cruce *& ab elementis melioris & myſticæ grammaticæ incipiens deduxit nos vsque ad ſummos apices profundisſimæ theologiæ nullam doctrinam intermediam relinquens intactam. Primo enim docuit verbum æternum concordare cũ nomine illo quod eſt ſuper omne nomen, datum quidem ei per virtutem crucis -- Hinc docuit & participium i. e. captam ex vtraque natura portionem, qua conſtituitur ipſe Chriſtus, & nos ſui ipſius participes fecit. Pronomen verum eſt illud cognomen Chriſtus, quo vtimur loco nominis Ieſu -- aut -- etſi Ieſus eſt nomen, poteſt tamen eſſe pronomen, quia ſtat nobis pro nomine magno*

gno

gno Dei, quod exprimi non poterat, quouſque exigeretur opus crucis: -- *Præpoſitionem autem docuit, dum nomen ſuum tradidit in omnibus operibus noſtris præponendum* -- *Explicauit quoque aduerbium, matrem videlicet ſtantem iuxta verbum* -- *Sed & interiectiones maximas docuit nos facere, præbens, vnde ſuſpiria & omnes dictiones dolentis emittamus. Poſtremo coniunctionem illam - cum Deo nos beatificante.* In Logicis verum a falſo diſcernere. In Rhetoricis reconciliare auditorem precum Patrem. *Nec Arithmeticam prætermiſit, dum multitudinem ab vno emanantem in idem conducere ſtuduit* -- *Sed & multiplicare docuit quando inſtruxit nos coniungere pauca merita noſtra cum ſuis abundantisſimis, vt debita ratio inueniri poſſit. Docuit & diuidere, animam videlicet a ſpiritu per gladium ſpiritualem - Subtrahere quoque demonſtrauit debita a meritis noſtris, vt viderentur qui fructus ex noſtris reſtarent operibus. In Geometria vero docuit - quomodo quadretur circulus, & hoc, dum ſphæram intellectualem & naturæ diuinæ quadrauit in corpore quadrifarii elementi, præbens & nobis eisdem elementis quadratis, vnde posſimus conuenire cum ſphæra illa diuina - Muſicam adiecit docens eam & ſonans cum tympano corporis extenſi in cruce, pulſante anima, & reboante ſpiritu tanta ſuauitate, vt longe melius, quam de Orpheo dicatur trahere*

ad

ad ſe etiam longisſime diſtantes in omnibus mundi partibus - Aſtrologiam cum effectu producens & diffundens cæleſtes & diuinos influxus in nos omnes - Veram philoſophiam, quæ docet abſtrahere intellectualia & ſpiritualia a ſenſibilibus, dum docuit hæc contemnere, & illa appetere- Medicinam autem docuit & exercuit gratis effectus omnium languentium medicus - In philoſophia morali virtutes omnium excellentisſime tradidit, charitatem, humilitatem, obedientiam, fidem, patientiam, ſpem futurorum bonorum. *Verum tandem ſummum apicem Theologiæ docuit, dum omnia compleuit, quæ in tota Scriptura S. lege videlicet & prophetis continentur &c.* c.11. At & bonus ille pater ditat nos theſauris gratiæ, ſapientiæ & ſcientiæ, gloriæ quoque c.12. Peculio nos filias ſuas dotauit gratiæ præuenientis & cooperantis, induit veſtimentis ſponſa tanti viri dignis, c.13. legauit denique æternum regnum beatitudinis 1. Pet. I. 4, c. 14: Patri vero Spiritum, Virgini Paranymphum, Nicodemo corpus terræ tradendum, Apoſtolis perſecutionem, peccatori infernum, Chriſtianis pœnitentibus crucem, latroni paradiſum, c. 15. Huius teſtamenti teſtator eſt Chriſtus hæres vniuerſorum cum plenisſima poteſtate legandi, teſtandique Tabelliones ſunt quatuor Euangeliſtæ, teſtes innumerabiles Parthi, Me-

Medi &c. hæredes ſunt omnes ex Deo nati, c.16. confirmatum eſt teſtamentum, ſanguine & morte, c. 17. Dum itaque vniit nos in vnum corpus, membra regit, vt Pater & caput c.18, 19. ac ne nos ſolicitudine affligamur, ipſe nobis victum, & amictum præbet, c. 20.

§. XV. Ton. VI. *Chriſtus eſt finis & complementum omnium operum omnibus dans, vt operentur.*

C. 1. Chriſtus eſt auctor & finis fidei, omnia enim credenda aut ſunt circa ipſum aut emanant ab eo, aut ad eundem referuntur: facienda vero ſine eo perfici nequeunt. Sed & cunctarum rerum cauſa, omnia diuinitate ſua replet, c. 2. nec tamen eſt pars aut totum & tamen totum & pars. Eſt enim Deitas Chriſti perfecta in imperfectis: in perfectis ſupraperfecta & præperfecta: forma ſuper omnes formas: eſt ſubſtantia omnibus ſubſtantiis ſuperueniens & tamen ſegregata: ordinat omnia, & ipſa tamen ſuper omnem ordinem: eſt vita omnia viuificans &c. c. 3. Habemus Scripturæ eloquia, quæ teſtantur Chriſtum eſſe omnia, c. 4. multarum etiam artificialium rerum nomina ſibi vindicaſſe, c. 5. & ſine rapina omnia diuina quoque: c. 6. Hinc & in nomine Ieſu continentur tam diuina, quam alia nomina. Nam litera ו in voce ישו notat numerum ſimpli-

cem

cem i. e. diuina: ׳ denarium i. e. cœleſtia: ש centenarium i. e. corruptibilia & craſſa &c. c.7. Inuocatur igitur ſolum Ieſu nomen hodie a veris Dei cultoribus, quando omnia nomina atque virtutes omnigenas complectitur in ſe c. 8. Quare & Scriptura ſacra Chriſtum tanquam fontem omnis meriti, gratiæ & gloriæ deſcribit factis typicis, v. g. Ionæ: & oraculis v. g. Pſ. LI, 18. Ioh. V. 46, 47, maxime Eſa. LII, 10, ſqq. Ex quibus omnibus concluditur, Ieſum fuiſſe complementum operum Dei & noſtrorum.

§. XVI. Ton. VII. *Chriſtus eſt rex regum & ſummus Imperator omnia moderans.*

C. 1. Chriſtum eſſe verum dominum vaticiniis Moſaicis prænunciatum eſt Gen. I. 27. ita enim locus hic explicandus eſt, ne Moſes eius, quod iam dixerat, oblitus eſſe videatur. Gen. XLIX, 9. item Pſ. II, 7. Ier. XXXIII. 15. Pſ. CX, 1: c. 2. Chriſtus tamen non dicitur regnare in domo Abrahæ, etſi ei fuerit de Chriſto primum facta promisſio: quia Abraham hac in re gerit maximi Patris imaginem, qui etiam habet filios iuſtos & iniuſtos; c. 3: nec in domo Iſaac; in eadem enim erat Eſau, quem oderat Deus. c. 4: Sed in domo Iacobi, quia hic eſt expresſisſima imago Chriſti, qui etiam eſt pater duodecim hominibus conſtantis familiæ, diuinitus electæ, & de ſe no-

nominatæ, matrimonioque ſibi duas iunxit ſorores vitam actiuam & contemplatiuam &c. c. 5. Hinc & ampli fructus huius domus, vt in Iſraelitica Lea actiuæ vitæ typus plures, Rachel contemplatiuæ vitæ typus amabiliores fructus dedit. Chriſti itaque domus eſt eccleſia vniuerſalis, cuius capita ſunt Apoſtoli, c. 7. Tribus Apoſtolicæ diſtributæ ſunt iuxta ſigna cœleſtia, vti caſtra quoque Iſraëlitarum degentium in deſerto. Hi enim illarum fuere typi. In orientali plaga igitur prædicarunt Simon, Bartholomæus, Matthæus: In meridionali Thaddæus, Andreas, Thomas &c. qui ſignis cœleſtibus ipſis reſpondent, Andreas v. g. Virgini, Matthæus Aquario, quia diiudicat diuina & terrena. Bartholomæus libræ, nam benedictio diuina æqua lance diſtribuenda &c. vti tribus Iſraeliticæ, cum imaginibus ipſarum ſtellarum ad quarum adſpectus caſtra metabantur, conuenerunt. c. 8-13. Et benedictiones a Iacobo filiis impertitæ populis duodecim, queis apoſtoli annunciarunt Euangelium, applicari queunt commode: c. 14-20. Paulo vni omnium gentium cura demandata eſt c. 21. In caſtra metatione illa circa tabernaculum fœderis, collocata quinaria turma ſacerdotum, ducum, Leuitarum, mediatorumque ſignificauit collegia Petri, Auguſtini, Bene-

nedicti, Baſilii & Franciſci, c. 22. Vti 72 diſcipuli a Chriſto emiſſi reſponderunt 72 ſenioribus a Moſe lectis, c. 23. Regit Chriſtus itaque totum corpus myſticum & mundanum recte & bene, c. 24, 25.

§. XVII. Ton. VIII. *Chriſtus eſt mediator, per quem omnibus datur tranſitus vt in finem ſuum deueniant.* Chriſtus in ſanctisſima Trinitate eſt perſona media, per ipſumq; mediū creata ſunt omnia, & Pater cognoſcitur. Eſt & vera arbor in medio paradiſi collocata, humanamque naturam, vt mediam inter cœlum & terram, aſſumſit. Etſi vero illa arbor optima fuiſſet, ſi ea recte vſi eſſent angeli & homines; pernitiem tamen ea comparauit, illis quidem, quia Chriſtum negarunt ſe agnituros dominū & legislatorem, cuius præceptis obſequerentur; hiſce vero, quia rebellem manum ad ipſam illam arborem extenderunt: c. 4: Porro Chriſtus vt oſtenderet factis ſe perfectum eſſe mediatorem, ſemper medius fuit, infans inter duo animalia, puer inter diſputantes, denique inter latrones c. 5. Fuit autem mediator optimus, per quem conſcendimus in Deum & Patrem, qui bellum Iſraëlitis æternum aduerſus quoſdam populos imperauit, vt oſtenderet, perpetuam fore pugnam fidelibus infirmioribus paulo contra diabolum & mundum. Cæterum

nullo medio alio indigemus quo in Chriſtum mediatorem deueniamus, niſi electione & noſtra induſtria.

§. XVIII. Accedit denique canticum Vltimum & nouisſimum quod de microcosmi propter quem facta ſunt omnia, concordi in debitum finem progreſſu & ſtatu exponit. Tono I. *De animæ & corporis atque virtutum concordia multiplici.*

Symmetria corporis humani ea eſt, vt ad eius exemplar Architecti ſe conforment in arte ſua: Noa olim in arca ſua extruenda: imo & Deus in mundo condendo. c.1. Proportiones eius multiplices v. g. decupla dat tridiapaſon & diapente: tripla diapâſon & diapente: octupla tridiapaſon: Omnia membra reſpondent certis ſtellis, elemento &c. Ita & anima media medio inhæret corpori: extrema extremo, ſuprema ſupremo; Media nempe & animalis a diaphragmate vsq; ad caput porrigitur; ſuprema & intellectiua in capite ſita eſt. Quando vero omnis in corpore diſſonantia vel ex humorum abundantia, vel defectu, alterationibusue aliis intrinſecis aut extrinſecis; vel ab animo oritur, corpus eſt temperandum per herbas, radices, lapides, verba: vt hinc ſpiritus, virtutesque concinnum ſortiantur ordinem. Quorſum multum confert Phœbi etiam fauor-

uor, delectusque ciborum ſalubrium: *Operatur inſuper virtus & efficax medici animus, quia fortis imaginatio immutat qualitates in corpore alieno. Id maxime, quando infirmus medico adhibens fidem ſeſe diſponit ad medentis virtutem ſuſcipiendam.* c. 5. Sed & prudentia in motu, abſtinentia, vectione, maxime etiam cuiusq; cognitio ſui ad hoc multum valet; quisque enim ſcire debet, *quæ ſit anima propria, vnde progrediatur, quantis & quot gradibus perfectionis referta, qua intelligentia communita, quibus mediis in corpus infuſa, qua harmonia cum ipſo compacta, quam affinitatem cum Deo, intelligentiis, cœlis, elementis & rebus omnibus habeat, quorum imaginem & ſimulacrum tenet. Quibusue influxibus compaginatum ſit corpus, & quo vitæ curriculo terminandum, vltra quod non detur progreſſus.* c. 7. Temperatur enim corroboraturque corpus & totus homo cœleſti fauore, qui tamen impediri poteſt conſuetudine, moribus, loco genituræ &c. c. 8. Breuisſima vero via a cœlo, angelis & Deo fauorem accipiendi hæc eſt: *Quærentibus*, inquit, *rerum agendarum fauſtum omen, omni diligentia obſeruandum eſt vt audiamus, quid in nobis loquatur Deus: aut in ſcriptura ſua ſancta & lege: quid ſuadeat bonus cuſtos: quid ſuggerat Spiritus, & ad qu d ſidus faueat. Attendendum quoque eſt, quo te ducat locus-- Quis autem ſit locus tuus,*

ſi ratione aut doctrina inuenire nequis, obſerua ubi potisſime tuus ſpiritus recreetur, vbi ſenſus vegetior fiat, vbi corporis valetudo & agilitas proficiat, vbi vota ſuccedant, vbi pleriqne faueant, vbi infenſi ſuccumbant - Opera pariter virtutis aggredere, in quibus oblectaris & vtriusq; hominis profectum ſentis. Horas inſuper elige pro orationibus, contemplationibus & aliis operibus ſpiritus conducendis (i. e. coniunctim peragendis) *a patribus non ſine ratione traditas & eas quas ſpiritus ipſe ſuggeſſerit. - Nec fixus in eodem loco aut opere ſemper permaneas, ſed variis te motibus exerce: gyros quosdam circumduces inſtar cœleſtium, a quibus fauorem quæris. Nec contemnenda eſt profeſſionis mutatio,* cum doceatur, *geminos eſſe genios, alteros quidem natiuitatis, alteros autem profeſſionis: Et hos quippe aliquando concordes; aliquando vero ad diuerſa deducentes. Si igitur concordes habueris, geminum ſenties profectum & augmentum, naturæ vid. & profeſſionis. Si vero diſpares fuerint, melius aliquando fomentum percipies profeſſionis quàm natiuitatis. Quem fauorem vt magis proſequaris, prodeſt mirum in modum mutatio nominis, habitus, loci, victus & conſuetudinis. &c.* Qvæ vberius adhuc, ſed more ſuo, perſequitur Auctor. c. 9. Nec a cœlo ſolum homo, ſed & ab omnibus aliis rebus fouetur, nimirum intellectus eius a

Deo

Deo: ratio media inter intellectum & phanſiam, ab omnibus circa quæ ratiocinatur. Iraſcentia a corde: appetitus rationalis potisſimum a Deo & rebus circa quas verſatur, alter appetitus ab obſequio: ſenſus ab omnibus rebus ſenſum delectantibus & afficientibus, c. 10. Anima ſeipſa contenta eſt, aut philoſophia nutriatur, virtutum delectu ſanetur & oblectetur, quæ quidem omnes congruunt cum anima, quisque tamen ei virtuti vacet, ad quam ſidus, geniꝰ, natura, Deus ducit, ita vt a virtute politica conſcendatur ad purgatoriam diapaſonica harmonia: a purgatoriis vero ad heroicas, itidem diapoſonica.

§. XIX. Ton. II. *De anima conſonantia per rerum intelligentias*, i. e. quas res percipiat anima. Conſideratur anima in hoc tono, non quatenus eſt forma corporis & ſubiectum virtutis, hoc enim iam factum eſt, ſed quatenus conuenit cum rebus quas intelligit. Eſt autem anima hoc reſpectu definienda, diuina quædam ſubſtantia a diuinis fontibus emanans, ducens ſecum numerum rationalem: quo cum omnibus proportionem habens omnia intelligere poſſit. Omnes animæ æquales creatæ a Deo non ſunt, differunt enim accidentibus & gradibus, vt anima Petri perfectior ſit quam Iudæ. Sciſcitan-

tur autem homines de cauſa,per quam in primæua diſtributione, hac inæqualitate vſus ſit æquisſimus iudex, æque inepte, ac ſi qui quærant, cur ipſe opifex non fecerit omnia animalia angelos: omnes planetas ſolem: omnia membra oculos. Non tamen iccirco eſt Deus acceptator perſonarum 1. Petr.I,17. Rom.IX, 21. Nec obſtat huic veritati Malach. I. 2. Exod.IX. 16. nam induratur lutum ex ſui diſpoſitione ab eo ſole, qui ceram liquefacit. C.6. ad quæſtionẽ: an anima in principio nuda ſit, an appareat tantum, reſpondet Noſter ex Platonis ſcitis c. 7. Quæque anima certe pertingere poteſt ad gradum ſibi conuenientem & deſtinatum,non tamen ſemper peruenit. c. 9. Media quæ nos admouent ad illum gradum donum Dei ſunt & Spiritus S. ſpeciale: hoc ſi deficit, ſtudium litterarum ſacrarum: in his enim omnia naturæ & Dei ſecreta traduntur. c. 10. Primo quidem per ſenſus exteriores ad iſtum terminum conſequendum ii qui ſunt addicti ſenſibus corporeis, tuto procedunt,ſed qui iam profecere, eorum alia eſt ratio. Senſus enim interiores vere accommodati ad id & neceſſarii ſunt, pluraque iis & certiora percipi poſſunt, homoque iis vtatur ſemper, oportet.

§. XX. Ton. III. *De hominis conuenientia cum intelligentiis, cœlis & ſacris.*

Con-

Conueniunt angeli & homines diſpoſitione naturali, ſunt enim participes rationis,intelligentiæ capaces, in eundemque finem tendunt. Verum tamen Homo præſtat angelis Hebr. I. 14. quod idē ex creationis ordine patet. Chriſtus etiam aſſumſit homines (Hebr:II.16.) tanquam magis vnibiles. Vnde & inuidia orta eſt diaboli. An tot ſint angeli quot homines, definire nemo audet, Moſes tamen vtrorumque numerum videtur exæquare. Vti vero Fidelibus ſingulis cuſtos angelus adiunctus eſt, ita impiis malus angelus. c. 6. Quod alterum attinet nempe conuenientiam cum cœlis, certum eſt a cœlis accipere hominem ad ſe perficiendum, lucem, motum, generationem, virtutem quamlibet, mores concinnos; cœloſque virtutem ſuam nactos eſſe ab angelis. Habet præterea homo a ſacramento aquæ, ablutionem, a ſacramento olei robur, a pane confirmationem virium &c.

§. XXI. Tom. IV. *De conuenientia omnium rerum cum homine bene chordato, vt poſſit in cunctis operari & omnibus iubere.*

Conuenientia quædam occulta eſt inter res mundi: & quæ ſic conſpirant, in homine facilius connectuntur. Vnde & homo vaticinatur nonnunquam, euentuſque dictis fidem facit. Illa vaticinia impertiuntur

eidem per ſomnium, viſionem, furorem, bathkol: Itaque omnia ad ſe deducunt homines bene compoſiti. Quin & omnibus dominantur rite in ſe conſtituti. Vis illa dominandi data eſt homini a Deo, dum ipſum donauit terrore, ſed perditur peccatis (hinc illa querela Caini Gen.IV,14.) reſtituiturq; iuſtitia, quod Noæ exemplum condocet. Hinc illa ars Archytæ Tarentini, columbam volitantem conficientis: Alberti M. æneo capiti loquelam indentis &c. Sedulo tamen naturalia opera, miracula item falſa atque vera diſcernenda. Bene chordatus denique i.e. compoſiti animi homo & probus exauditur, quicquid etiam petierit; exemplum eſt in Moſe, Ezechiele. Isque ſolus lætus cum Deo viuit. c.12.

§. XXII. Ton. V. *de Conſonantia animæ cum ſpiritu proprio & aliis ſpiritibus.*

Spiritus eſt quidam nexus ligans & nectens duo extrema ſimul, ipſa viuificans & corroborans pro conditione ſpiritus vnientis: quæ definitio reſultat ex voce רוח caballiſtice reſoluta. *Hominis ſpiritus vero nexus quidam eſt & medium ſapiens naturam intellectiuam & corpoream, ligans & connectens animam animalem & craſſiorem cum intellectiua virtute, quæ dicitur portio ſuperior. Corporeus quidem eſt ſpiritus ſed corpus illud ſubtiliſſimum eſt, & facile vni-*

bi-

bile cum mente ſuperiore quæ eſt in nobis. c.1. Eſt autem vel *naturalis*, *dæmoniacus*, *humanus*, *angelicus vel diuinus*. c.2. Spirit9 noſter qui forte eſt anima rationalis & media, aſſentitur & ſupremo illi atque diuino in homine, quod nunquam peccat, nec olim cum damnando in infernum detrudetur; & infimo illi ſemper propendenti in peccatum. c. 3. Cum ergo diſcupit diuina conuenit cum Spiritu Dei. Vnde & diſcipuli Chriſti melius doceri poterant a Spiritu S. tanquam perſona propiore hominibus, quam illa erat, quæ aiebat: Multa habeo, quæ vobis dicam. c. 4. Habet idem commercium cum angelis ductóribus noſtris in Deum. c. 5. Si homo contra gaudeat mala diſpoſitione materiæ & earum rerum omnium quæ ei innituntur, conuenit cum ſpiritu diabolico. c. 6. Spiritus igitur hic intrare in iſtius corpus intelligitur, cum miſcentur duo ſpiritus humanus & mali dæmonis. c. 7. Itaque vt introducatur in nos bonus ſpiritus, ſiue angelicus ſiue diuinus, fiat conſonantia inter ſpiritum & animam, ex ea enim deuenitur in vnionem eorum c. 8.

§. XXIII. Ton. VI. *De conuenientia ſuauiſſima hominis cum Deo, vt ipſo hic frui incipiat.*

Homo Deum trinum natura æmulatur in tribus potentiis animæ, intellectu, voluntate, memoria, & repræſentat in figura. Corpus n.

Deo veſtito non minus conuenit, quam homini pura & expoliata materia. Induit enim primam veſtem cum Filium generare ſtatuit, quæ alias paternitas dicitur. Suſcipiens autem in paterno ſinu filium quem genuit, aliud induit veſtimentum. Genito filio, qui vim generatiuam habet rerum omnium, a quis indutus eſt Deus: Spiritus S. igne amictus eſt &c. c. 3. Cum vero in homine ſint, infimum, ſummum & intermedium, omnia facile per ipſum hominem cum Deo conciliantur. Ideo enim anima in corpore tanquam in fuſorio vaſe purganda collocata eſt, antequam reuertatur ad eum, a quo venit, vt purget & purgetur. Quapropter & mutabilis facta eſt, immutabilis enim tantummodo eſt Deus, & vt ſi ſtrenue certaret homo, potiretur præmio, quod deſidioſo non datur. Vti vero diſſidet homo a Deo peccato, ſi eius ab ordine deſciſcit, ita reducitur ad harmoniam pœnitentia, c. 8. ad quod multum conferunt ſacramenta; expiatur enim homo illis, vt dignus Deo reperiatur, & eleemoſynis abluitur. c. 11. Perſonet inſuper homo virtutibus, c. 12. lectioneque bibliorum Cantica Deo grata addiſcat, quæ præcedat meditatio. Meditans enim indigentiam ſuam cognoſcit, neceſſaria procurat & poſcit. c. 14. Moduletur & oratione, c. 15. Ita demũ contemplatio-

ne

ne introducetur ad penetralia, in quibus perſpicere licet illa ſpectacula æterna. Tandem is Amore vnietur, c.17, ecſtaſi transmutabitur: & corpus quidem in ſpiritum 1. Cor. XV, 44. ſpiritus vero in Deum. Ioh.I. 12.

§. XXIV. Ton. VII. *De anima & corporis harmonia mutata in melius per ignem & reſurrectionem.*

Reſurrectio erit, cum diſſonans materia in meliorem ſortem mutata reſumetur. Eſt autem inter ἀδύνατα nequaquam referenda, contrarium enim condocefacit nos Phœnix, herbæ & multa naturalia &c. imo & Chriſti reſurrectio c.2. E Ratione, illam ita futuram eſſe, vt dictum eſt, probari ſic poteſt: Omne id quod fruitur eadem re, qua alia fruuntur, eſt eiusdem naturæ cum hiſce: Atqui anima fruitur eadem luce per naturam ſuam, qua angeli & Deus, quamuis non in eodem gradu; Hi ipſi vero cum ſint immortales, procul dubio & immortalis erit anima, & cum Deo conſummate vnietur: quod cum fieri perfecte nequeat, quousque graui hac corporis mole induta eſt, neceſſe eſt vt corpus transformetur. c. 3. Chriſtus autem primum aditum nobis aperuit ad reſurrectionem; concinnum enim erat hominem per eum reparari; a quo paratus fuerat, Iob. XIX. 1. Cor. XV. c. 5. Si coniecturæ locus eſt,

fu-

futura eſt reſurrectio in ſeptimo millenario. Dies enim creationis ſex, totidem durationis mundi millenarios innuunt, c. 6. Pater vero per verbum iubebit ſpiritum omnia reſtituere ad perfectionem, executoribus angelis. Apoſtolus quidem dicit voce Dei, Chriſtus, tuba angelorum conuocandos eſſe omnes mortales, conſentiunt ergo; fiet enim id omnino iuſſu Dei, c. 8. Mutationem corporum docet 1. Cor. XV. c. 9. Immutabuntur autem qui cœleſtem duxere vitam, c. 10. reſurgent autem primum eodem corpore quod deſtructum fuit, c. 11. nec peribit capillus Nazaræorum, c. 12. Ceterum gaudebimus pedibus non offendentibus, manibus indefeſſis &c. c. 13. conflabimur igne Dei, qui *eſt ſpiritus igneus intellectualis non habens formam, ſed transformans in ſe quodcunque voluerit & coæquans ſe vniuerſis & vniuerſa ſibi*, c. 14. Mali cremabuntur igne parato Diabolo, quem quisque accendit peccatis ſuis, c. 15. Cruciabuntur autem ita, vt anima, vtpote a corpore victa induat grauitatem, & infimo huic conformetur, adeoque perſentiſcat ignem corporeum, c. 16. Difficultas vero illa, quæ hinc reſultat: videlicet quomodo ignis ſpiritualis ſit & animas beet, & tamen corporeus corpora affligat, ſoluitur illo Pauli: diuiſiones operationum ſunt, idem autem

Deus

Deus qui operatur omnia in omnibus.

§. XXV. Tonus VIII. *De Suauiſſimis concentibus & pauſa illa æterna in adepta beatitudine*: Illorum Modulus primus eſt *Materia*. Vbi deſcribit ciuitatem illam ab Ezechiele & Iohanne in Apocalypſi extructam: quæ tota eſſe dicitur ex auro, i.e. diuina charitate quæ vitam præſtat, conc. 1. Parietes ſunt ex iaſpide vtroque ſexu gaudente, & decoro, adeoq; concentores cœleſtes repræſentante. con. 2. Lapides 12 ſunt 12 Apoſtoli. conc. 3. vera denique materia ſupernæ ciuitatis eſt aquea & ignea. Modulus II. *Diſpoſitio*. Concent. I. De partitione Iohannis & Ezechielis agit; obſeruatque Iohannem non commemorare templum, quia tum preces ceſſant. conc. 2. ſufficere ait ciuitatem illam capiendæ magnæ Chriſti familiæ. conc. 3. in quadro poſitam ad ſoliditatem demonſtrandam. conc. 4; habentem portas tres in omnibus lateribus quatuor, ne quis putet, quaternitatem illam differre a Trinitate, Conc. 5. plateas vero aureas, charitatis indices. Mod. III. *Menſura*. conc. I. de menſura particulari ſecundum Ezechielem agit conc. 2. de menſura primitiarum & decimarum: Conc. 3. de menſura huius ciuitatis ſecundum Iohannem. Modulus IV. *Structura*. Conc. I. Deus eam extruxit. conc. 2. compactam virtute nominis San-

Sancti & magni. Conc.3. Apoſtolorum nominibus fundamento inſcriptis, cum ipſi fundarint eccleſiam in XII. mundi partibus: Angelorum contra in portis, quia nos in aulam inducunt. Modulus V. *Ornatus*. Notat Ezechielem memorare ornatum, reticere eundem Iohannem, quia ſponſa vera vmbris figuris & ænigmatibus exors eſt, nec imagines ſuppetunt, quibus vera gloria deſcribatur, conc. 1. 2. Mod. VI. *Lux: quæ eſt ſpiritus ſplendidus aut ſplendor ſpiritalis, ſeu diuinus ignis omnia colluſtrans & omnia viuificans. Sed viſibilis hæc lux eſt ſpiritalis quædam, ſubita & latisſima ſine detrimento effundentis emanatio, impartiens rebus inferioribus ea beneficia quæ a ſuprema luce ſuſcipit.* Lux genita eſt filius Dei: datque intelligentiam, rationalitatem, ſenſum &c. Mod. VII. *Partitio*. Eſt enim diſtincta certis ſedibus, quæ reſpondent gradibus illis Eph. IV. 11. nominatis: prima ſedes ſummo Imperatori deſtinata eſt & Imperatrici ad dextram ſedenti, tum ſuæ Apoſtolis, aliis denique aliæ. Modul. VIII. *Hoſpites:* quot ſint, Deus nouit: illi ſunt autem angeli, homines & Pater, Filius cum Spiritu S. Mod. VIII. *Sponſalitia:* facta ſunt in baptiſmo, ratificata per gratiam Dei per totam vitam nobis adſiſtente, conſummata noſtris operibus. Mod. IX. *Victus* eſt Chriſtus Ioh. VI. 33. vi-

vinum de vite illa vera Ioh. XV. 1. &c. Mod. XI. *Inſtrumenta* muſica ſunt cœlorum globus, humana lingua, corpus, lingua angelica, qualiscunque demum illa ſit. Flatum ingeret Spiritus S. & Verbum. Cæterum Tubæ, Dauidi ſæpius commemoratæ (hic Auctor nec Auguſtinum nec Caſſiodorum conſectatur, ſed producit ea quæ ipſi omnium minimo Sanctus Spiritus ſuggesſit) notant *eam laudem quam dederunt Deo in concionibus ſuis & nunc referunt diuini contentores:* Pſalterium patres V. T. Cithara Euangelicos: Tympanum abſtinentes ieiunantesque &c. Mod. XII. eſt *Epithalamia:* quæ nemo niſi præcentores ab Archimuſæo inſtructos ſecutus rite canit. Mod. XIII. *Triumphus*, qui petitur ex iuſta pugna Chriſti & aliorum poſt abitum Chriſti. Mod. XIV. *Præmium*, quod magnum, iucundum & æternum eſt. Mod. XV. *Imperium*, quod amplum, iuſtum, cum commilitonibus communicatum eſt. Mod. XVI. *Pax*: quæ eſt tranquillitas ordinis: hic vero parium diſpariumque rerum ſua cuique tribuens diſpoſitio: prouenit a Deo & ſuauisſima eſt. Mod. XVII. *Vnio*. Mod. XVIII. *Felicitas*, quæ eſt affluentia quæ quis vult: illa ergo eſt in Deo, conſequecda iis, qui vitam iuſte exegerunt. Mod. XIX. *Omne bonum.* Mod. XX. *Silentium. Nam cum deuenerimus*

pri-

ad primum & ſummum, quieſcendum eſt, nec vltra progrediendum, cum nihil vltra ſummum dari poſſit. Nam qui transformatus eſt in Deum, *omnium exteriorum oblitus atque ab omnibus aliis ſeiunctus nullum habet cum quo loqui poſſit, conuerſans ſolummodo cum illo apud quem ſermo non exquiritur, cum omnia intueatur: nec non, quia ea proſpicit, & his oblectatur, quæ ſi vellet etiam exprimere, nequiret.* Tandem hymno Deum celebrat ſub finem operis Auctor.

OBSERVATIO XVII.

IVSTINI PRESBEVTÆ DISCVRSVS DE IVRE LEGATIONIS STATVVM IMPERII. ELEVTHEROPOLI, ANNO MDCC. IN 8.

SVMMARIA.

Potiſſimi Scriptores de iure Legationum Vicquefortius & Culpiſius. §.I. *Vicquefortii fatum in Gallia* §. II. *& ſimile in Belgio* §. III. *Tractatus Gallicus de captiuitate Principis Fürſtenbergii* §.IV. *Occaſio primarum meditationum Vicquefortii de Legatis & miniſtris publicis earumque contenta* §. V. *Oppoſitæ his conſiderationes Gælardii* §. VI. *Iterata editio meditationum Vicquefortii.* §. VII. *Eiusdem maius opus de Legato & eius munere.* §.IIX. *Contenta primæ* §. IX. *& ſecundæ partis.* §. X. *Deſiderata in hoc opere quoad methodum,* §.XI. *&*

& modum tractandi. §. XII. *Cauſæ cur hoc opus ſe plurimis commendauerit. Eiusdem noua editio Germanica & verſio in linguamGermanicam* §. XIII. *Cauſæ miſeræ huius verſionis & ſimilium aliarum eiusdem autoris.* §. XIV. *Contenta tractatus Culpiſiani,* §. XV. *eiusq; commentatio.* §. XVI. *Iudicium de eius ſententia, quænam actio competat ſtatibus Imperii circa ius Legationum.* §. XVII. *Quæſtionis huius vtilitas in quo conſiſtat.* §. XVIII. *Vicquefortii & Culpiſii ſententia de conſtitutione ordinum Belgii de muneribus a ſuis Legatis non accipiendis notatur.* §. XIX. *Commendatio diſcurſus Iuſtini Presbeuta de iure Legationum.* §. XX.

§. I.

De Legatis ac iure Legationum quamvis plurimi ſcripſerint, quos per indicem recenſet Culpiſius in præfatione, commentationi de legatioinb9 ſtatuum Imperii præmiſſa, præ reliquis tamen varias ob cauſas applauſum meruere Vicquefortii opus & ipſius Culpiſii modo memorata commentatio.

§. II. Et quidem Vicquefortium quod attinet, fuit is in Belgio natus, ſed neſcio quo fato, ſedem fortunarum ſuarum in Gallia fixit. Ibi vero, poſtquam per triginta annos vixiſſet, & cum in aula Gallica miniſtrum potentiſſimi cuiusdam Principis Germaniæ,

Electoris nimirum Brandenburgici, ageret, anno videlicet huius ſeculi 59. iuſſus eſt abire, & mox loco publico detentioni illuſtrium perſonarum deſtinato (à la Baſtille) inopinato incluſus, ſed paulo poſt iuſſu Cardinalis Mazarini liberatus, ac in oblivionem acceptæ iniuriæ annua penſione mille thalerorum honoratus eſt, quam & retinuit, donec Rex Galliæ hoſtis patriæ eius deueniret. *Memoires touchant les Ambaſſad. edit. de anno 1677. p. 290. ſeq. Reflexions ſur ces memoires p. 123.*

§. III. Durante vero bello inter Regem Galliæ & ſtatus Belgii fœderati, Vicquefortius in patria ſua degens ſub prætextu quod arcana ſtatus proderet, iterum carceri mancipatus eſt, non obſtante exceptione, quod diceret, ſe in patria miniſtrum publicum Sereniſſimi Ducis Brunouicenſis agere, vnde tamen poſtea, haud dubie ad inſtantiam Domini ſui, fuit liberatus.

§. IV. Cum autem anno 74. Coloniæ Princeps Furſtenbergius vi armata abriperetur, & captiuus Viennam deduceretur, atque Rex Galliæ prætenderet, iura Legationis eſſe violata, prodibat in publicum anonymi tractatus ſuper iſto facto (*Traité curieux de l' enleuement du Prince de Furſtenberg*) in quo autor defendere intendebat, poſſe principem iurisdictionem exercere in ſubditos ſuos, etiamſi

iamſi in aula ſua perſonas Legatorum principum aliorum exercerent. Hic inter alia *p. 120. tractatus illius* mentionem etiam iniecerat, quamuis absque appoſito nomine, Vicquefortii, eiusque captiuitatem Belgicam non obſcure iuſtam pronunciauerat. *Memoires touch. les Ambaſſ. dans la preface & pag. 1. Reflex. ſur ces memoires p. 132.*

§. V. Indigne iſta ferens Vicquefortius edidit meditationes de Legatis & miniſtris publicis (*memoires touchant les Ambaſſadeurs & miniſtres publics*) quamuis nomine ſuo occultato ſub literis *L. M. P.* quas aduerſarius eius poſtea interpretatus eſt *le Miniſtre Priſonnier*. In hoc tractatu primario agit de quæſtione: an Legatus exteri principis apud principem vel proceres patriæ ſuæ; iurisdictioni patriæ ſit exemptus? cuius affirmatiuam variis exemplis, ex quibus Ius Gentium conſtitui arbitratur, probare intendit, ſimul vero ex collectaneis ſuis varias quæſtiones de iure Legationum, ſed ſimili modo exemplis magis quam rationibus, definit. Ordo quoque tractationis eſt liberrimus & ſatis confuſus, quem autor hinc inde excuſat, & magis ordinata in ſecundis curis promittit. Quantumuis autem meditationes iſtæ, vt ex initio ſtatim apparet, autori tractatus de captiuitate Principis Furſtenbergii ſint op-

poſitæ, non tamen reperio in ipſis meditationibus diſtinctam eius refutationem, aut in deductione quæſtionum iteratam expreſſam mentionem. Neque in ſpecie aperte tetigit captiuitatem ſuam, ſubinde tamen data, vel quæſita occaſione parum reuerenter de ordinibus confœderati Belgii, ac eorum ordinationibus Legatos concernentes ſentit.

§. VI. Neque tacuit eius aduerſarius, ſed nouæ opuſculi Vicquefortiani editioni, quæ Coloniam in titulo mentitur, anno huius ſeculi 77. adiunxit conſiderationes earum meditationum (*reflexions faites ſur ces memoires & vne reponſe au Miniſtre Priſonnier*,) Exemplari quod poſſideo neſcio quis adſcripſerat, *par le Sieur Galardi.* Vt adeo hic autor etiam veroſimiliter ediderit ſæpe memoratum ſcriptum de captiuitate Furſtenbergii. Id vero agit in illo tractatulo Galardius, vt non ſolum quæſtiones quasdam Legatos concernentes aliter definiat, quam fecerat Vicquefortius, ſed & exempla a Vicquefortio adducta partim diſcurſibus politicis illuſtret, partim vero facta Principum aliorumque ſtatuum, in quos cenſoriam notam vſurpauerat Vicquefortius, defendat. Vbiuis autem fere propriis Vicquefortii verbis in refutãdo eo vtitur, quod ipſi non fuit difficile, cum is, qui ex

ex exemplis Iura Gentium metiri vult, ob eorum inſignem varietatem & contrarietatem, non poſſit non vagari & ſibimet ipſi contradicere.

§, VII. Paulo poſt nouam editionem meditationum ſuarum fieri curauit Vicquefortius,& nomen ſuum appoſuit. Quamuis vero eandem non poſſideam, nec dicere certo poſſim, vtrum in ea Galardio reſponderit, nec ne, vereor tamen, vt Vicquefortius quicquam reſponderit, aut reſpondere potuerit. Quod autem ſcripſerim,nouam iſtam editionem paulo poſt editam eſſe, eo fundamento nititur, quod Culpiſius, qui tractatum ſuum anno 79: publici iuris fecit,ad eandem in præfatione prouocet.

§. IIX. Tandem anno 81. publicauit Vicquefortius maius opus, quod in meditationibus ſubinde promiſerat, ſub titulo, de Legato & eius munere (*L' Ambaſſadeur & ſes fonctions par Monſieur de Wicquefort, Conſeiller aux Conſeils d' Eſtat & Priué du Sereniſſime Duc de Brunſuic & Lunebourg Zelle*) impreſſum Hagæ Comitis cum priuilegio potentum ſtatuum Hollandiæ & Friſiæ. Nam in hoc maiori opere durius dicta in ſtatus Belgii omiſerat.

§. IX. Diuiſit autem totum opus in partes duas. In prima parte agit peculiaribus capi-

 tibus

tibus de Legato in genere: (*de l' Ambaſſadeur en general*) quod nonniſi ſummæ poteſtates poſſint Legatos mittere: An Tyranni titulo & ſupremi Præſides poſſint mittere Legatos? Principes Germaniæ poſſe mittere Legatos: de miniſtris ſecundi ordinis: ad quos mittantur Legati? de ſanguine & ſtudiis Legati: de eius ætate: an Clerici apti ſint ad munus Legati? de Legatis in ſpecie: (*des Legats*) Principem poſſe extraneis vti in Legationibus, etiam in horum patria: de fide Legatorum: quod Legatus debeat eſſe gratus ei cui mittitur: de inſtructione Legati: de literis commendatiis: de eius mandato: de litteris ſalui conductus: de receptione & publico introitu Legati: de audientia: de ciuilitate & decoro tum Legati tum erga Legatum: de prima viſitatione: de aliis moribus ciuilibus erga Legatos obſeruandis, aut, quos Legati obſeruant inter ſe: de veſtitu & magnificentia Legati: de prætenſione primi loci inter Gallum & Hiſpanum: de pluribus aliis prætenſionibus: de Legationibus conſtantibus ex pluribus Legatis: de inuiolabilitate ipſius Legati: de inuiolabilitate ædium, & familiæ Legati: quibus caſibus ceſſet Legatorum inuiolabilitas, quibus caſibus ceſſet ipſum Legati munus.

§. X. In ſecunda vero parte agit de munere

nere Legati in genere; de eo cum quo Legatus negotia ſibi impoſita conferre debeat? quomodo in negotiis expediendis debeat verſari? quod ſe immiſcere non debeat negotiis domeſticis illius ſtatus, vbi Legati perſonam ſuſtineat? quod debeat exequi mandata, & quomodo id facere debeat: de prudentia & aſtutia, de libertate loquendi: de moderatione; quod Legato liceat corrumpere Miniſtros vbi agit: de literis & epiſtolis per curſores publicos miſſis de mediis partibus, & Legatis mediatoribus: de tractatibus: de tractatibus pacis Monaſterienſis & Oſnabrugenſis: de præcipuis tractatibus publicis ſeculi decimi ſeptimi: de ratihabitione: de relatione Legati ad eum qui illum miſit; deniquè de quibusdam Legatis illuſtribus noſtrorum temporum.

§. XI. Apparet ex dictis quod in maiori opere quidem tentauerit autor confuſionem quæ vbique regnabat in opusculo minore, euitare, & diſcurſus ſuos in meliorem ordinem redigere; ſimul vero oſtendit index capitum, quem modo dedimus, ordinem non plane nullum ſed vtcunque aliquem in iis apparere. Aſt qui exactum ordinem & qui ſe bonæ methodi gnaris commendet, hic quærere velit, valde decipietur. Quemadmodum enim iſta capitum recenſio ſubinde

oſtendit laxam nimis,quandoque etiam nullam plane eſſe capitum inter ſe connexionem, ita in ipſis diſcurſibus capitum ſcopæ diſſolutæ fere vbique reperiuntur. Vt adeo pro excuſatione autoris nil fortius afferre poſſe videaris, quam quod vltra poſſe nemo obligetur, & quod ſuam imbecillitatem hac in parte in ipſo dedicationis initio non valde diffiteatur. *Mon deſſein*, inquit, *eſtoit, de demeler en cet ouvrage la confuſion, qui defigure les Memoires, qui ont eté publiés ſur le mésme ſuiet, & d' en fuire vn traitté, qui euſt de l' ordre & de la methode. Ie puis dire, que ſes commencements eſtoient ſi heureux, que ie pouuois m' en promettre vn ſucces aſſez fauorable: mais à peine auois ie formé le premier proiet de la ſeconde partie, que l' on m' oſta le moyen de l' acheuer, & meſmes de le continuer.*

§. XII. Porro, quod & modum tractandi, & controuerſias illuſtres de iure Legatorum definiendi concernit,non ſolidiores rationes in opere maiore ſunt quærendæ,quam in minore tractatu inueniuntur. Ita hic iterum perpetua confuſio iuris & facti, iuſti & decori, & perpetuæ contradictiones. Exemplo rem iam olim declaraui *in diſquiſitione de iure aſyli, legatorum ædibus competente, quæ eſt inter diſputationes Lipſienſes penultima.* Vt adeo in

toto

toto opere plus diligentiæ appareat quam iudicii.

§. XIII. Placuit tamen iſtud opus pluribus, vel ob iucunditatem lectionis ex collectis tot exemplis oriundæ, vel quod totus fere mundus præiudicio autoritatis, etiam in rebus agendis ſit immerſus, & magis quærat, quid Romæ fiat, quam quod fieri debeat, vel denique, quod multos inuaſerit inepta perſuaſio, homines diuites & potentes non opus habere, vt doctrinas iuſti & decori per præcepta diſcant, ſed ſufficere his tanquam ingenio reliquorum hominum rationem ſuperante, præditis ſola exempla. Quare mox alia editio in Germania fuit tentata, quæ tamen in titulo de impreſſione Hagæ Comitis facta mentitur, & infinitis erroribus typographicis abundat, vt vix inſpici mereatur. Quin & tractatus hic Vicquefortii a Doctore quodam Lipſienſi in idioma Germanicum fuit translatus, ſed æque infeliciter, cum nulla fere pagina ſit, in qua non occurrant interpretationes vna plures a mente & ſententia Vicquefortii plane alienæ.

§. XIV. Scilicet & ſi interpres & idiomatis Gallici & Germanici probe gnarus eſſet, & antea in transferendis aliis libris ſpecimina laudabilia edidiſſet, accidit tamen, vt in profectiore ætate viſus ipſi deficeret, & opus habe-

be-

beret, vt alii ipſi textum Gallicum prælegerent. Horum autem cum pronunciatio non eſſet ſatis apta, ſæpiſſime deceptus eſt interpres, vt vnam vocem pro alia ſimiliter ſonante intelligeret. Adde quod bibliopolæ noſtri non ampla honoraria dent interpretibus, & iſte Doctor, magis ſedandæ famis quam quærendæ famæ cauſa, operas ſuas vltimis temporibus bibliopolis locaret, & ſæpe periphraſes ſuas aut ampliationes & ratiocinationes rei a ſe male intellectæ immiſceret. Quare effectum eſt vt non ſolum hæc translatio operis Vicquefortiani, ſed & aliorum tractatuum interpretationes quæ ipſum autorem agnoſcant, tam infeliciter ſuccederent. Puta interpretationem Germanicam Gratiani de Homine Aulico, item Actorum pacis Neomagienſis, quamuis hæc vltima etiam continuationi operis Londendorpiani ſit inſerta, & vel maxime iſtud fœdet.

§. XV. Sed de Vicquefortio ſatis. Culpiſius commentationem ſuam de Iure ſtatuum imperii circa legationes capitibus 23. incluſit. Capite 1. exponit quid ſit Legatus. In 2. diſſerit quænam ſint ex hodierno curialis ſtyli vſu legatorum genera, vbi Perezii, Zouchæi & Alberici Gentilis opiniones examinat. In 3. agit de his qui Legati videantur eſſe nec tamen ſint. In 4. explicat, quid ſtatus

tus imperii nomine hic ſignificetur, & Cæſarini Furſtenerii ſomnia tangit. Capite 5. docet: An, & quid iuris ſtatibus competat circa legationes nomine Imperii mittendas. Capite 6. de legationibus ſtatuum territorialibus agere incipit, & inſpecie de quæſtione quo iure & titulo mittantur, vbi varias multorum ſententias expendit. Caput 7. diſſerit, quando & quibus gradibus legationum ius acquiſierint ordines, vbi iterum viſiones Furſtenerii refutat. Capite 8. exhibet, quales & qui ſtatus mittant legatos, an Condomini, Minorennes, Apennagiati, Exemti & alii? Capite 9. inquirit, ad quosnam mittere legatos poſſint ſtatus? Capite 10. definit quæſtionem, quales ſint aut eſſe debeant, qui a ſtatibus mittuntur Legati? vbi in primis de iure mittendi Ambaſſadores, an & quibus id competat, agit. Capite 11. exponit requiſita ſpecialiora legatorum ad conuentus præſertim imperii mittendorum, publicis legibus moribusue præſcripta Caput 12. exhibet ſolennitates misſionis, mandatum, literas credentiales, ſaluum conductum, legatiuum, Caput 13. docet neceſſaria de intimatione, aduentus, ſolenni receptione, hoſpitalitate, publica, legitimatione aliisque ſolennibus circa admisſionem legatorum ſtatuum, tam apud exteros, quam in Imperio receptis. Caput

put 14. ſiſtit characterem repræſentatitium Legatorum, eiusque effectus in Legatis ſtatuum, ac initio quidem præcedentiam repræſentatiuam. Caput 15 proponit ceremonias apud principem, ad quem miſſus eſt Legatus, obſeruari ſolitas, vbi & de ſolenni deductione ad audientiam, honoratiore loco in domo Principis, facultate ſe tegendi ſedendique coram Rege & capite 16. de cæteris viſitationum, reuiſitationum, exceptionum, ac titulorum in concurſu aliorum Legatorum conſuetis curialibus agitur. Caput autem 17. narrat ceremonias quasdam in Conuentibus imperii peculiariter receptas, legatis ſtatuum omnium communes, aut aliquorum proprias, & cap. 18. refert ſolennitates quæ in dimisſione legatorum obſeruantur. Cap. 19. diſputat de modis acquirendi iuris legationum & remediis pro eodem competentibus, & cap. 20. de modis probandi iuris legationum & modis idem amittendi. Cap. 21. exponit priuilegia iure gentium ac ciuili legatis ſtatuum tributa, immunitatem puta a iurisdictione loci vbi degunt, iurisdictionem in propriam familiam, immunitatem a vectigalibus, ius aſyli intuitu ædium legati, inviolabilitatem &c. Cap. 22. tractat de oneribus Legatorum ſtatuum imperii? Denique capite vltimo agit de receptione legatorum

alio-

aliorum tam ad totum imperium quam ſingulos ſtatus miſſorum.

§. XVI. Quemadmodum vero Wicquefortii ſcriptum lectoribus ſe commendauit ob experientiam rerum hoc ſeculo geſtarum, etſi ordinem & iudicium in eo vbique fere deſideretur, ita Kulpiſii ſcriptum eruditis acceptum fuit, ob ordinem non contemnendum & iudicium non vulgare, quod in definiendis controuerſiis ad iura Legationum pertinentibus & refutandis opinionibus vulgo receptis adhibuit, etſi ipſe eo tempore, quo iſta ſcribebat, adhuc caruerit experientia rerum publice geſtarum. Vt adeo optandum foret, vt Vir illuſtris vltimis vitæ temporibus ſecundas curas reuidendo, augendo & emendando iſto tractatui adhibere potuiſſet.

§. XVII. Si enim fatendum erit, quod res eſt, negari nequit, elegans hoc ſcriptum pariter vti & aliud ſimile eiusdem autoris laborare næuis quibusdam ſapientiæ ſcholaſticæ, qui hodie cordatioribus (qua phraſi non raro ipſe Culpiſius vtitur) parum ſe approbant. De commentario ad Monzambanum alibi fuſius egimus: tractatum de Legationibus quod attinet, placet ſaltem ſpeciminis loco hic annotare, quod doleamus, Viro celeberrimo in capite 19. & tempus & chartam pe-

periiſſe in examinanda controuerſia, quæ actio competat ſtatibus imperii pro conſeruandis iuribus Legationum, vbi ſimul concludit, quod Principes Imperii aduerſus Electores in quæſtione: an ipſis liceat mittere Legatos primi ordinis? poſſint vti actione confeſſoria vtili, ſed tamen, quoniam actiones in rem probationum oneri magis ſint ſubiectæ, conſultius eſſe, ſi actor vtatur interdicto vti poſſidetis: aut poſſe etiam inſtitui actionem iniuriarum. Quæ cum legeremus, in memoriam incidit, quod de eximio quodam ICto ſeculi decimi ſeptimi multis ſcriptis iuridicis noto fama veroſimilis refert, quod, cum a Sereniſſimo quodam Imperii Principe ad conſilia adhiberetur, in quibus deliberatio inſtituebatur, de damno a vicino Principe dato reſarciendo, & conſiliarii reliqui disquirerent, vtrum conſultius foret repreſſaliis, aut bello, aut legationibus vti, ipſe in voto ſuo inſigniter commendaverit, vſum modernum & praxin viridis obſeruantiæ actionis Legis Aquiliæ, ſed infelici ſucceſſu, cum ab eo tempore a Domino ſuo ad conſilia amplius non fuerit adhibitus, ſed in cathedra ſua derelictus.

§. XIIX. Quemadmodum ergo nulli dubitamus, quin illuſtris Culpiſius in reuiſione operis hunc næuum omnino fuiſſet emendatu-

daturus, præprimis, cum iam eo tempore, quo iſta ſcriberet, agnouerit, ſententiam ſuam non multam videri habere vtilitatem, cum ad ea remedia vix vnquam deſcendant ſtatus; ita vtilitas illa non multa, forte in eo ſolo conſiſtet, quod iſta actio vtilis confeſſoria aliquando inſeruire poſſit ad auctiorem reddendum in ſecunda editione tractatum ICti in Academia quadam celeberrimi, in quo omnes actiones vtiles confeſſoriæ quæ vnquam cogitari poſſunt, in gratiam aduocatorum ſtupidorum collectæ, & ſecundum quatuor cauſas ſolidiſſime expoſitæ ſunt.

§. XIX. Miramur etiam, qui factum ſit, vt illuſtris Culpiſius *capite 18. §. 5.* Vicquefortii intempeſtiuam cenſuram in Potentiſſimorum Ordinum Belgii fœderati ordinationem, qua interdicitur Legatis ipſorum omnium munerum acceptio, de verbo, vt aiunt, ad verbum adſcripſerit, & non obſcure approbauerit. Vti enim Vicquefortius eapropter iam a Galardio notatus eſt erudite ac ſufficienter, ita neſcio, quis animi character ex illa Vicquefortii ſententia eluceat, qui proxime, ſi non formaliter, vt in ſcholis loquimur, ad cupiditatem pecuniæ accedit. Vt adeo cuilibet patere arbitremur, ex non adeo laudabili affectu ſcribe-

bere, qui prudentiſſimam illam Belgii conſtitutionem improbant.

§. XX. Præmittenda fuerunt hactenus dicta recenſioni tractatus, cuius gratia obſeruationem hanc ſcripſimus. Prodit enim nunc in publicum *Iuſtini Presbeutæ diſcurſus de iure legationis ſtatuum Imperii.* Cuius ſi compendium vellemus exhibere, neceſſe foret deſcribere ſynopſin integram tractatui ipſi præmiſſam. Quod tamen cum noſtri inſtituti non ſit, nil niſi duo verba addimus, reperturos eſſe in hoc ſcripto lectores & experientiam Vicquefortianæ non imparem, & methodum & iudicium Culpiſiano ſuperius, ciuile nempe, non ſcholaſticum. Quis Autor fuerit, præfatiuncula declarat. Nos diſcurſum hunc ex illuſtri & generoſa ac ad negotia imperii tractanda natæ iuuentuti iis quidem enixe commendamus, quibus guſtus noſter non videtur eſſe adeo deprauatus. Reliquis autem inculcamus, de guſtibus non eſſe diſputandum; & ſimiles quærere labra lactucas.

OBSERVATIO XVIII.
DOGMA THALETIS, QVOD AQVA SIT PRINCIPIVM OMNIVM RERVM.

SVM-

SVMMARIA.

AQuam primum rerum principium eſſe præ reliquis ſtatuit, Thales. §. I. *Ante eum etiam Orpheus* §. II. *Homerus item* §. III. *& Heſiodus* §. IV. *& alii* §. V. *Sententia Thaletis proprie intelligenda non metaphorice.* §. VI. *An ita: vt ex aqua terra, ex hac aer, & demum ignis fuerint producta.* §. VII. *Ita vero aquam eſſe elementum craſſiſſimum abſurde ſtatuiſſet.* §. IIX. *Potius ſtatuit ex aqua extenuatione aerem & ignem, & ex eius incraſſatione terram ortum duxiſſe.* §. IX. *Cur Thales ſtatuerit, terram aquis innatare?* §. X. *Thaletem etiam negaſſe antipodes.* §. XI. *Thaletem veroſimiliter opinionem ſuam ex Homero non hauſiſſe,* §. XII. (*vti nec alium Philoſophum,* §. XIII.) *ſed veroſimiliter ab Ægyptiis,* §. XIV. *aut a Cadmo.* §. XV. *An & Syri eandem opinionem fouerint.* §. XVI. *Rationes duæ pro ſententia Thaletis ex Ariſtotele,* §. XVII. *& Plutarcho,* §. XVIII. *vt & tertia ex eodem Plutarcho* §. XIX.

§. I.

INter alias veterum Græcorum de primo rerum principio opiniones etiam hæc refertur, principium rerum omnium primum, ſeu adeo primum elementum eſſe aquam. Pro hac opinione citantur equidem varii, ſed celebratiſſimus omnium Thales, de

quo teſtimonium perhibent Ariſt. *1. Metaph. 3.* Plutarch. *Tom. II. moral. p. m. 5.* Hermias διασυρμῷ *p. m. 183.* Laertius *p. m. 19.* Euſebius *Lib. I. de præpar. Euang. cap. 5.* Nemeſius *de natur. hom. p. 74.* Auguſtin. *Lib. VIII. de c. D. c. 2. & 5.* Ambroſius *1. Hexäemeri, c. 2.*

§. II. Ante hunc Ionicæ Philoſophiæ Principem ad Orpheum quoque, Homerum, & Heſiodum, referri hæc ſententia ſolet, veteres Pöetas, & Thaletis Phyſicorumque ab eo reliquorum comparatione Theologos olim vocatos. Orphei verſus in hanc rem ab Athenagora *legatione pro Chriſtianis f. 17.* profertur: Ὠκεανὸς ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται. Quem tamen verſum Homero tribuit Heraclides *in Allegor. p. m. 316.* & Plutarch. *vbi ſupra*, apud quem & in meo Codi- *Edit. græc. f. 208.* citatur ad marginem locus Iliad. *E. v. 246.* Receperunt interim inter Orphei carmina Henr. Stephanus & Kircherus *in Oedipo. Syntagm. XIV. c. 1.*

§. III. Quod alias ad Homerum attinet, verſum eius hunc profert Athenagoras l. c. Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν. Alium Homeri verſum Lipſius profert *in Phyſiolog. Stoica p. m. 72.* Reſpexit autem huc Ariſtoteles *I. Metaph. 3.* cum ita ſcriberet (locum integrum, quo ſæpius erit vtendum, ſemel hic exarabimus) εἰσὶ δέ τινες, οἳ καὶ τοὺς

παμ-

παμπαλαίους, καὶ πολὺ πρὸ τῆς νῦν γενέσεως καὶ πρώτους θεολογήσαντας, οὕτως οἴονται περὶ τῆς Φύσεως διαλαβεῖν. Ὠκεανόν τε γὰρ καὶ Τηθὺν ἐποίησαν τῆς γενέσεως πατέρας, καὶ τὸν ὅρκον τῶν θεῶν ὕδωρ, τὴν καλουμένην ὑπ᾽ αὐτῶν στύγα τῶν ποιητῶν. Τιμιώτατον μὲν γὰρ τὸ πρεσβύτατον: ὅρκος δὲ τὸ τιμιώτατόν ἐστιν. Εἰ μὲν οὖν ἀρχαία τις αὕτη καὶ παλαιὰ τετύχηκεν οὖσα περὶ τῆς Φύσεως ἡ δόξα, τάχ᾽ ἂν ἄδηλον εἴη.

§. IV. Ad hunc Ariſtotelis locum *Editio Caſauboniana fol. 645.* hoc annotat in margine: *Homerus & Heſiodus paſſim.* Venit ergo in cenſum hic & Heſiodus. De vtroque Ariſtotelem interpretatur & Gaſſendus *Tom. I. f. 235.* qui addit: *Scholiaſtes* (in Theogoniam) ait *Heſiodum, cum dicit chaos fuiſſe primum exortum, ſignificaſſe, aquam eſſe primum omnium rerum principium; quam opinionem*, inquit, *Thales Mileſius poſtea vſurpauit, ac Pindarus etiam, cum* ait: ἄριστον μὲν ὕδωρ, *præſtantiſſimam rerum eſſe aquam. Pari ratione interpretatus Heſiodum eſt Achilles Tatius* (in Arati Phœnom.) *qui Pherecydem Thaleti adiunxit.*

§. V. Kircheri iudicio doctrinam hanc Orpheus ab Hermete didicerat: id quod ſuo loco relinquendum eſt: ſicuti & illud, quod præter Thaletem Hippon quoque Pherecydes, Anaximander, item Poeta Pindarus

huic ſententiæ fauiſſe feruntur, vt videre licet apud Authores iam paſſim citatos, & Conimbricenſes *in Lib. I. Phyſic. c. 7. p. 176.*

§. VI. Porro quod Thales dixit, aquam omnium eſſe principium, non Metaphorice exponendum eſt, cum Marſilio Ficino, *Epitome in Theætetum Platon. f. 101.* quaſi hoc innuerit: omnia in fluxu verſari: Sed proprio ſenſu intelligendum, quod nempe ex aqua & ſint cuncta, & in eandem demum deueniant, quemadmodum Thaletem interpretantur Euſebius & Hermias. Sed quum haud dubie ita voluerit ex aqua eſſe omnia, vt ex ea primum elementa, poſtea & mixta corpora orta fuerint: quæras, quo pacto ex aquis cætera eduxerit elementa?

§. VII. Hic ſi Kircherum audimus, dicendum fuerit, ſtatuiſſe veteres illos, ex aqua terram, e terra aërem & dein ignem erupiſſe. Quam opinionem fortaſſe aliquis ex eo confirmari putet poſſe, quod affirmauit Thales apud Hermiam, terram aquis vehi, h. e. veluti pilam Oceano innatare. *Vid. Hier. Wolfſius ad locum Hermiæ p. 252.* Et ſane Ariſtoteles ipſe cũ Thaletis de terra aquis ſuperiecta ſententiã recitat, ita recitat, quaſi aliquam concluſionem opinionis de primatu aquæ. Putes ergo Thaletem, quem ordinẽ in ſitu elementis dedit, eundem & in rerum generatione dediſſe,

diſſe, vt aquam ſcilicet terra, hanc aër, aerem ignis excipiat, hocque ordine ex ſe ſint progenerata elementa.

§. VIII. Hanc ſententiam Thaleti ſi damus aut cuique tandem Veterum, neceſſe eſt, is aquam elementorum omnium craſſiſſimum ſtatuerit. Volebant enim denſando aut rareſcendo fieri transelementationem. Et ſic per gradus minoris ſubinde denſitatis ab aqua ad ignem elementorum tenuiſſimum peruenietur. Quis autem credat, ſic deſipuiſſe Thaletem, vt contra ſenſuum iudicium aquæ ſummam dederit ſpiſſitudinem? cum Ariſtot. *I. Metaph. 7.* aperte teſtetur, neminem cordatum Philoſophum dediſſe principatum terræ διὰ τὴν μεγαλομέρειαν. Id ergo minimum requiſiuerunt ad naturam primi elementi, vt præditum eſſet aliqua tenuitate, ſi non ſimpliciter, ſaltem ſecundum quid. Quamobrem agnouit & Thales (a vulgarium philoſophorum numero ſegregatus ab Ariſtotele) aquam eſſe tenuiorem terra.

§. IX. Quid verbis opus eſt? in promtu ſunt teſtimonia Veterum, qui diſerte affirmant, ex opinione Thaletis proceſſum elementorum hunc eſſe, vt aqua attenuata äerem magisque adhuc ignem gignat, incraſſata vero terram. Hoc illi teſtimonium perhi-

bent Heraclides *in Allegor. p. 29. & 316.* Nemeſius *c. 5. de nat. hom.* Origines *Lib. Φιλοσοφȣμέν.* citatus Connimbricenſibus *ad Phyſ. Ariſtot. p. 76. Conf. & Scholiaſtes Heſiodi apud Gaſſendum Tom. I. f. 235.* Agnouit vero Thales, quod res erat, aquam terra tenuiorem, ſed eandem aere igneque craſſiorem. Vnde ſimul coarguas Fonſecæ aliorumque interpretationem, vbi locum quendam Ariſtotelis *I. Metaphyſ. 7.* ſic exponit *p. 263.* quaſi etiam qui aquam vel äerem poſuerunt primum elementum, idipſum elementum ſimul tenuiſſimum omnium ſtatuerint, ipſoque adeo igne tenuius. Quod neſcio an cuiquam, de aqua inprimis, venire in mentem potuerit, pugnat enim cum ipſo ſenſuum iudicio.

§ X. Quod autem terram aquis inuehi putauit Thales, non eo trahendum eſt, quaſi putauerit, aquam eſſe terra grauiorem craſſioremque: ſed ad opinionem Veterum pertinet, qui quum nauigationum defectu crederent, quod nobis oppoſitum eſt, non habitari, putauerunt, totum aquis oppletum eſſe; & poſito hoc terram noſtram innatare quaſi aquis dixerunt. Hoc nimirum fuit negare Antipodes, negare ſcilicet ex aduerſo nobis habitari terram, quippe aquis obrutam.

§. XI.

§. XI. Atque ſic non dubitem, fuiſſe etiam a Thalete negatos Antipodes, Scribonius certe *præf. Phyſ. p. 7.* primum fuiſſe ait Pythagoram, qui Antipodes deprehenderit. Fuit autem Pythagoras poſterior Thalete. *Conf. Petr. Fabr. ad Lib. 1. Academicorum Cic. p. 84.* Quæ ergo fuerit Thaletis de primo rerum principio, aqua, opinio, vidimus hucusque. Reſtat videamus, quid eum, vt ita ſentiret, mouerit.

§. XII. Mouit authoritas, mouerunt rationes. Ad authoritatem quod attinet, ſunt qui exiſtimant, (vt Heraclid. *p. 316.* Viues ad *Auguſtin. de C. D. f. 433.* Connimbric. *ad Phyſ. p. 116.*) Homeri opinionem ſecutum fuiſſe, qui Oceanum Thetinque omnium Parentes (*ſupra* §. *III.*) vocabat. Verum minus probabiliter, ſiquidem ipſo fatente Ariſtotele, quid de primo principio ſenſerint illi Veteres θεολογήσαντες Pöetæ, non ſatis eſt manifeſtum. Enim vero quod Pontificii de Scriptura S. per ſummum ſcelus dicunt, longe verius de Homerico Carmine vſurpes, naſum cereum eſſe, ita in omnes omnium fere Philoſophorum opiniones flecti poteſt & flexum fuit olim. Etenim ex eo & Stoici, & Peripatetici, & Epicurei, & Academici ſua repetiuerunt dogmata. *Vid. Senec. Ep. 88.* Et in hac ipſa de primo rerum principio quæſtio-

ne nulla fere fuit opinio, cuius incunabula in Homero ſe non deprehendiſſe putauerint eius Patroni. *Naturalium de elementis dogmatum vnus ac primus Author Homerus eſt, ſingulis poſt ipſum ſuæ cuique opinionis, quam ipſe inueniſſe exiſtimabatur, Præceptor*, ait Heraclides *in Allegor. p. 29. Vers. Lat.* Vbi & hoc in ſpecie deducit de opinione Thaletis, Anaxagoræ, Empedoclis, Ariſtotelis &c.

§. XIII. Sic ergo potius exiſtimem, priſcos illos Homero poſteriores Philoſophos dogmata ſua non primum ex Homero hauſiſſe, ſed vbi excogitaſſent ea prius, aut vndecunque accepiſſent, tum demum ex Homero (id quod ob fabularum & varietatem & ambiguitatem facile fuit) eos verſus attuliſſe, & applicuiſſe commentis ſuis, qui maxime viderentur eſſe in rem ſuam: id autem feciſſe vt opinionibus ſuis ab Homero, maximi ſemper nominis Viro, plus ponderis conciliarent.

§. XIV. Thaletem vero crediderim, ſi authoritate motus fuit, Ægyptios potius ſecutum fuiſſe. His enim præceptoribus vſum conſtat e Läertio *p. 18. & 19.* Plutarcho *part. II. moral. p. 4. in fine.* Euſebio *Lib. 10. de præparat. Euang. c. 2. Edit. Trapezuntii.* Ægyptii autem aquam omnium rerum principium dictitabant. Teſtis Mihi Macarius Chryſoce-

cephalus *Serm. in exaltat. crucis apud Gretzerum de cruce f. 1311.* ἐξ ὑδάτων δὲ τὰ πρῶτα κολάζει Θεὸς τὰς Ἀιγυπτίας, ἐπειδὴ τὸ ὕδωρ διαφερόντως ἐτίμων, ἀρχὴν τῆς τῶν ὅλων γενέσεως εἶναι νομίσαντες. Adde Lipſium *p. 73. Phyſiol. Stoic.* qui non Ægyptios modo ſed & Indos huc ducit. Videntur autem Ægyptii aquæ principatum dediſſe Nili ſui veneratione, quem & Oceanum, ſi Kirchero credimus vocarunt.

§. XV. Putes etiam, Cadmum, vnde Thaleti genus, teſte Laërtio *p. m. 17.* aquam feciſſe omnium rerum primam materiam, ſi vera ſunt quæ ſcribit Scaliger. *Exerc. 30. contra Cardanum*, Cadmum, cum in Græciam ſimul cum literis non paucas voces attuliſſet, ὕλην quoque importaſſe, quod aquam Syris priſcis ſignificauerit. Quod ita interpretari poſſis, ipſum Cadmum credidiſſe, aquam eſſe primum elementum, ceu reliquorum omnium materiam; ideo quod aquam vocauerunt Syri, materiam Græci vertiſſe, a Cadmo eandem poſtea ſententiam ἀπόγονον eius hauſiſſe Thaletem.

§. XVI. Quid? an ergo fortaſſe ipſi quoque Syri ſic exiſtimauerunt? De hoc nihil certi habeo dicere. Firmicum quidem video *p. 15. de error. prof. relig.* affirmare, quod Aſſyrii aëri dederint ducatum elementorum.

Quod autem Scaliger colligit, nihil mirum eſſe, ſi Græcorum ſapientes aquæ naturam cum materiæ natura vnam exiſtimarint, quoniam idem verbum apud Syros aquam, apud Græcos materiam deſignaret, friuolum eſt. Quis putet vllum Philoſophorum in dogmate capitali nihil habuiſſe melius, quod ſequeretur, quam diuerſarum inter ſe linguarum circa vocabula quaſi fortuitas comparationes?

§. XVII. Alias longe rationes (nam ad has commode nunc tranſibitur) quæ Thaletem impulerint, profert Ariſtot. licet dubitanter 1. *Metaph. 3.* vt quod animaduerterit, omne nutrimentum eſſe humidum, ipſum quoque calidum ex eo factum, eoque animal viuere; quod item cunctorum ſemina naturam humidam ſortita ſint. Duas igitur Ariſtot. rationes profert. Priorem Connimbr. *p. 176. ad Phyſic.* ſic explicant vlterius. *Nam*, inquiunt, *cum Veterum mentes opinio imbuiſſet, mundum animal quoddam eſſe, nihil Thales ad omnium rerum originem & procreationem magis oppoſitum cenſuit, quam humidum, quo ſcilicet animalia viuunt, quo paſcuntur, quo deficiente occidunt.*

§. XIIX. Plutarchus *Lib. I. de placitis Philoſ. c. 3.* duabus Ariſtot. rationibus addit tertiam, ipſas vero duas inuerſo profert ordine

ne, primam ſecundo, ſecundam primo loco. Quod etiam opinor melius eſt. Primo enim generantur animalia ex humido ſemine, poſt nutriuntur ex alimento humido. Ad animalis vero & ſemen & nutrimentum inprimis reſpexiſſe putes Thaletem; præſertim ſi mundum credidit magnum eſſe animal. Itaque ſic videtur argumentando proceſſiſſe. Animal e ſemine: Mundus animal E. mundus e ſemine. Semen humidum: Mundus e ſemine. E mundus ex humido. Humidum aqua: Mundus ex humido. E. Mundus ex aqua. Similiter de nutrimento; Animal nutritur humido: Mundus animal. E Mundus nutritur humido. &c.

§. XIX. Tertia vero illa ratio, quam Plutarchus adiecit, hæc eſt, quoniam ſolis etiam ſtellarumque ignes aquarum exhalationibus alantur: quæ tamen forte a prima Ariſtotelis non erat diſtrahenda. Addit autem Plutarchus, etiam Homerum his rationibus inductum Oceanum feciſſe omnium Parentem. Quod ſuo loco relinquatur. Id quidem certum eſt, etiam Stoicis viſum eſſe, quod Sol & ſtellæ reliquæ aquis alantur; ſed iidem tamen aquam non fecerunt cum Thalete principium rerum.

OBS.

OBSERVATIO XIX.

De PRIMO RERVM ELEMENTO, ANAXIMANDRI ET ANAXIMENIS OPINIONES DVÆ EXPONI TENTATÆ.

SVMMARIA.

Connexio cum obſ. praced. §. I. *De Anaximandro locus Conimbricenſium & Ariſtotelis.* §. II. *Anaximandrum alii dicunt ſtatuiſſe principium mediæ naturæ inter ignem & aerem*, §. III. *alii inter aerem & aquam.* §. IV. *Quinque eam in rem loci Ariſtotelis* §. V. *Ariſtoteles ex Philoſophis qui ex 4. elementis aliquod pro primo principio poſuerunt, eorum ſententiam veriſimilem agnoſcit qui pro igne pugnabant*, §. VI, *eorum pro abſurda & Philoſophis indigna, qui pro terra.* §. VII. *Fuerunt enim qui & pro terra pugnarent.* §. IIX. *ac inter eos Hippon, etiam ipſo id fatente Ariſtotele*, §. IX. *cuius locus nouiter explicatur*, §. X. *Vnde error communis ortus ſit, quaſi Hippon cum Thalete aquam pro primo elemento habuerit*, §. XI. *Vnde item varians opinio de mente Anaximandri.* §. XII. *quæ tentatur conciliari* §. XIII. & XIV. *Probabilius, eum ſtatuiſſe, primum elementum eſſe medium inter aquam & aerem*, §. XV. *ac ita ſententiam Thaletis præceptoris expoliuiſſe.* §. XVI. *Sententia Anaximenis aerem pro primo elemen-*

elemento venditantis eumque. mediæ naturæ inter aquam & terram, & inter ignem & ætherem. §.*XVII. Differentia inter mentem Ariſtotelis & Anaximenis de quinto elemento* §. *XIIX. Emendatur Damaſcenus & exponitur Hermias.* §.*XIX. An Anaximenes intellexerit medium participationis, an negationis.* §. *XX.*

§. I.

IOnicæ Scholæ Princeps atque Author fuit Thales Mileſius: Thaleti ſucceſſit in eadem familia Anaximander, Anaximandro Anaximenes. Poſteaquam ergo de primo rerum elemento Thaletis opinionem expoſuimus, tentemus eandem operam Anaximandro quoque nauare & Anaximeni ſucceſſoribus eius.

§. II. Incipiamus ab Anaximandro, de quo ſic ſcribunt Conimbric. *in c. 7. I. Phyſ. p. 176. Cum Thalete ſenſiſſe Anaximandrum refert Ariſtoteles in libro de Xenophane, etſi alii aliam ei ſententiam attribuant.* Verba Ariſtot. hæc ſunt *f. m. 490.* οὐδὲν κωλύει, μίαν τινὰ οὐσίαν τὸ πᾶν μορφὴν (interpres legiſſe videtur καὶ μορφὴν: an legendum potius: μορφοῦν? ὥς καὶ ὁ Ἀναξίμανδρος καὶ ὁ Ἀναξιμένης, λέγουσιν. Ὃ μὲν ὕδωρ εἶναι φάμενος τὸ πᾶν, ὁ δὲ Ἀναξιμένης ἄερα. Ait Gaſſendus *Tom. I. f. 236.* apud

Em

Empiricum lib. II. aduerſus Phyſicos mendoſe Anaximandrum pro Anaximene legi, vbi cum Hippaſo & Thalete ille copuletur. Sed quoniam Empiricus nunc non eſt ad manus, iudicare de hac emendatione ſuperſedeo.

§. III. Quænam ergo fuit Anaximandri opinio? Inquirit in eam Gaſſendus *d. l.* Summa eorum quæ dicit, hæc eſt: conſentire Authores, quod Anaximander principium rerum ſtatuat infinitum: ipſum vero non definire, infinitum illud aër ſit, an aqua, an aliud quippiam, (*vid. Laërtius p. m. 63. Plutarch. I. placit. 3.*) ſtatuiſſe nempe, eſſe id principium mediæ cuiusdam inter ignem aëremque naturæ, igne quidem denſius, aëre autem tenuius, hanc illi ſententiam a Themiſtio *ad Lib. I. Phyſ. text. 44.* tribui. Hæc ex mente Gaſſendi. E Pererio *p. 224. Phyſ.* diſco, hanc Anaximandro ſententiam adſcribi etiam a Simplicio *ad Lib. III. Phyſ.* & Philopono *ad II. de Generat.*

§. IV. Verum & fuiſſe, qui principium Anaximandri de eiusdem ſententia mediæ cuiusdam naturæ inter aerem & aquam, hac denſioris, illo rarioris prodiderint, ex Alexandro refert Fonſeca *l. 1. Metaph. 7. p. 263. Conf. Conimbric. ad I Phyſ. c. 7. p. 176. & 177.*

§. V. Placet experiri, an & inter ſe hæc omnia

mnia forte conciliari, & ſimul quæ fuit Anaximandri opinio, dilucidius proponi poſſit. Sed prius adſcribendi ſunt loci Ariſtotelici illi ipſi, quorum occaſione commentati ſunt iſta, quos memorauimus, interpretes Græci. Hi ſunt in vniuerſum quinque. Primus *1. Phyſ. init. c. 4. (text. 32.)* οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκείμενον, ἢ τῶν τριῶν τι, ἢ ἄλλο, ὅ ἐστι πυρὸς μὲν πυκνότερον, ἀέρος δὲ λεπτότερον. Secundus *III. Phyſ. 5, (text. 44.)* εἰσὶ γάρ τινες, οἱ τοῦτο ποιοῦσι τὸ ἄπειρον, ἀλλ᾽ οὐκ ἀέρα, ἢ ὕδωρ, ὅπως μὴ τἆλλα φθείρηται ἀπὸ τοῦ ἀπείρου αὐτῶν. Tertius *ibid. (text. 49.)* καὶ διὰ τοῦτο οὐδεὶς τὸ ἓν καὶ ἄπειρον πῦρ ἐποίησεν, οὐδὲ γῆν τῶν Φυσιολόγων, ἀλλ᾽ ὕδωρ, ἢ ἀέρα, ἢ τὸ μέσον αὐτῶν. Quartus *l. II. de Generat. c. I. (text. 2.)* τούτων δὲ τὴν ὑποκειμένην ὕλην οἱ μὲν φασὶ μίαν εἶναι, οἷον ἀέρα τιθέντες, ἢ πῦρ, ἤ τι τῶν μεταξὺ τούτων. Quintus *1. Metaph. 7. (text. 14.)* οὐδεὶς γοῦν τῶν ὕστερον ἠξίωσε καὶ ἓν λεγόντων, γῆν εἶναι στοιχεῖον. Δῆλον, ὅτι διὰ τὴν μεγαλομέρειαν. Τῶν δὲ τριῶν ἕκαστον στοιχείων ἔληφέ κριτήν τινα. Οἱ μὲν γὰρ πῦρ, οἱ δ᾽ ὕδωρ, οἱ δ᾽ ἀέρα τοῦτ᾽ εἶναί φασι. -- Κατὰ μὲν οὖν τούτων τῶν λόγων οὔτ᾽ εἴ τις τούτων τι λέγει πλὴν πυρὸς, οὔτ᾽ εἴ τις ἀέρος μὲν πυκνότερον τοῦτο τίθησιν, ὕδατος δὲ λεπτότερον οὐκ ὀρθῶς ἂν λέγοι.

§. VI. Vt hæc recte excutiamus, ſic agendum

dum: nullum fuit ex 4. elementis quod non pro primo principio haberet Philoſophorũ aliquis. Pro igne enim Hippaſus, pro aëre Anaximenes, pro aqua Thales, & pro terra, (iam probabo) Hippon pugnabant. Horum omnium ſententiam etſi damnat Ariſtoteles, maxime tamen ſtatuit veriſimilia ab iis prolata eſſe, quibus ignis principium. Conſentaneum enim eſt illi, vt principium ſit aliquod tenue, non craſſum. Vide ipſum *1. Metaph.7.* (*text. 13.*) nullum autem elementum tenuius igne.

§. VII. Quod ergo ſtatim textu ſequente negat, fuiſſe nullum, ex poſterioribus Philoſophis (Phyſicos intelligit, qui a Theologis diſcernebantur) qui terram principium fecerunt, non eo valet, quaſi ſimpliciter nullus fuerit, ſed quod nullus certe, qui ob ſententiæ iuſtam probabilitatem memorari ſit dignus. Cui enim terra principium eſt, is principium ponit plane craſſum: at principium oportet habere tenuitatem ac ſimplicitatem ſaltem qualemcunque. Et tale quoddam qui ponit, Philoſophi nomen vtcunque ſuſtinet Ariſtoteli. Ponebant autem quibus vel ignis, vel aër, vel aqua primum elementum. At qui terram principii nomine dignabantur, eos indignos habet Philoſophorum appellatione, vt qui non ſa-

pe-

perent vltra vulgus, nã vulg9 putat terrã fuiſſe principium. Hic ergo eſt ſenſus *textus 13. & 14. d. l.* Metaph. Vbi non ſimpliciter negat fuiſſe vllos, qui terram pro principio amplexarentur, vti Ariſtotelem perperam exponunt, Conimbricenſes & Gaſſendus, ſed negat tantum, vbi Philoſophorum opiniones examinantur, horum eſſe habendam rationem, qui hac parte non diſcedant a vulgo. *Conf. Piccart. in Iſagog. p. 289. §. 13. Edit. Durrianæ in 4to.*

§. VIII. Fuiſſe, quibus terra eſſet principium primum materiale, cognoſces e Conimbricenſ: *ad. Phyſ. p. 175. & 176.* & Gaſſendo *Tom. I. f. 235. & 236.* qui eiuſmodi quidem fuerunt, vt eorum ſententia latere Ariſtotelẽ non potuerit. Firmicus teſtatur, Phryges terræ ceterorum elementorum tribuiſſe principatum *p. 9. de error. prof. relig. adde p. 11.*

§. IX. Iam in his, qui terram dixere principium, Hippon etiam memoratur, *vid. Gaſſend. d. l. f. 236.* Hanc ergo eius ſententiam deſignabat Philoſophus, cum negaret *1. Metaph. 3.* Hipponem dignum eſſe qui Philoſophis annumeraretur, διὰ τὴν εὐτέλειαν αὐτῆς τῆς διανοίας. Quanquam ibi ſententiam eius, quæ fuerit, aperte non profert. Propoſuerat ibi Thaletis opinionem de aqua. Per-

gendum erat ad reliquas Anaximenis nempe de äere, Hippaſi de igne, Hipponis de terra. Ait ergo de Hippone prorſus tacendum eſſe. Quamobrem obſecro? διὰ τὴν εὐτέλειαν, vti dictum eſt, διανοίας. Quæ verba non ad impietatem & ἀθεότητα Hipponis, alias quidem non ignotam, referenda ſunt (licet eo trahant Alexander & Simplicius *apud Fonſecam ad h. l. p. 215.* quibus adſtipulantur quidam recentiores,) quia non ea vis eſt illius vocabuli, & idem crimen in Thaletem quoque & ceteros fortaſſe cadebat. Notat vero illa vox imbecillitatem iudicii ſupra vulgum in hoc argumento ſe non erigentis.

§. X. Neque adeo reſpexit hic Philoſophus ad cæteras in aliis quæſtionibus Hipponis opiniones, ſiue acutas ſiue obtuſas, ſiue pias ſiue impias: Sed ad eam ipſam, quam in eo loco tractabat ipſe Ariſtoteles ex profeſſo. Qua in re ſi eadem Hipponi cum Thalete mens fuiſſet, quemadmodum opinatur Fonſeca, vt ſtatueret nempe aquam eſſe primum elementorum, eadem quoque Thaleti mentis erat imbecillitas exprobranda. Itaque verba Philoſophi commodiſſime hunc in ſenſum interpretabimur, quaſi dicere voluerit: poſt Thaletem alii aliud elementum primi principii dignatione affecerunt. Sed

ex

ex his Hippon, qui terram, ne memorandus eſt quidem, ob ruditatem ſententiæ non philoſophicæ, ſed e triuio hauſtæ. Ita huic loco cum altero *c. 7.* belle conueniet, alterque alteri facem præbebit.

§. XI. Qui Hipponem putauerunt Thaleti de aqua conſentire, inducti maxime videntur loco Ariſtot. *1. de anim. 2. (text. 32.)* & aliorum, quorum teſtimoniis ſcimus, Hipponem dixiſſe, animam eſſe aquam. Sed non neceſſe eſt, qui animam aqueæ naturæ facit, idem vt aquam faciat primum elementum vniuerſorum. Cui enim cunque elemento dederis principatum, modo ab vno elemento cætera omnia deducas, nihil prohibebit, quodquidem ad hanc hypotheſin attinet, quo minus animam, ſi corpoream eſſe placet, cuiuscunque elementi proximam propaginem facias. Interim eodem in loco Hipponi τὸ φορτικὸν obiicit Ariſtoteles.

§. XII. Iam Hippone omiſſo in Anaximandri quoque ſententiam inquiramus. E Philoſophis, quorum dogma ſit conſideratione dignum, alii elementorum ex tribus aliquod, aquam nempe aërem vel ignem, alii neſcio quid, quod mediæ eſſet inter elementa naturæ, ita vt nec ignis, nec aqua, nec äer ſit, plane pro principio agnoſcebant. Hanc vltimam opinionem iam interpretes dant A-

 ni-

naximandro. Neſcio an illos mouerit, quod Ariſtoteles paulo poſt locum *1. Phyſ. 4.* quem ſupra primum deſcripſimus e quinque Anaximandri faciat mentionem. Quicquid ſit, non eſſe de nihilo dixerim, quod Animaxandro hanc ſententiam imputant. Sed eam ex Ariſtotele ipſo aliter atque aliter exponas. Illud enim dubiæ naturæ principium alibi inter ignem & aerem (*vid. loc. 1. & 4.*) alibi inter aerem & aquam (*vid. loc. 5. & 3. cui conf. 2.*) medium interponit. Quo factum haud dubie, vt in Anaximandri quoque ſententia proponenda vacillarent interpretes, aliis dicentibus, ab eo principium illud igne craſſius aere ſubtilius poſitum fuiſſe; aliis aere craſſius, aqua ſubtilius.

§. XIII. Quæ duo fortaſſe non pugnant. Dicemus enim id voluiſſe Anaximandrum, quod principium primum non elementum ſit quidem: ſed tamen aliquid inter extrema elementa ita mediæ naturæ, vt vbi ab igne ad aërem deſcendendum ſit, igne ſit craſſius, aëre rarius; vbi ab aqua ad aërem adſcendendum, aqua rarius, aëre craſſius.

§. XIV. Hæc ſi non placet expoſitio, dicemus, Anaximandrum forte ſic obſcuraſſe ſententiam ſuam, vt appareat quidem, diſcreuiſſe eum principium ſuum a quouis elemento, cui autem elementorum pari affinem

ma-

maxime naturam illi tribuerit, non appareret. Ita principium eius ab aliis inter ignem & aërem, ab aliis inter aërem & aquam medio fuiſſe loco receptum, de ipſius mente ſuſpicantibus potius quam certum quid edicentibus.

§. XV. Quodſi & noſtræ hic coniecturæ indulgere permittimur, ſtatueremus eos maxime ſententiam eius aſſecutos, qui elementum ipſius inter aquam & aërem naturæ mediæ fuiſſe aſſeruerunt. Notum Thaleti eum in Ionia ſchola ſucceſſiſſe, ſucceſſorem viciſſim reliquiſſe Anaximenem. Thales principium fecerat aquam, ab hac terram condenſatione, aërem & ignem rarefactione generari, vt obſ. præcedente adſtruximus. Putauit ergo aquam vt eſt, mediæ quodammodo inter elementa reliqua naturæ eſſe. Sed non eſt exacte medium. Exacte medium eſſet, ſi quid aquœ aërique interiiciamus.

§. XVI. Fecit hoc ergo Anaximander & ſententiam Præceptoris expoliuit ſimul hoc addens, principium illud infinitum eſſe, vt infinitos etiam mundos procudere poſſit: vel potius forte mundos fecit infinitos, quia principium infinitum. Vel principium infinitum, quia diſtinctum a finitis elementis.

§. XVII. Succeſſit Anaximenes, qui con-

 flatis

flatis quaſi Thaletis Anaximandrique ſententiis nouam tertiam fabrefecit. Dixit aërem eſſe primum elementum, & hunc medium poſuit exacte inter elementa quatuor. Hinc aquam & terram, illinc ignem & ætherem. Sic e Thaletis dogmate retinuit certum elementum, ex Anaximandri, principium exacte inter 4. elementa extrema medium. Huc me trahit Hermias in Diaſyrmo qui Anaximenis ſententiam his verbis exponit *p. 182. & 183.* τὸ πᾶν ἐςὶν ἀὴρ. Καὶ οὗτος πυκνούμενος καὶ συνιςάμενος ὕδωρ καὶ γη γίνεται ἀραιούμενος δὲ καὶ διαγενόμενος αἰθὴρ καὶ πῦρ. Vides quinque elementa nominari, quorum quintum αἰθὴρ, id nimirum eſt, quo alias cœlum conſtare dicitur, quodque Ariſtoteli quoque eſt quintum elementum.

§. XVIII. Verum inter Ariſtotelis & Anaximenis de quinto elemento ſenſus plurimum intereſt. Ariſtoteles duas cogitauit materias primas, vnam nulli plane mutationi ſubſtantiali obnoxiam, pro cœlo, alteram pro reliquis quatuor elementis. Verum Anaximeni cœlum non minus, quam elementa præter aërem reliqua ex aere, veluti primo elemento producta ſunt.

§. XIX. Fuerit ergo hæc Anaximenis opinio. Quem, quod Damaſcenus retulit, principium poſuiſſe quiddam medium inter ae-

rem

rem & ignem Anaximandrum nominare debuit, (*vid. Perer. Phyſ. p. 223. & 224.*) Huic enim illa tribuitur a quibusdam opinio: quanquam quid nobis ea de re videretur, in præcedentibus expoſitum eſt. Quibus hoc etiam addamus, eam ab Hermia p. 183. ſic proponi: *ὁ Ἀναξίμανδρος τȣ̃ ὑγρȣ̃ πρεσβυτέραν ἀρχήν εἶναι λέγει τὴν ἀΐδιον κίνησιν.* Quæ dum interpretari conatur Vir doctiſſimus Wolffius, *p. 252. 253.* nihil agit. *Ἀΐδιον κίνησιν* ideo volebat Anaximander eſſe antiquiorem aqua Thaletis, quia ex illo infinito ſubinde nouos mundos 4. elementis atque adeo & aqua conſtantes procreari putauit. Motus vero ille ſempiternus non cœli eſt, ſed illius principii mediæ inter aerem & aquam naturæ. Non multo clarius Anaximandri mentem exponit Auguſtinus, ſed huius verba *obſ. ſequenti* proferemus, & cum loco Sidonii Apollinaris contendemus.

§. XX. Hic illud inſuper notamus, ſi quæratur, intermedium illud Anaximandri principium fueritne medium participationis an negationis, non omnibus idem placere. Gaſſendo Anaximandri opinio eodem cum illa Oenopidis Chyi, ignem aeremque copulantis, ſpectare videtur. *f. 236.* Dicas igitur, eum ſi rogetur ſententiam pro medio participationis pronunciaturum. Alii forte negationis. Fonſeca certe *p. 266. ad*

1. Metaph. eos, qui medium quippiam inter elementa ponerent, ſubodoratos dicit, materiam illam primam, quæ omnis debeat eſſe expers ſenſibilis contrarietatis. *Conf. Perer. p. 225. Phyſ.* Sic habuimus de primo rerum elemento ſententiam Thaletis, Anaximandri, Anaximenis. Thales humilis Philoſophus obhæſit in aqua. Altius leuauit ſe Anaximander, & aqua emerſit quidem, ſed aërem contingere nondum potuit. Sublimioris adhuc ſpiritus Anaximenes in aere ſe, vt in patibulo, fur vtroque maior ſuſpendit. Nunc ad locum Auguſtini.

OBSERVATIO XX.

De DOGMATIBVS PHILOSOPHORVM SECTÆ IONICÆ CIRCA PRIMVM PRINCIPIVM LOCVS AVGVSTINI CVM ALIO SIDONII APOLLINARIS COLLATVS.

SVMMARIA.

Sidonius ſua ex Auguſtino, hic ſua ex Iuſtino hauſit §. I. *Sententia Thaletis*, §. II. *Anaximandri* §. III. *Error Auguſtini & Sidonii de Anaximandri opinione, item Gaſſendi de mente Auguſtini* §. IV. *Sententia Anaximenis*, §. V. *Anaxagoræ* §. VI. *Diogenis Apolloniatæ* §. VII. *Expoſitio Sidonii* §. IIX. *Sententia Archelai* §. IX. *Notatur Sidonius* §. X.

§. I.

AVguſtinus *Lib. 8. de C. D. c. 2.* Ionicæ Scholæ de primo rerum principio ſenrentias ordine enumerauit. Idem poſt eum fecit Sidonius Apollinaris *Carm. XV. p. m. 352.* & ita fecit, vt manifeſte appareat ſcribenti præ oculis fuiſſe Auguſtinum, ſicuti non abſurde putes Auguſtinum ſua quodammodo hauſiſſe ex Iuſtino Martyre *Orat. ad Gentiles f. m. 44.* Iuuabit ergo vtriusque locos membratim inter ſe componere. Faciemus autem tot membra, quot opinatores.

§. II. Membrum I. *Opinio Thaletis ex Auguſtino*: Thales maxime admirabilis exſtitit, quod Aſtrologiæ numeris deprehenſis, defectus Solis & Lunæ etiam prædicere potuit. Aquam tamen putauit rerum eſſe principium, & hinc omnia elementa mundi, ipſumque mundum & quæ in eo gignuntur, exiſtere. *Eadem e Sidonio:*

Thales hoc etiam numeris inquirit & aſtris
Defectum vt Phœbi nec non Lunæque ſatorem
Nunciet alterius, Sed rebus inutile ponit
Principium, dum credit aquis ſubſiſtere mundum.

§. III. Membr. II. *Anaximandri opinio ex Au-*

guſtino: Huic ſucceſſit Anaximander, eius auditor, mutauitque de rerum natura opinionem. Non enim ex vna re, ſicut Thales ex humore, ſed ex ſuis propriis principiis quasque res naſci putauit. Quæ rerum principia ſingularum eſſe credidit infinita & innumerabiles mundos gignere & quæcunque in eis oriuntur. *Eadem e Sidonio:*

Huius diſcipuli verſa eſt ſententia, dicens
Principiis propriis ſemper res quasque creari
Singula qui quosdam fontes decreuit habere
Æternum irriguos ac rerum ſemine plenos.

§. IV. *Annotatio*: Putauerunt Auguſtinus, & qui eum ſequuntur, Sidonius Apollinaris, Anaximandrum ſtatuiſſe infinita rerum principia. Atqui ipſe non infinita, ſed infinitum. Quod non perinde eſt. Nec erat cauſa fortaſſe, cur Gaſſendus *f.236.* in reducendo ad Veterum de Anaximandro hiſtoriam loco Auguſtini laboraret. Diſſenſio potius Auguſtini notanda fuerat, non conſenſio.

§. V. Membr. III. *Opinio Anaximenis ex Auguſtino*: Iſte Anaximenem diſcipulum & ſucceſſorem reliquit: qui omnes rerum cauſas infinito aeri dedit: nec Deos negauit aut

ta-

tacuit: non tamen ab ipſis aerem factum ſed ipſos ab aere ortos credidit: *Eadem e Sidonio:*

Hunc etiam ſequitur, qui gignere cuncta putabat,
Hunc aerem, pariterque Deos ſic autumat ortos.

§. VI. Membr. IV. *Opinio Anaxagoræ ex Auguſtino:* Anaxagoras vero eius auditor harum rerum omnium quas videmus, effectorem Diuinum animum ſenſit, & dixit ex infinita materia, quæ conſtaret disſimilibus inter ſe particulis rerum omnium genera pro modulis & ſpeciebus propriis ſingula fieri, ſed animo faciente diuino. *Eadem e Sidonio:*

Quartus Anaxagoras Thaletica dogmata ſeruat,
Sed diuinum animum ſentit, qui fecerit orbem.

§. VII. Membr. V. *Opinio Diogenis Apolloniatæ ex Auguſtino:* Diogenes quoque Anaximenis alter auditor, aerem quidem dixit rerum eſſe materiam, de qua omnia fierent: ſed eum eſſe compotem diuinæ rationis ſine qua nihil ex eo fieri poſſet. *Eadem e Sidonio:*

Iunior huic iunctus reſidet collega, ſed idem
Materiam iunctis creaturis aera credens

In-

Iudicat inde Deum, faceret quo cuncta, tuliſſe.

§. IIX. *Annotatio*: Recte coniecit Lipſius *Lib. I. Manuduct. p. m. 23.* iuniorem hunc Anaxagoræ collegam Diogenem eſſe. Dubium omne tollit locus Auguſtini.

§. IX. Membr. VI. *Opinio Archelai ex Auguſtino:* Anaxagoræ ſucceſſit auditor eius Archelaus: etiam ipſe de Particulis inter ſe disſimilibus, quibus ſingula quæque fierent, ita omnia conſtare putauit, vt ineſſe etiam mentem diceret, quæ corpora disſimilia, i.e. illas particulas coniungendo & disſipando ageret omnia. *Eadem e Sidonio.*

Poſt hos Arceſilas Diuina mente patratam
Coniicit hanc molem, confectam partibus illis,
Quas atomos vocat ipſe leues.

§. X. *Annotatio*: Gaſſendus *Tom. I. f. 257.* vltimam primi verſus vocem ponit: *paratam.* Idem & ante ipſum Lipſius *l. c.* pro Arceſila recte Archelaum reponere iubent. Quas particulas disſimiles vocauit Auguſtinus, Sidonius de ſuo atomos interpretatus eſt, ſimulque huius vocis vſurpatorem fecit Archelaum, minus bene vt Gaſſendus oſtendit. Sequuntur & alia apud Sidonium,

quæ

quæ cum Auguſtino contendi queant, ſed illa ſcopum noſtrum excedunt.

OBSERVAVIO XXI.

De
PRIMO RERVM ORTV PHILOSOPHORVM IONICÆ SECTÆ DOGMATA INTER SE, ET CVM DOGMATIBVS PRÆCEDENTIVM ET SEQVENTIVM PHILOSOPHORVM GRÆCORVM COLLATA.

SVMMARIA.

Philoſophi Græcorum vel Antiquiores, iique vel Theologi vel Phyſici, vel minus antiqui Plato, Ariſtoteles &c. §. I. *Theologi ex voluntate Dei, Phyſici ex neceſſitate naturæ res ortas putarunt* §. II. *Vtrique Deo oppoſuerunt materiam primam, & potentiam Dei ac libertatem minuerunt* §. III. *Poetæ magis Polytheiſmi, Phyſici magis Atheiſmi rei.* §. IV. *Tres gradus Atheiſmi* §. V. *Ariſtoteles & Stoici æque de Atheiſmo participant ac antiqui Phyſici.* §. VI. *Collatio philoſophorum ſectæ Ionicæ inter ſe.* §. VII. *Sententia Thaletis, Anaximandri, Anaximenis,* §. IIX. *in quibus punctis conuenerit,* §. IX. *& eius ſententiæ Atheiſmus.* §. X. *Sententia Anaxagoræ,* §. XI. *Diogenis & Archelai* §. XII. *Secta Ionica vel Thaletica vel Anaxagorea* §. XIII. *& vtriusque inter ſe comparatio* §. XIV. *Probatio ſententiæ*

Ana-

Anaxagoræ, §. XV. *Diogenes & Archelai.* §. XVI. *Anaximandri medium elementum medio negationis*, *Archelai medio participationis*, §. XVII. *Atheiſmus ſententiæ Anaxagoreæ.* §. XVIII. *Comparatio ſectæ Poeticæ, Thaleticæ, & Anaxagoreæ cum Platonica, Epicuréa, Ariſtotelica & Stoica* §. XIX.

§. I.

PHiloſophia Græcorum alia vetuſtior, alia minus antiqua. Minus antiquam voco, quorum capita Plato, Ariſtoteles, Zeno, Epicurus. Vetuſtior iterum diuidenda in Theologos, & Phyſicos: quorum illi tamen hos ætate anteceſſerunt. Theologi Poetæ veteres in quibus Orpheus, Homerus, Heſiodus. Phyſici Thales, Ionicæ ſectæ Princeps cum ſequentibus.

§. II. Ac ſtuduerunt quidem vtrique rerum naturalium inueſtigationi: ſed cum Poetæ quidam voluntate diuina, Ionici Philoſophi & horum ſimiles neceſſitate naturæ res ortas contenderent, factum hinc vt illi quidem Theologi, hi vero Phyſici appellarentur. Quibus nominibus etiam Ariſtoteli noti ſunt.

§. III. Vtrique tamen in eo conuenerunt dogmate, quod omni gentiliſmo commune eſt, vt æternam Deo materiam opponerent

rent. Quo facto ſimul vt vtrique Diuinam & potentiam & libertatem, quippe qui ſtatuerent ex nihilo nihil fieri poſſe, imminuerunt. Sed maxime imminuerunr Phyſici, vt ſequentia docebunt. Vtcunque libertati diuinæ conſuluerunt Theologi, quum illud relinquerent Deo certe vt libere potuerit vel applicare manum operi, vel rudem materiam relinquere ſibi in æternum. Interim non fuiſſe plane immunes a reprehenſione imminutæ libertatis diuinæ, vel hoc argumento ſit, quod in Homerico Carmine fatum toties deprehendimus. Nempe quicunque materiam Deo æquat, is modo Deum rebus mundanis admiſceat, cogitur eum ſaltem aliquo modo compedibus fati ligare.

§. IV. Itaque de Deo neutri prorſus recte philoſophati ſunt. Sed hac parte minus intolerabilis eſt Poetarum, quam Phyſicorum error. Quod etiam in eo cernitur quod Polytheiſmi magis rei ſunt Poetæ, Atheismi vero magis Phyſici. Magis autem in his duobus deteſtandum ſcelus Atheismi. Atheiſmum hic ſic interpretare, vt atheus habeatur non modo qui negat vllum eſſe Deum, qui quidem Atheismi gradus ſupremus eſt, ſed etiam, quem rei ſceleratisſimæ minimum gradum agnoſcas, qui vt maxime

pul-

pulchritudinem rerum creatarum ſapientiæ intellectui rationique diuinæ tribuat, non libere tamen, ſed neceſsitate naturæ compulſum egiſſe Deum perſuaſus eſt. Ratio, quia etiam ſic negatur prouidentia diuina. Tametſi enim quos Gentilium Philoſophos minimus hic atheismi gradus afflauit, prouidentiam verbo ſunt confeſſi, vi tamen principiorum ſuorum negauiſſe ipſam conuinci poſſunt. Negatio prouidentiæ diuinæ digna eſt quæ vocetur atheismus. Imo videtur eſſe de atheismi certo modo accepti ratione formali & atheorum talium communis concluſio.

§. V. Sed principia huius concluſionis tria (fortaſſe tamen etiam plura ſunt) atq; ſic in tres gradus, omnem illam atheorum cateruam partiuntur. Supremum gradum faciunt prouidentiam ideo tollentes, quia Deus plane non ens ſit; medium quia ſit quidem Deus, ſed creationi mundi plane non interuenerit: talis eſt Deus Epicuri; infimum quia produxerit quidem Deus, ſed neceſſitate naturæ coactus, non voluntate ſua libere motus, quæ fuit Ariſtotelis & Stoicorum ſententia. Qui tametſi prouidentiam plenis buccis crepant, non aliam tamen ſaluo principio ſuo demonſtrare queunt, quam quæ intellectus ſpecimina edat

qui-

quidem pulcherrima, ſed in mundo ipſo ſua voluntate.

§. VI. Interim qualicunque prouidentiæ Diuinæ confeſſione factum eſt, vt Ariſtoteles & Stoici pro nonatheis vulgo haberentur. Eſſe tamen ipſorum eandem ſortem debere cum phyſicis Ionicæ Sectæ, quos pro atheis habitos monſtrabimus, ſectarum conuenientia edocebit. Sit igitur fixum, Phyſicos illos comparatione Theologorum atheos fuiſſe.

§. VII. Videbo nunc de ſex Philoſophis Ionicæ ſectæ illis ipſis, quos Auguſtinus *l. 8. de C. D. c. 2.* ordine memorat, Thalete, Anaximandro, Anaximene, Anaxagora, Diogene & Archelao, conaborque prodere, quos in atheiſmo quisque progreſſus fecerit, quidque illorum de ortu rerum & primo principio dogmata inter ſe conueniant vel diſcrepent.

§. VIII. Thales primum elementum, quodque adeo totius vniuerſis materia ſit prima, fecit aquam, eius condenſatione terram, rarefactione aerem primo, dein ignem fieri cenſuit. Sed quia hoc pacto aqua non eſt accurate medium elementorum, quippe a ſiniſtris vnum, a dextris duo habens: inconuenientiæ huic (videbatur enim rectius ſe habere, ſi primum elementum exacte medi-

 um

um ſit inter extrema) conſulturus Anaximander ſucceſſor, quatuor elementis medium exacte interiecit, quintum non elementum quidem, ſed elementorum omnium principium, proximeque ab aqua & aere diſtare iudicauit: quo pacto ſi denſaretur, primus in aquam eſſet tranſitꝰ, ſi rareſceret, primus in aerem. Anaximeni placuit & numerus Anaximandri, & Arithmetica primi principii mediocritas, ſed in eo, vt materia prima eſſet aliquod elementum a Thalete diſcedendum non putauit. Quare quatuor elementis quintum adiecit, ætherem, igne ſublimiorem, primusque omnium ætherem fecit, accurate videlicet reliquis quatuor interiectum.

§. IX. Interim hi tres vniuerſi conuenerunt in eo, quod (1) principium omnium rerum ſit aliquid ſimilare (2) quod ortæ res fuerint nulla Dei opera, ſolius naturæ ſponte, qui eſt gradus Atheiſmi Epicureus (ſic enim vocare liceat) (3) quod ortæ ſint condenſando & rareſcendo.

§. X. Quod atheiſmi illos tres poſtulaui, de ſingulis probatu non difficile eſt ex Auguſtino, qui vbi Thaletis opinionem commemoraſſet, hæc ſubiungit: *nihil autem huic operi, quod mundo conſiderato tam admirabile adſpicimus, ex diuina mente præpoſuit.* Similiter de

de Anaximandro: *nec ipſe aliquid diuinæ menti in his rerum operibus tribuens.* De Anaximene vero: *Nec Deos negauit aut tacuit, ſed ipſos ex aëre ortos credidit.* Ergo & hic Deos illos ſuos non fecit opifices mundi, ſed mundum opificem Deorum, quod pro illo atheiſmo ſatis eſt. Sicuti & Plutarch. *Lib. 1. de placit. c. 3.* eum non minus quam Anaximandrum in eo peccaſſe cenſuit, quod effectricis cauſæ oblitus in ſola materia conquieuerit.

§. XI. A tribus illis in Ionica ſecta primus diſceſſionem fecit Anaxagoras, iisque omnibus, in quibus ipſos conuenire dixi, contraria docuit, primum principium ponens (1) diſſimilare licet confuſum (2) cui elaborando manum admouerit Deus, (3) elaborauerit autem non condenſando & attenuando, ſed illa diſſimilaria confuſa diſgregando. De duobus prioribus punctis teſtem audiamus Auguſtinum: A*naxagoras*, inquit, *harum rerum omnium, quas videmus, effectorem Diuinum animum ſenſit, & dixit, ex infinita materia quæ conſtaret diſſimilibus inter ſe particulis, rerum omnium genera fieri.* De tertio loquentem ipſum Anaxagoram audiamus *apud Plutarch. in placit. d. l.* Sic enim inchoauit opus ſuum: ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν, νοῦς δὲ ἀυτὰ διῆρε καὶ διεκόσμησε.

§. XII. Fuiſſe autem hæc tria, quæ diximus,

mus, Anaxagoræ videntur communia cum cæteris duobus Diogene & Archelao. De Archelao certe res plana ex Auguſtino, qui de eo ſic memorat: *Etiam ipſe de particulis inter ſe disſimilibus, quibus ſingula quæque fierent, ita omnia conſtare putauit, vt ineſſe etiam mentem diceret, quæ corpora diſſimilia i. e. illas particulas coniungendo & diſſipando ageret omnia.* Quanquam autem putare poſſit aliquis, materiam Anaxagoræ non fuiſſe diſſimilarem, ſed ſimilarem, paſſim enim a ſcriptoribus celebrantur eius ὁμοιομερείας (*vid. Plutarch. d. l. Laert. in ipſo & Iuſt. Martyr. f. m. 44. Edit. Lat.*) tamen hæc minime pugnare docet Viues *ad Auguſtinum f. m. 434.* Nimirum ipſa illa eius notiſſima πανσπερμία nihil aliud fuit, quam cinnus rerum ſimilium pariter & diſſimilium in vnam materiæ rudiſſimæ & confuſiſſimæ maſſam conflata.

§. XIII. Diuidamus ergo ſectam Ionicam in ſcholas duas, & a capitibus vocemus Thaleticam & Anaxagoream. Quarum illa vnico rerum principio pro mundi ſcilicet elaboratione contenta ſoli materiæ absque cooperatione Dei tribuit omnia; hæc materiæ cauſſam efficientem adiunxit Deum.

§. XIV. Nunc vt Anaxagoreæ quoque factionis, quemadmodum ſupra Thaleticæ, diſſidia luculenta faciamus, id dicendum videtur

detur: vt ſimilare principium ſuum Thales aquam, Anaximenes aerem, Anaximander medium fecit: ſic diſſimilare ſuum Anaxagoras aquam, Apolloniata Diogenes aerem, Archelaus medium fecit.

§. XV. De Anaxagora tacet hic quidem noſter Auguſtinus, cui alias præcipuam noſtræ commentationis partem debere profitemur. Sed rem ignorare non eſt paſſus Plotinus *Lib. de materia c. 7. qui eſt quartus* Ennead. *II.* cuius hæc in aliis ſunt verba, citante Barthio *notis in Æneam Gazeum p. 137.* Ἀναξαγόρας τὸ μίγμα ὕδωρ ποιῶν loquitur enim ibi de materia prima. Atque ex hoc interpreter illud Sidonii Apollinaris *p. m. 352. Quartus Anaxagoras Thaletica dogmata ſeruat.*

§. XVI. De Diogene clarisſima ſunt Auguſtini verba: *Diogenes aërem quidem dixit rerum eſſe materiam.* De Archelao tacet quidem ſimiliter Auguſtinus noſter, ita vt ex eo plane nihil nobis conſtet, num voluerit principium ſuum eſſe aliquod elementum, an vero quiddam ab omnibus elementis ita diuerſum, vt medium tamen haberi queat. Sed vt hanc potius poſteriorem ſententiam illi imputemus, mouere nos poteſt Authorum de ipſo varietas. Nam Plutarchus quidem *Lib. I. de placit. c. 3.* elementum eius facit aërem, hinc denſitate, illinc raritate ſtipatum:

qua-

chelai atomos interpretatur,vt adeo an Gaſſendus & Lipſius *p. 24. Manuduct.* hanc interpretationem recte culpauerint, deliberandum eſſe amplius videatur. Cæteri ſane atomorum patroni atomos vocant non ipſa elementa,ſed illis omnibus aliquid prius atque antiquius, quale & Archelaus illud ſuum voluiſſe videtur.

§. XVII. Cæterum Anaxagoram & duos eius ſocios, tametſi a Thaletico atheiſmo qui Deo plane nihil vult eſſe cum fabricatione rerum negotii, adeo excuſo, vt eius comparatione religioſus ipſe, qualem & vulgo habent quidam, videri queat, atheorum tamen catalogo minime expungendum ſtatuo. Fuit autem atheiſmus eius in eo gradu quem minimum vocaui. Certe atheum ipſum habitum fuiſſe teſtis eſt mihi Irenæus,cuius *Lib. II. c.19. f.117.* hæc ſunt verba: *Anaxagoras qui & Atheus cognominatus eſt, dogmatizauit, facta animalia, decidentibus e cœlo in terram ſeminibus.* Archelaum vero etiam vt habeamus atheum, hoc eius dogma facit, quo Laertio teſte *p.69. Edit. Lat.* ſtatuit, iuſtum & turpe non natura conſtare ſed lege. Nam & hoc dogma ſapit Atheiſmum.

§ .XVIII. Secundum hactenus dicta, quod ad primum rerum ortum attinet, ſtatuere poſſis, veterum poetarum philoſophiam in

PLA-

Platone, poſtea Thaleticæ ſcholæ in Epicuro (niſi quod hic atomos ab Archelao mutuatus videri queat) Anaxagoreæ in Ariſtotele & Stoicis reuixiſſe. Ex hac vltima vero ſchola ipſum Anaxagoram Ariſtoteli, Diogenem Stoicis ſimiliora docuiſſe dixerim. De Diogene maxime me monent verba Auguſtini; *Aerem dixit rerum eſſe materiam -- ſed eum eſſe compotem diuinæ rationis.* Videtur enim his verbis rationem diuinam illum feciſſe aeris tanquam materiæ formam informantem, quod poſtea in DEO ſuo ſecuti ſunt Stoici.

INDEX OBSERVATIONVM.

I. De intempeſtiuo libros ſcribendi & diſputandi pruritu.

II. De origine moris creandi equites a Romanis petenda.

III. De antiquisſima apud Romanos conſuetudine creandi equites, vsque ad tempora Carolingica receptis.

IV. De iis qui olim Equites inaugurari potuerint, & qui equites creandi habuerint poteſtatem.

V. De ipſis ritibus in equitum inaugurationibus ſuperioribus ſeculis vſitatis

VI. Continuatio prioris argumenti, & quando præcipue equites aurati creati, & quid inde adepti fuerint.

VII. De næuis Iuſtini Martyris, præſertim in ratiocinando ab eo commisſis.

VIII. Fundamenta hiſtorica in expoſitione Tituli Codicis de Summa Trinitate &c. ſupponenda.

IX. De Iuſtini Martyris Apologia ſecunda.

X. Apologia Pythagoræ præſertim contra Epiſcopum Worceſtrienſem.

XI. Parabolani an Medici, an medicorum miniſtri?

XII.

XII. Natura hominis. Libertas voluntatis. Imputatio in pœnam.
XIII. Actiones humanæ adiaphoræ ſeu licitæ, Mittel-Dinge.
XIV. Anaxagoræ dictum: Cœli & ſolis videndi cauſa natus ſum, inepte a Lactantio reprehenſum.
XV. Sententia Anaxagoræ de nigredine niuis.
XVI. Franciſci Georgii Veneti Harmonia mundi.
XVII. Iuſtini Presbeutæ diſcurſus de Iure legationis ſtatuum Imperii. Eleutheropoli. A. M DCC. in 8.
XVIII. Dogma Thaletis, quod aqua ſit Principium omnium rerum.
XIX. De primo rerum Elemento, Anaximandri & Anaximenis opiniones duæ exponi tentatæ.
XX. De Dogmatibus Philoſophorum Sectæ Ionicæ circa primum Principium, locus Auguſtini cum alio Sidonii Apollinaris collatus.
XXI. De Primo rerum ortu Philoſophorum Ionicæ Sectæ dogmata inter ſe, & cum dogmatibus præcedentium & ſequentium Philoſophorum Græcorum collata.

INDEX RERVM.

Acta pacis Neomagienſis, male verſa XVII. 13.
Actiones illicitæ XIII, 17.
De actionibus licitis inepte conſilia exquiruntur. XIII, 29.
Adoptio per arma III, 2.
Ægyptus quid notet myſtice p. 366.
Alapa cur creandis equitibus inflicta III, 5.
Eius ritus origo. III, 6.
Alexandri aduerſarii Arii character. VIII, 60.
Ambitio Clericalis VIII, 37,
Amor Chriſtianorum periit Conciliis I. 36, 37.
Anaxagoras nimium ſenſibus tribuiſſe videtur XV, 6. it - - -
Obſeru. XXI. paſſim varia de eo.
Anaximenis ſententia de primo elemento XVII, 17.
Angeli ſinguli ſingulis hominib9 additi p. 390
Angeli adſunt idiotis, Archangeli viris principibus p. 348.
per Chriſtum redemti ſunt p. 370.
Angelorum ordines tres p. 348.
concubitus cum mulieribus VII. 17.
Per angelos ad cœlum conſcendimus p. 348.
Anima quid? p. 389.
Animæ differunt qualitatibus. Ib.
hominis tres vbi ſitæ ſint. p. 386.
cur corporibus inditæ p. 374.
Annulus ferreus virtutis bellicæ inſigne II, 2.
Antipodes negauit Thales XVIII, 11.

Apo-

Apologia quando ſcribenda I, 56.
Apocalyptica deſcriptio ciuitatis Dei p. 397.
Apoſtolicarum regionum typus fuit caſtrametatio Iſraelitarum ex Ægypto exeuntium. p. 384.
Aqua primum rerum principium XVIII, 1.
Huius ſententiæ origo. XVIII, 12.
Arbor media in paradiſo Chriſtus eſt XVI, 17. & p. 372. ſeqq.
nocuit angelis p. 385.
Arca Moſis & tabernaculum Leuiticum eſt ad mundi inſtar factum p. 354.
Ariſtoteles veroſimile putat eſſe ignem rerum principium primum XVIII, 6.
ab Atheiſmo haud immunis XXI, 6.
Aſtronomia vtilis p. 321, 322.
Auditoribꝰ variæ regulæ præſcribendæ XIII, 29.
Auditorum officium circa indecorum doctoris XIII, 24.
Autochiriam friuole impugnat Iuſtin. VII, 15.

B.

Bulla militibus ſtrenuis data II, 3.
Babylon quid notet in Deo p. 366.
Balneum ingrediebantur militiam capeſſituri V, 1.
Baltheum virtutis militaris inſigne II, 7.
Bellum Iſraeli cum Amalecitis æternum cur ſit? p. 385.
Binarius numerus infauſtus p. 361.

C.

Chriſtus cur nullos libros ediderit? I, 7.

Chriſti epiſtola ad Abgarum Ib.
Chriſtus circulum rerum omnium concluſit & connexuit p. 359.
Chriſtus doctor optimus p. 378. ſqq.
Chriſtus cur tantum in domo Iacobi regnare dicatur p. 383.
Chriſti deitas probatur p. 370.
cibus quis p. 363.
Chriſtus perfecit legem p. 377.
Chriſtianus beatus eſt ſemper p. 324.
Chriſtianorum articuli fidei VIII. 6.
Chriſtianorum potiſſima cura. VIII. 7.
fides ſaluifica quæ? VIII, 8.
Cleri nomen a quonam antiſtibus eccleſiæ tributum VIII. 54.
Cognitio ſui ipſius p. 387, 322.
Concilii Hieroſolymitani characteres VIII, 22.
Confeſſionum vſus quando cœperit? VIII, 25.
Conſilia de rebus licitis in genere exquiruntur fruſtra XII, 49.
Conſtantini vitia VIII, 54.
-- tempora non beatiſſima VIII, 46, 47.
Conſtantinus hæreticos perſequitur. VIII, 75.
Creatio cur tam eſt variarum rerum? p. 390.
Creationis ſex dies myſtice explicati p. 367.
Culpiſius laudatur XVII, 15. 16. (386.
cespitat XVII, 17. 19.
Cultus Dei quid? p. 326.

D.

Dæmones non ſatis noti gentilibus VII, 25.
Damaſcus quid notet p. 366.

Deo-

Deorum multitudo vnde orta? p. 373.
Diſputandi laudabilis methodus quando mutata? VIII, 38.
Diſſenſus ICtorum I, 42.
Diſſenſus philoſophorum. I. 44. ſqq.
Eius cauſæ I. 46.
Dominiũ in creaturas nititur probitate p. 392.

E.

Eccleſia non beatisſima ſub Conſtantino VIII, 53.
Equeſtris fides ſumma eſt VI. 8.
Equites ius ſigilli & calcarium auratorum adipiſcebantur. VI. 7.
Equites aurati vnde dicti. VI. 2.
Equites creati ſunt iam olim gladio. III. 4.
Equites creabantur etiam ab Epiſcopis IV. 4.
Equitum inauguratio minus ſolennis. VI. 1.
Eruditio vera quid ſit? I. 32.
-- corrupta eſt diſputationibus. I. 33.
Eruditus quis ſit p. 324.
Euphrates quid notet p. 365.
Excommunicationis Samoſateni cauſæ VIII. & aliorum VIII. 37. (36.
Excuſandi Anaxagoræ varii modi XV. 5. 6.
Exempla aliorum in actionibus propriis non ſunt ſpectanda XIII. 39.

F.

Fides equeſtris ſumma & optima eſt VI, 7.
Fides cogi non poteſt VIII. 12 13.
Fides formulis incluſa cur & quando ſit? VIII, 68.

Fides olim non erat obnoxia vllis contentio-
nibus VIII. 16.
Fidei Chriſtianorum articuli VIII, 6.
Fidei vnitas quid olim? VIII. 14.
Furſtenbergii Principis captiuitas XVII. 4.

G.

Germani Polygraphi I. 26.
Germani creant equites ſcuto. III, 1.
Gælardii ſcripta XVII. 6.

H.

Hæreſis qua in re olim conſtiterit. VIII, 9.
Hæretici olim fugiebantur, non fugabantur.
VIII. 11.
Hæreticorum de catalogis quid ſentiendum.
VIII, 30.
Hæreticorum pii vexati VIII, 75.
alii tolerati VIII. 36.
Haſtis donati principum ſtrenui filii II. 4.
Heſiodi philoſophia de aqua XVIII, 4.
Homeri philoſophia de aqua. Ib.
Hominis improbi mens ſ. ſuprema & diui-
na portio non condemnatur cum ipſo
homine, qui condemnatur p. 393.
Hominis forma in voluntate conſiſtit. XII, 11.
Homines habent tres voluntates XII. 21.
Homme de cour male verſus eſt XVII. 14.
Homo Dei æmulus in ſuis membris p. 393.
Homo non habet libertatem ratione boni XII.
Homo non eſt ſpecies infima XII. 15. (40.
Homo amat malum XII, 36. 37.
Homo præſtat angelis p. 391.

Humani corporis ſymmetria & proportio admirabilis eſt p. 386.
Hypocritæ vnde olim quoque orti ſint. VIII, 77. 58.

I.

Ideæ quid ſint, p. 371.
Ieiunium non ſemper eſt licitum, XIII. 13.
Ignis infernalis quomodo vrat corpus & animam p. 396.
Imaginatio ſanat alia quoque corpora humana, p. 387.
Imperatores ſtatim a coronatione equites creauerunt VI. 3.
Imputationis pœnalis verum fundamentum XII. 54.
Indecora actio non ſtatim etiam illicita eſt XIII. 18. 20.
Influxus cœleſtes non neceſſitant, ſed vna cum cibariis, locis &c. efficiunt quæ fiunt. p. 387.
Intentio mala actiones præceptas inquinat XIII, 9.
Interpretes ſcripturæ inter Hebræos varii, p. 246.
Interpretandi ſcripturam quot genera? p. 352.
Inuidi retinendo res bonas peccant. I, 20.
Inuidia Ariſtotelis. I. 35.
Iſraeliticæ tribus caſtrametatæ in deſerto ab exitu ſuo reſpondebant ſuis quæque ſideribus p. 348.
Ius Iuſtinianeum examinatum nondum eſt to-

totum ſecundum religionis veræ amuſſim. VIII. 2. 3.
In Iuris Iuſtinianei leges eccleſiaſticas commentandi iuſta methodus VIII, 4.
Iuſtini Martyris laus, VII. 1.
Iuſtini opinio Platonica de creatione mundi. IX. 6.
errores chronici IX. 13.
ridicula argumenta pro ſigno crucis IX, 25.
Iuſtinus cur taxet Epicurum VII. 23.
Socrati tribuit cognitionem de Chriſto VII, 30.

L.

Lactantius qua idea ſibi depinxerit Trinitatem. VIII, 29.
inepte ſæpius ratiocinatur. VIII. 40.
Lapides creſcunt p. 360.
Legationem exponunt Culpiſius & Vicquefortius XVII, 1.
Lex pœnalis nulla eſt medium rationabile hominem emendandi XII. 59.
Libertas contradictionis & contrarietatis quo loco & numero habenda? XII, 42.
Libertatis & ſpontaneitatis differentia XII, 65
Licitarum actionum differentia notabilis ab illicitis XIII, 11.
Libri an ſcribendi I. 2.
melius ſcribendi, quam fit communiter I. 8.
Libri mali an vtiles eſſe poſſint. I. 11.
Libri non fuiſſent in ſtatu integritatis. I. 14.

a quibus ſcribendi. l. 15.
Librorum abuſus. l. 1.
inutilium copia l. 9.
polemicorum moralitas. l. 27.
Libros ſcripturo non opus eſt vocatione. l. 27.
Literis Hebræis quid myſterii inſit p. 358.
Lux eſt ſpiritus p. 398.

M.

Miles creare poterat milites alios. VI. 6.
Milites differebant a nobilibus III. 7.
Vnde creati Reges Chriſtiani III, IV, 1, 2. ſq.
Milites olim creabantur quiuis armigeri IV. 5.
Milites creabantur ii qui ex militibus nati fuerant IV. 8.
Milites facti quid primum egerint. V, 4.
Militiã capesſituris qui ritus obſeruati? V. 1, 2.
Ad Militiam capeſſendam quæ requiſita fuerint. IV, 9.
Militum præmia II. 6.
Montanus cur hæreticus VIII, 34.
Mundus non eſt æternus, p. 345. ſeqq.
vno momento eſt creatus. p. 347.
cur 6 diebus dicatur creatus eſſe. Ibid.
Myſtica explicatio VI. dierum creationis mundi p. 367. ſeqq.
Myſticæ explicationes variæ paſſim obſ. XVI.

N.

Nazaræorum capillus non perit, ſed aderit reſurgentibus etiam p. 396.
Nicænorum Patrum methodus diſputandi VIII. 79.

Nicæni concilii differentia & Hieroſolymitani VIII, 63.
Nicæni concilii decreta repugnant Chriſtianiſmo VIII. 64.
Nobiles quomodo olim diſtincti fuerint a militibus. III. 7.
Nobiles ſoli creantur equites. VI. 4.
Numeri ſunt ſcientiarum fundamenta p.341.
Numerus binarius infauſtus p. 361.
Senarius completus p. 350.
quaternarius p. 350.
Septenarius fœcundus eſt p.369.

O.

Orator an vir bonus eſſe debeat VIII, 42.
Oratoria veritati diuinæ noxia, VIII, 41.
Oratoria veterum alia ac hodierna VIII, 45.
Oratoriæ damna in omnibus diſciplinis VIII, 43, 44.
Orthodoxia an cum vita impia conſiſtat. VIII. 62.

P.

Parabolani quinam fuerint. XI.
Parlare vnde deriuetur. XI. 22.
Parmis & hoſtis donabantur Principum filii II. 4.
De Paſchate controuerſiarum origo. VIII. 23.
Patres Eccleſiæ eruditiſſimi falſo creduntur. VII. 2.
-- negligunt methodum VII. 9.
ſectantur obſcuritatem. VII. 57.
Patrum Nicænorum contentioſitas VIII. 57.

Patrum Ninænorum diſputationes qualesnam fuerint. VIII. 79. ſeqq.
De Patrum Platoniſmo iudicium VIII, 33.
Perſecutio quando & quos infeſtarit. VIII. 70.
Philoſophi nonnulli docuere ſine libris. I. 4.
Philoſophi antiquiores græcorum quinam XXI, 1.
Philoſophi Phyſici quinam dicti. XXI. 1, 2.
Atheiſmi rei ſunt. XXI. 4.
Philoſophicarũ ſectarũ comparatio XXI. vlt.
Poetæ rei ſunt Polytheiſmi XXI. 4.
Polemica ſcripta Theologorum. I. 40.
deuitanda ſilentio. I. 52.
Iuſt. Presbeuta de Legationibus laudatur XVII. 20.
Principes iuentutis Troſſuli dicti, II. 5.
Pythagoræ inimici X, 2.
Pythagoræa metempſychoſis X, 5. ſeqq.
Pythagoras docuit ſine libris I. 3.
Q.
Qualitates occultæ libenter coaleſcunt p. 390.
R.
Regenitus & irregenitus ſpecie differunt. XIII. 24.
Contra regulam quod eſt, malum eſt p. 349.
Regum inaugurationibus ſemper creati ſunt equites. VI. 5.
Rerum omnium genera tria p. 348.
Res omnes habent in aliis quippiam ſibi ſimile, p. 350. 351.
Reſurrectio probata ex ratione p. 395.
quan.

quando probabiliter futura ſit. p. 396.
Poſt reſurrectionem mutatur ſpiritus p. 395.
&corp9 quatuor noua elementa accipit p.355.
Poſt reſurrectionem corpus mutatur in ſpiritum p. 395.
Ros quid in Deo ſignificet. p. 365.

S.

Sacerdotis officium p. 374.
veſtes quid ſignificarint p. 375.
Salus æterna fide ſola non acquiritur p. 377. 378.
Salus mundana quomodo a quouis homine poſſit promoueri p. 388.
Samoſatenus cur excommunicatus VIII, 36.
Sapientes veri nolũt inclareſcere ſcriptis I. 6.
ſunt inter ſe amici I. 30.
Sapientis officium in diiudicandis Panegyriſtis & obtrectatoribus ſiue inimicis p. 149.
Scandala ex aliorum actionibus orta quo modo deuitentur XIII, 42.
Sceptici character XV. 13.
Scripturæ ſacræ laus, p. 390.
Scriptorum Eccleſiaſticorum & ſacrorum conſenſus in primo rerum omnium principio. p. 345.
Senſus vtiles ſũt ad ſapientiam p. 390.
Senſibus nimium tribuit Anaxagoras XV, 6.
Senſus errorum cauſæ p. 344.
Sibyllina oracula IX, 18, 19.
Sigilli ius equitibus conferebatur VI, 7.
Simon Magus an a Romanis habitus ſit Deus IX, 10.
Socrates docuit ſine libris I. 5.

Socrates an Deos gentilium contemſerit VIII, 3, 4, 5.
Spiritus quid ſit? p.392.
Spiritus S. ſuggesſit Veneto, quid ſignificent Pſalterium, tubæ, &c. p.399.
Stellæ, non tamen ſolæ, ſunt cauſa bonorum & malorum p. 349. ſeqq.
Stoici athei ſunt XXI, 6.
Symbolorum vſus quando cœperit VIII, 25.

T.

Temperamentum curandum p.386.
Terram an vnquam quisquam philoſophorum ſtatuerit eſſe rerum omnium principium. XVIII. 9.
Tertullianus quam ſibi ideam Trinitatis SS. formauerit VIII, 27.
Tertullianus cur inter hæreticos recenſeatur VIII. 34.
Thaletis primum Elementum eſt aqua XVII.
Theologi quinam olim dicti ſint. XXI, 1, 2, 3.
Thurnier vnde ortum ducat. V. 5.
Trinitatis myſterium olim terminis technicis non incluſum erat. VIII, 15, 26.

V.

Vaticinandi facultas ineſt homini p.391.
Veritas quid p.376
Veritati obeſt litigium l.25.
Veritatis ſtudium laudatur l.57. X, 19.
Vicquefortius libri anonymi auctor XVII, 5. notatur XVII. 19.
Vicquefortii liber gratus eſt XVII, 13.
fata XVII, 2, 3.
Vicquefortii liber male germanice redditus. XVII. 13.
Virtuti propria ſunt præmia. II. 1.
Voluntas an cogi poſſit. XII, 63.
Voluntatis actus immanens non datur XII, 21.

VA 1
151 9348